UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manvale, sev Institvtio Sacerdotvm, Ex Divinis Litteris Et Vetervm Patrvm Disciplina

Torres, Alfonso de

Ingolstadii, 1604

urn:nbn:de:hbz:466:1-48973

Visual Library

Th. 2866.

J. VI
25.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MANVALE,
SEV
INSTITVTIO
SACERDOTVM,
EX DIVINIS LITTERIS,
ET
VETERVM PATRVM
DISCIPLINA,

Liber Societatis Jesu Paderborn 1608.

Auctore
ALFONSO DE TORRES
Malacitanæ Eccleſiæ
Decano:

Romana editione auctior, & emendatior.

ANNO M.DCIV.

Cum Gratia, & Priuilegio Cæſ. M.
INGOLSTADII,
Apud ANDREAM ANGERMARIVM.
Impenſis Ioannis Hertsroy.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MANUALE

SEU

INSTITUTIO

SACERDOTUM,

DE DIVINIS OFFICIIS,

ET

VARIIS MINISTERIIS

IN

ALMO SEMINARIO

Malacitanæ Ecclesiæ

Erectum

Pauca addimus ad Ceremoniale

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AD SACERDOTES

AVCTOR.

INCIDI olim recens Sacerdos in libellum, qui STIMVLVS PASTORVM inscriptus est, ex variis Sanctorum Patrum sententiis collectum a docto, & insignis pietatis viro Bartholomæo a Martyribus, qui Bracharensis non ita pridem Antistes fuit. Perlegi, vehementerque sum admiratus. Tum Pontificum siue munia, siue onera diu contemplatus, & eorum vicem dolui, & Sacerdotio meo sum gratulatus. Sed non diu quieto animo esse licuit: Sacros enim reuoluens libros, Sanctorumque Patrum volumina lectitans, cognoui tandem, etsi Presbyter Episcoporum Ordinis potestate, tum etiam iurisdictione sit inferior; vtrumq; tamen vinculis, ac legibus non ita diuersis, dissimilibusue obstrictum teneri. Quod quidem cum sæpe numero diligenter animaduertissem, sensi demum onus, & sacræ molis pondere oppressus, ingemui, illi me suppositum oneri videns, quod vel Angelici humeri reformident. Et

quæ alieno capiti incumbens ſarcina mihi e longinquo proſpicienti metum incuſſerat, eam cum mihi quoque deinde ſenſiſſem impoſitam, varie animo a-
Apoc. 3. gitari cœpi. Tandem, tamquam abſterſis ſquamis, vidi lucem; &, qui me diuitem antea, & opulentum exiſtimaram, idem me rerum omnium egenum, & plane nudum aſpexi. Aliis litteris, quibus deditus eram, illico relictis iis ſtudiis, quæ Sacerdotem decent, penitus me
Luc. 15. totum addixi; & quaſi accenſa lucerna, quæ mihi deerat, drachmam quærere cœpi. Arcem diuinarum litterarum adij, aſſedi ad portam, ſtipem ab introAct. 3. euntibus petij, non quidem aurum, aut argentum; ſed vires, quibus ſurgerem, quibus ſtarem, quibus ab ignorantiæ imbecillitate recreatus, ipſorum etiam manibus ſublatus in ea ingrederer penetralia, in quibus Deus opt. max. Dei filius dominatur, perinde atq; in aurea ſella in ſumma ara a Sacerdotibus collocatus. Sacris etenim libris, Sanctorumq; Patrum voluminibus exacte reuolutis, ex variis, vti ſeſe ſparſim offerebant, lo-

cis

cis de Sacerdotis officio contexui librum, quo, non secus ac suaui, & salubri vnguento, meis mederer vulneribus. Quibus iunctis, cum aliqua mihi spes affulgeret, videremq; non paucos eadem labe si non confectos, certe affectos, emittere librum decreui : vt saltem Sacerdotes egentes habeant sine magnis laboribus, aut expensis in vno codice, quod ex multis, minimeq; vulgaribus, ego licet inter alia vocationis meæ studia satis occupatus, non cum modicis lucubrationibus, & vigiliis, in vnum collegi. Quod quidem eo securius feci, quod de meo nihil præter materiarum dispositionem, aliquotq; notulas haberet, Sanctorum Patrum sententiis totus constaret. Reliquum est, vt e profundo quasi somno obliuionis experrecti, O gens sancta, o Regale Sacerdotium, quæ nostri muneris sunt, diligenter expendamus, quo in gradu dignitatis a Deo locati sumus, ad quæ sacrificia instituti. Nam si terribili, & ei qui auffert spiritum Principum Deo, tremendum plane Sacrificium nos offerre considere-

1. Pet. 2.
Psal. 75.

mus, veterem hominem exuamus ne-
Coloſ. 3 ceſſe eſt cũ actibus ſuis; & quaſi iam cælo translati, ac ſupra humanam naturam poſiti, & noſtris affectibus exempti, velutq; cæleſtes cæleſtia ſemper meditemur. An non Chriſti nos milites? non Chriſto vinculis arctiſſimis obligati? nõ
Iſa. 51. a Chriſto angulari lapide exciſi? Digne
Eph. 4. igitur, & caute ambulemus ea vocatione, qua vocati ſumus, ne ſi deſidere in medio itinere cœperimus, interim ho-
Mat 13 ſtis noſter antiquus bonarũ cogitationũ ſemini infelix aſpergat lolium, quod &
Dan. 8. triticum, dum in herba eſt, ſuffocet, & ipſum poſtremo in ignem abijciatur. Properemus anteqnam vires comparet, ac robur contra iuge ſacrificium; ne auferatur a nobis propter peccata noſtra, & locus ſanctificationis deijciatur; ne
Mich. 3 cauſa noſtra Sion vt ager aretur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidũ fit, & mons templi in excelſa ſiluarum: vt Diuinum
Pro. 22 miniſterium nobis concreditum ad terminos antiquos, quos poſuerunt nobis Patres noſtri reſtitutum, pure, ſancteq; ad extremũ vsq; vitæ finem peragamus.

AD

AD LECTOREM.

LIBER *hic, vt in ipso aditu, quidquid est intus, tibi sit exploratum, in quatuor partes est distributus. Prima de Sacerdotis agit Institutione, Dignitate, Potestate, & Officio, item de Missa, de Sacramentis administrandis, de Antiquitate, Auctoritate, & vsu diuinorum Officiorum, & Cærimoniarum, Rerumque ad ea peragenda pertinentium. Altera de Moribus, ac Vita Sacerdotis ex Apostoli præscripto, deque eius exteriori, atque interiori homine Componendo pluribus tractat. Tertia de Rebus Sacerdoti prohibitis, ac de Pœnis transgressori à iure, vel ab homine impositis, vel imponendis disserit. Quarta de Morte boni, & mali Sacerdotis pauca refert, hæc omnia & inscriptionibus, & locis communibus digesta sunt; non tamen ita accurate, vt nonnulla ad diuersa capita nequeant reuocari; & aliqua forsan alienis locis inuenies. Quod tu desines vitio vertere, si eam esse consideraueris virtutum connexionem, vt aliæ sine aliis constare integre non possint. Et rerum potior, quam ordinis ratio habita est. Omisi breuitati consulens multa, quæ ad præsens negotium pertinerent: siquidem ipsi libri iis de rebus apud S. Cyprianum, S. Ambrosium, S. Hieronymum,*

S. Augustinũ, S. Gregorium Magnum, S. Gregorium Nazianzenum, S. Ioannem Chrysostomum, aliosque sanctos Patres nostros extant. Ex amœnis, & patentibus campis satis fuit legere flosculos, ex quibus, modo velit, tantum sibi quisque conficere mellis possit, quantum & ad necessarium vsum, & ad delicias sit satis. Quod si nonnulla hic aliter citata offenderis, atque in decretis Gratiani, Burchardi, Iuonis & aliorum leguntur, id ob eam causam factum est, quia de fonte potius, quam de riuulis hauriens archetypos sequutus sum, exceptis quibusdam, quæ, quoniam suis in locis non sunt reperta, ex auctoritate illa referentium, & fide hic exscripta sunt.

CAESAR

CÆSAR BARONIVS SORANVS,

CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTER.

VIR admodum insignis, dignus Dei Sacerdos, amicus sponsi, & cum sponso manens, atque ob id numquam ieiunus, iugis conuiua sapientiæ, idemque amator sponsæ, fecit ei (vt video) murenulas aureas, vermiculatas argento: istud ipsum sponsæ collo plane congruum ornamentum refert opus ab ipso elucubratum. Per collum enim sponsæ Dei Sacerdotes, Euangelij Prædicatores, mystice significari, S. Gregorius Magnus in primis admonet: etenim cum sit caput Ecclesiæ Christus, qui medij sunt inter Christum & populum, Sacerdotes, per collum intelligi, certum est: per murenulas vero aureas vermiculatas argento, quæ aureis argenteisq; virgulis simul iunctis, atque ordine flexuoso vna connexis, multiplicatis circulis, ex quibus monilia pendent, collum ambiunt, æque accipi posse idem quadripartito schemate, summa industria elaboratum opus, omnes, qui illud ipsum attente considerant, puto consentient. Etenim velut quibusdam aureis argenteisq; virgulis simul iunctis, & contextis, miraque varietate distinctis, diuinæ Scripturæ, Patrumque sententiis vna coniunctis, quadruplici distinctione partitum, toties repetito orbe, collum sponsæ circundans, monilibus ap-

pensis exornat ex mysticis gemmis illis, quibus Mosy Dominus Sacerdotale pectus ornari mandauit. Quod vero, qui ad decorem, idem ad fortitudinem cultus colli sponsæ paretur, vt, quod est ornamentum, sit etiam munimentum, idem qui dixit: Collum tuum sicut monilia. adiecit postea: Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. quamobrem quæ sunt ab eo contextæ murenulæ, easdem quisque iure dixerit esse Ecclesiæ propugnacula; & quod in eis sunt gemmæ, tot esse clypeos ad muniendum sponsæ collum, ipsum Regale videlicet Ecclesiæ Sanctæ Sacerdotium.

EPITE-

EPITHETA SACERDOTVM, EX SACRIS BIBLIIS, ET SS. PATRVM MONVMENTIS SELECTA.

Sacerdotes sunt

ANGELI *a* Domini, Angelorum & Paradisi ciues, Angelis superiores, Angelici homines, *b* Animarum custodes, Afflictionum omnium participes, Apes, Apostolorum successores, Arcus refulgens inter nebulas gloriæ, Athlethæ, *c* Auctores bene viuendi.

a Mala.

b S. Gregor. Naz.

c S. Clē.

Bonis ambiles, *d* Boues,

d Aba.

e Christi vicarij, ministri, *f* Christiferi, Christianæ fidei columna, Ciuitas in monte, Claudorum baculus, Columnæ templi, Consiliarij Episcoporum, Cypressus in altitudinem se extollens, Cæcorum & ignorantium duces.

e Conc. Trid.

f Theodoretus

Dei adiutores, interpretes, ministri, nuntij, populus, Diuinæ voluntatis indices, Diuinorum iudiciorum interpretes, & nuntij, *g* Dij, Dispensatores regiæ domus, Doctores pietatis Documenta virtutum, Duces.

g Exo.

Ecclesiæ Apostoli, aratores, apes, corona, decus, dentes, *h* facies, genæ, gubernatores, muri, nubes, *i* oculi, patroni, pastores, rectores, senatus, *k* speculatores, stomachus, vaccæ, *l* Episcoporū adiutores, consiliarij, oculi, Exempla bonorum operum, Exemplum perfectionis.

h S. Anselmus.

i S. Hie.

k Eze.

l Cate. Rom.

Fidelis

Fidelis populi duces, Flos rosarum in diebus vernis, forma fidelium.

S. Petr. Gens sancta,

m Cæsarius. Ianuæ ciuitatis æternæ, Ignis effulgens, *m* Imitatores Regni cælestis, Immortalis vitæ Doctores, Lignum scientiæ, Lilia in transitu aquæ, Lituus plebis; Lucerna accensa, Luna plena, Lux mundi,

Magistri scientiæ Dei, Malis terribiles, Medici, Medij inter Deum & naturam humanam, Medij inter Deum & peccatores, Milites spirituales, *n* Ministri Verbi Dei, Mundi fundamenta, *o* Mysteriorum latentium præsules.

n S. Prosp

o S. Dio

Oliua pullulans, Oraculum Spiritus sancti,

p S. Greg. q. Dan. r Ierem

p Patres animarum, *q* Patres nostri, *r* Pastores, Patriarcharum cognati, Peccatorũ populi spongia, Pons inter Deum & hominem, Portus, Prauæ doctrinæ hostes, Præsides ac Iudices, Prędicatores cælestium, Primi phalanges inuisibilium prælioru̇, Propago sanctificata, Prophetarum filij, Pugnatores.

Receptacula sapientiæ spiritualis, Regalis, Regni cælestis clauicularij, Regum viatores,

s Matt. t Eccle.

Sacramentorum ministri, *s* Sal terræ, Sol refulgens, *t* Stella matutina in medio nebulæ.

Terrarum Principes, Thus redolens in æstate, Thus ardens in igne. *u* Turbarum moderatores, Turres,

u S. Ambros.

x Chrys

Veritatis assectatores, Vindices oppressorum, Vitę lumina, *x* Vinitores, Vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.

INDEX

INDEX CAPITVM

PARTIS I.

De ordinatione, & institutione Sacerdotũ. fol. 2. Cap. I.
De officio, dignitate, & potestate Sacerdotum. II.
§. I. 29
De Immunitatibus, & priuilegiis Sacerdotum. §. II. 67
De obedientia, debitoque honore Sacerdotibus deferendo. §. III. 77
De Sacrificij oblatione. §. I. 101 III.
De vestimentis, vasisque sacris, & linteis. §. II. 143
De templis, vel Ecclesiis, cœmeteriis, oratoriis, & altaribus. §. I. 156 IV.
De cereis, aqua benedicta, imaginibus, & reliquiis Sanctorum. §. II. 178
De Sacramentorum ministratione, & ordinum exercitio. 184 V.
De horis Canonicis, & cantu Ecclesiastico. §. I. 205 VI.
De Dominicæ diei, & aliorum festorum, & feriarũ obseruatione, & origine. §. II. 223
De orationis puritate, & virtute §. I. 229 VII.
De lacrymis Sacerdotum. §. II. 243
De genu flexionibus, manuum eleuationibus, & pectoris tunsionibus in oratione. §. III. 249
De ceremoniis in genere 254 VIII.

PARTIS II.

De irreprehensibilitate, & sanctitate Sacerdotum. Cap. I.
§. I 260
De intentionis eorum puritate, & fine. §. II. 277

De

II. De sobrietate, & temperantia; de supellectili, cibis, & conuiuiis Sacerdotum. §. 1. 282
De ieiunio, vsu cinerum, & cilicij. §. II. 296
De benedictione mensæ, ad eamque lectione. §. 3. 306
De somno, vigilia, & quotidiana conscientiæ examine. §. 4. 310
III. De ornatu, & munditia exteriori; de communibus indumentis Sacerdotum domi, foriſque. §. 1. 318
De grauitate, & seueritate in moribus, & verbis Sacerdotum. §. II. 328
De suauitate in verbis, & benignitate Sacerdotum. §. 3. 337
De gestu, risu, incessuque, & exacta totius exterioris hominis compositione. §. 4. 354
IV. De prudentia, sapientia, & experientia Sacerdotum. §. I 367
De constantia, & immutabilitate animi Sacerdotalis in sanctis decretis, & consiliis. §. 2. 380
V. De pudicitia, & cælibatu Sacerdotum 387
VI. De hospitalitate. §. 1. 396
De eleemosyna, & liberalitate Sacerdotum. §. 2. 402
De decimis, obuentionibus, redditibusque Ecclesiasticis. §. 3. 414
VII. De doctrina, & prædicatione Sacerdotum. §. 1. 423
De lectione, & scientia. §. 2. 463
VIII. De modestia, & mansuetudine Sacerdotum. §. 1. 487
De patientia Sacerdotum. §. 2. 492
De humilitate Sacerdotum. §. 3. 500
De interiori gaudio, & pace Sacerdotum. §. 4. 508
De silentio Sacerdotum. §. 5. 502
De temporalium contemptu. §. 6. 529

De

De familiæ gubernatione. §. 1. 541 IX.
De oneribus, tribulationibus, & periculis Sacerdotum. §. 2. 545
De bono testimonio, & exemplo Sacerdotum. 556 X.
De sollicitudine, vigilantia, & zelo Sacerdotum in prædictis. 565 XI.
De occupatione Sacerdotum ex prædictis. 572 XII.

PARTIS III.

DE leuibus peccatis Sacerdotum 579 cap. I.
De grauibus peccatis Sacerdotum in genere. 591 II.
De rebus Sacerdoti prohibitis in genere. 606 III.
De rebus Sacerdoti prohibitis in specie: ne sit vinolentus: ne comessationibus illicitis, aut vanis confabulationibus det operam. 631 IV.
Ne sit percussor Sacerdos: ne portet arma: ne sit maledicus, aut detractor, calumniatorue: ne adulator. 622. V.
Ne sit litigiosus Sacerdos: ne aduocatus, procuratorue: ne contumax: ne in excommunicatione persistat. §. 1. 634 VI.
Ne ambulet in foro, aut in nundinis Sacerdos: ne sæcularia, profanaue negotia, aut vilia tractet: ne iuri Ciuili, Medicinæ, aut Chirurgiæ det operam. §. 2. 640
Ne sit cupidus Sacerdos, aut ambitiosus: ne plura beneficia habeat, aut non rite: ne pro Sacramentis ministrandis, pro Ecclesiasticis rebus conferendis, aut verba Dei prædicando pretiũ exigat 647 VII.
Ne sit turpis lucri cupidus Sacerdos: ne vsurarius, ne fur, ne falsarius, ne aleator. 662 VIII.

Ne

IX. *Ne sit neophitus Sacerdos: ne illegitimus: ne hæreticus, aut hæreticorum fautor: ne Apostata* 667
X. *Ne sit superbus Sacerdos.* 674
XI. *Ne sit iracundus Sacerdos: ne iuret: ne blasphemet.* 678
XII. *Ne sit fornicarius, aut aliis carnis operibus inseruiat Sacerdos.* 684
XIII. *Ne spectaculis, aut aliis eiusmodi profanis rebus Sacerdos interfit: ne cum interdictis communicet in oratione: ne Haruspices, similesue consulat, neu fidem eis habeat.* 707
XIV. *Ne Ordines simoniace, aut aliter non rite suscipiantur.* 715
XV. *Ne sine licentia Episcopi Sacerdos vagetur, Sacramenta ministret, vel prædicet.* 720
XVI. *Ne Sacramenta rite non dispenset, aut minus debito veneretur Sacerdos.* 725
XVII. *Ne Missas rite non celebret, aut Officium Diuinum rite non persoluat Sacerdos.* 731
XVIII *Ne loca, aut res sacras immundas esse sinat, neu distrahat, profanetue Sacerdos.* 764
XIX. *Ne profanis vestibus induatur Sacerdos: ne ferat anulos: ne comam, aut barbam nutriat.* 750
XX. *Ne Canes ad venandum, accipitres, aut falcones ad aucupandum habeat Sacerdos.* 757

PARTIS IV.

Cap. I. De *morte boni Sacerdotis.* 760
II. *De morte mali Sacerdotis.* 767

PARS

PARS PRIMA.

DE INSTITVTIONE, DIGNITATE, POTESTATE, ET OFFICIO SACERDOTIS: DE MISSA: DE SACRAMENTIS ADMINISTRANDIS: DE ANTIQVITATE, AVCTORITATE, ET VSV, DIVINORVM OFFICIORVM, & CÆREMONIARVM, RERVMQ. AD EA RITE PERAGENDA PERTINENTIVM.

CAPVT I.

DE ORDINATIONE ET INSTITVTIONE SACERDOTVM.

SVMMARIVM.

SACERDOTIVM *nouæ Legis ab ipso Christo Domino nostro institutum, cum potestate dimittendi & retinendi peccata, consecrandi, & offerendi.* 1.2.3.4.

In illud translatum est vetus: sed multum differunt inter se. 3.4.

Cœpit à S. Petro post Christum. 5.

Eo initiandus non festine, sed per gradus, & rite debet ordinari; riteq. initatus ministrare. 6.7.8.12.35.42.

Non propter lucrum. 16.

Non per inanem gloriam. 17.

Non per præmia. 18.

Debet rite conferri. 8.9.10.11.

Non indignis. 15.19.

Non bigamis, non pœnitentibus, non repudiatarum maritis, non seditiosis, non vsurariis, non suarum iniuriarum vltoribus. 43.

Non habentibus in mente illa vitia, quibus Sacerdos veteris

veteris legis carere debebat in corpore. 20.
Sed multa virtute, & morum maturitate præditis, 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 36. 37. 38.
Et habentibus scientiam. 41.
Et castitatem. 44. 45.
Et populi comprobationem. 31. 32. 33. 34. 35.
Et ætatem legitimam. 36. 37. 38. saltem viginti quinque annorum. 40.
Episcopus non multos passim ordinare debet. 47.
Ordines conferens multa facit, imprimitq. characterem in datione calicis. 21.
Maximam confert potestatem ordinatis. 41.
Eisque tradere debet Literas suæ ordinationis. 22.
Et curatis Librum Diuinorum Officiorum, & Sacramentorum. 23.
Qui tamen coram eo tenentur castitatem profiteri. 46.
Libellus Officialis quid. 23.

ACCEPTO pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* 22. 1. *Cor.* 11. *Hic instituisse Christum Sacerdotes nouæ legis semper tenuit Catholica Ecclesia: vt tradit Concilium Tridentinum Sess.* 22. *cap.* 1. & *Can.* 2. 1

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit; & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. *Ioan.* 20. 2

Vetus Sacerdotium in nouum trãslatum est, ac de eius potestate, & origine.

3 SACRIFICIVM, & Sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, vt vtrumq; in omni lege extiterit. Cum igitur in nouo Testamento sanctum Eucharistię Sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea nouum esse visibile, & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Saluatore Nostro institutum esse, atq; Apostolis eorumq; successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem eius, nec non & peccata dimittendi, & retinendi, sacræ litteræ ostendunt, & Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit. *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 1.*

Matth. 16. 18. Io. 20.

De differentia Sacerdotij veteris, & noui.

4 LVCERNAM per significationem recte Sacerdotium vetus accipimus, in nocte quidem sub vmbra seruientis populi perneccessarium, sed aspirante die nouæ gratiæ remouendum. Quia enim lucerna nocte clausis tantum in domibus lucens latius spargere radios sui fulgoris non sufficit: Sol autem exortus adeo cuncta foris, intusq; perlustrat, vt etiam lucernæ iubar minus vtile, immo inextinguibile reddat, &c. *Ven. Beda super lib. 1. Reg. cap. 8.*

Sacer-

Sacerdotalis ordo cœpit à S. Petro post Christum.

IN nouo Testamento post Christum Dominum Nostrum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo: quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino ad eum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam: & tibi dabo claues Regni cœlorum. Hic ergo ligandi, soluendiq; potestatem primus accepit à Domino, primusq; ad fidem populum Dei gratia, & virtute suæ prædicationis adduxit. *S. Anacletus epistola 2. ad Episcopos Italiæ, dist. 21. cap. 10. Burchardus lib. 1. cap. 1. S. Isidorus de Eccles. offic. lib. 2. c. 5.* 5

Instructio ad officium Sacerdotale rite subeundum, ministrandumque.

CONSECRANDI, fratres charissimi, in Presbyteratus officium, illud digne suscipere, atque susceptum laudabiliter exequi studeatis: Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, præesse prędicare, & baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est; atq; prouidendum, vt cœlestis sapientia, probi mores, & diuturna iustitiæ obseruatio ad id electos cõmendet. Vnde Dominus, præcipiens Moysi, vt septuaginta viros de vniuerso Israël in adiutorium suum eligeret, quibus Spiritus sancti dona diuideret, suggessit: Quos tu nosti, qui senes populi sunt. Vos siquidem in septuaginta viris, & senibus signati 6

estis, si per spiritum septiformem decalogum Legis custodientes, probi & maturi in scientia, similiter & opere eritis. Sub eodem quoq; mysterio, & eadem figura in nouo Testamento Dominus septuaginta duos elegit, atque binos ante se in prędicationem misit, vt doceret verbo simul & facto, ministros Ecclesiæ suæ fide & opere debere esse perfectos; seu geminę dilectionis, Dei scilicet, & proximi virtute fundatos. Tales itaq; esse studeatis, vt in adiutorium Moysi, & duodecim Apostolorum; Episcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moysen & Apostolos figurantur, digne per gratiam Dei eligi valeatis, &c. Itaque dilectissimi fratres, (quos ad nostrum adiutorium fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit) seruate in moribus vestris castę & sanctæ vitæ integritatem; agnoscite quod agitis; imitamini quod tractatis: quatenus mortis Dominicę mysterium celebrantes mortificare membra vestra à vitiis, & concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populi Dei: sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi, vt prædicatione, atque exemplo ædificetis domum, id est, Ecclesiam Dei: quatenus nec nos de vestra prouectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari à Domino; sed remunerari potius mereamur.
Ex Pontificalis Romani admonitione ad Presbyteros.

De eodem.

7 CVM rerum necessitas exposcit pensandum valde

valde est, ad culmen quisq; regiminis qualiter veniat; atque ad hoc rite perueniens qualiter viuat; & bene viuens qualiter doceat; ac recte docens infirmitatem suam quotidie, quanta valet cogitatione, cognoscat. *S. Greg. in præfatione Pastoralis.*

Instructio S. Ioannis Euangelistæ ad Sacerdotalem ordinem conferendum.

DE ordinatione presbyteri ego dilectus à Domino constituo vobis Episcopis. Cum presbyterum ordinas, Episcope, impone ipse manum capiti presbyteri, adstantibus tibi presbyteris, & diaconis: &, faciendo precationem, dic: Domine omnipotens Deus noster, qui cuncta per Christum condidisti, & vniuersa per ipsum prouidentia tua, vt cuiq; naturæ conuenit, curas: qui enim potest varia efficere, hic etiam potest variis modis prouidere. nam immortalibus quidem, sola conseruatione prospicis, mortalibus vero, successione; animæ, cura, & studio legum; corpori, expletione indigentiæ. Ipse igitur & nunc respice Ecclesiam tuam sanctam, & auge eam, & multiplica eos, qui in ea præsunt: & da virtutem, vt verbo, & opere ad ædificationem populi tui laborẽt. Ipse etiam nunc respice hunc famulum tuum suffragio, & iudicio totius cleri ordini presbyterorum adscriptum; impleq; eum spiritu gratiæ, & consiliis ad opitulandum populo tuo, ad eumq; corde mundo gubernandum: sicut respexisti populum tuum electum; & sicut Moysi seniores eligere iussisti, quos spiritu 8

impleuisti. Et nunc Domine præsta seruans in nobis spiritum gratiæ tuæ non deficientem: vt plenus operationibus ad sanandum aptis, & sermone ad docendum idoneo populum tuum mansuete eruditat, & seruiat tibi sincere; ac mente pura, & anima volente, ac pro populo tuo sacra rite sine vitio operetur, per Christum tuum, cum quo tibi gloria, honor, cultus, & sancto Spiritui in sæcula. Amen. *S. Clemens de Constitut. Apost. lib. 8. cap. 16. al. 24.*

De eodem.

9 SACRAMENTVM Sacerdotalis promotionis præ cæteris omnibus magis accurate, ac digne dandum est, vel accipiendum: quia, nisi ita collatum fuerit, eo desinet esse ratum, quo non fuerit rite perfectum. Cætera enim sacramenta vnicuique propter se dantur; & vnicuiq; talia fiunt, quali corde, vel conscientia accipiuntur. Istud solum non propter se solum, sed propter alios datur: & ideo necesse est, vt vero corde, mundaq; conscientia, quantum ad te, sumatur; quantum ad alios vero, non solum sine omni culpa, sed etiam sine omni infamia, propter scandalum fratrum, ad quorum vtilitatem non solum vt præsint, sed etiam vt prosint, Sacerdotium datur, *Gratianus* 1. q. 1. *cap. Si qui Episcopi.*

De eodem.

10 CVM sit ars artium regimen animarum, districte præcipimus, vt Episcopi promouendos in Sacerdotes diligenter instruant, & informent, vel per

per se ipsos, vel per alios idoneos viros super diuinis officiis, Ecclesiasticisq; Sacramentis, qualiter ea valeant celebrare. Quoniam si de cætero rudes, & ignaros ordinare præsumpserint, & ordinatores, & ordinatos vltioni graui decernimus subiacere. Sãctius enim est, maxime in ordinatione Sacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere ministros; quia, si cæcus ducit cæcum, ambo in foueam dilabuntur. *Innoc.3.de æt.& qualit.ca.eo.* *Mat.15.*

Exemplum de S. Leone Papa, contra Episcopos male manus imponentes.

CVM descendisset Abbas Amos Hierosolymam, & Patriarcha ordinatus esset, venerunt omnes monasteriorum eremi Abbates, vt adorarent eum, inter quos affui & ego cum Abbate meo: cœpitq; Patriarcha dicere patribus: Orate pro me, Patres, nam magnum onus, & intolerabile mihi iiunctum est; Sacerdotiiq; dignitas me terret immodice: Petri enim & Pauli, & similium est, regere rationabiles animas. Ego infelix peccator sum. Plus autem, quam cætera, timeo ordinationum sarcinam: nam inueni scriptum, quod beatissimus, & æqualis Angelis Papa Leo per quadraginta dies perseuerauerit ad sepulcrum Apostoli Petri, vigiliis, & orationibus insistens; petensque ab Apostolo, vt pro se apud Deum intercederet, vt dimitterentur sibi peccata sua. Impletisque diebus quadraginta apparuit ei Petrus Apostolus, dicens: Oraui pro te, & dimissa sunt tibi peccata, præter- 11.

quam impositionis manuum: hoc enim à te solum requiritur, siue bene, siue fortassis aliter egeris. *S. Antoninus in Summa, p. 3. t. 20. c. 2. §. 1. Ioannes Moschus Euiratus in suo Prato spirituali. c. 149.*

Aduerte hic, quatenus dicitur esse quædam peccata dimissa, quædam non, debere intelligi quoad pœnam, non quoad culpam: impium enim esset dimidiam sperare veniam à Deo, cuius perfecta sunt opera. S. Tho. p. 3. q. 86. art. 3.

Deut. 32.

Quo affectu accedere debeat initiandus ad ordines suscipiendos.

12 QVI Sacerdotio initiandus est non alio affectu accedere debet, quam ad submittendos humeros non dignitati externæ, sed magis publico munere vice Christi in Ecclesia gerendo. In quam sententiam dixit Apostolus: qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Cogitare secum debet, vt imitator Christi sit, cuius legatione fungitur; nec aliter arbitrari debet, cum ordinatur ab Episcopo, quam se ab ipso Christo, ad ipsius Ecclesiæ munia exequenda mitti, ac destinari, idque cum multa, & insigni potestate, ac virtute; nimirum diuina, & ea qua Christus missus est, sicut ipse dixit: Sicut misit me Pater & ego mitto vos: qui vos audit, me audit; & qui vos spernit me spernit. Qui alio affectu sacros ordines ambiunt; nempe, vt vel cæteros in honore præeant, vel vt de Ecclesiæ thesauris laute viuant, ac ventri indulgeant, hos scriptura non mitti; sed suo nomine venire dicit,

1. Tim. 3.

Ioan. 21. Mat. 10. Luc. 10. Matt. 7 Ioan. 10.

dicit: ac lupos, fures, & latrones appellat, qui non intrant per ostium; sed aliunde ascendunt, maximi criminis rei, quod ingens vltio tandem certo certius subsequetur *Conc. Colon. de sacram. ord. ad fin.*

De eodem.

QVISQVIS Sacerdotium non ad elationis 13
pompam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat prius vires suas cum hoc, quod est subiturus, onere metiatur: vt, si impar est, abstineat; & ad id cum metu etiam, cui se sufficere existimat, accedat. *S. Greg. lib. 7. Epit. 110. 1. q. 1. c. non est putanda.*

De eodem.

SI clericatus te titillat desiderium, discas quod 14
possis docere, & rationabilem Christo hostiam offeras; ne miles ante, quam tiro; ne prius magister sis, quam discipulus. *S. Hieron. Epist. 4. ad Rusticum 16. q. 1. c. eo.*

De temeritate indignorum, qui ad presbyterium assumi volunt.

O peruersitas, ô abusio filiorũ Adam, qui cum 15
ascendere difficillimũ sit, descendere autẽ facillimum, ipsi & leuiter ascendunt, & descendunt difficilius, parati ad honores, ad celsitudines graduum Ecclesiasticorũ, ipsis etiam Angelicis humeris formidandos, &c. Curritur passim ad sacros ordines, & reuerenda quoque ipsis spiritibus Angelicis mysteria homines apprehendunt sine reuerentia, sine consideratione, &c. *Sed Bernard. de conuers. ad cler. c. 29. S. Bonauent. in Phar. l. 1. c. 24.*

De

De nequitia eorum, qui propter lucrum temporale volunt in Presbyteros ordinari.

16 AMEN, Amen dico vobis, quæritis me, non
Ioan. 6. quia vidistis signa; sed quia ex panibus meis manducastis, & saturati estis. Per eorum personam Dominus illos intra sacram Ecclesiam detestatur, qui per sacros ordines ad Dominum propinquantes, non in eisdem ordinibus virtutũ merita; sed subsidia vitæ præsentis exquirunt, nec cogitant, quid viuendo imitari debeant; sed quæ compendia percipiendo satientur. *S. Greg. Moral. l. 2. 3. c. 17.*

De ordinatione festina indignorum, instinctu inanis gloriæ.

17 QVIDAM, instinctu inanis gloriæ illecti, ex laico repente habitu sacerdotij honorem arripiunt, & (quod dicere pudet, & graue tacere est) regendi rectores; & qui docendi sunt doctores nec erubescunt fieri, nec metuunt, ducatum animarum impudenter assumunt, quibus via omnis gnota ductoris est: &, quo vel ipsi gradiantur, ignari sunt. Quod quam prauum, quamue sit temerarium, sęculari etiam ordine, & disciplina monstratur. Nam, dum dux exercitus non nisi labore & sollicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debent, qui ad culmen immatura cupiunt festinatione conscendere, huius saltem rei comparatione considerent, & aggredi repente in expertos labores abstineant, ne cæca hono-

honoris ambitio, & ipsis in pœnam sit, & alijs pestifera erroris semina iaceat; quippe qui non dicerunt quod ipsi doceant. *S. Greg. in Reg. lib. 7. ep. 114. dist. 61. c. sacerdotale. S. Adrianus Papa epistola 1.*

De ordinatis per præmia.

VALDE contristor, & terræ illi condoleo, quia, 18
dum sanctum Spiritum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, diuino munere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur, Sacerdotium ibi diu subsistere non arbitror. *Idem Gregor. ibidem, lib. 7. ep. 113. lib. 4. epist. 50.*

De populis, vbi presbyteris dignis præferuntur indigni.

CVM videris nonnullos quidem dignos, qui in 19
ordine presbyteratus cooptantur, & ij delitescunt, aut neglectim transmittuntur, præq; iis designantur indigni, scito quia Dominus ab eiusmodi populo aufert presbyterum &c. *S. Basilius super Isa. c. 3.*

De vitiis, quibus carere debet ordinandus in Sacerdotem.

IVBETVR Sacerdotibus, vt nulla debilitate in- 20
signes sint, ne cæcus, ne claudus, &c. Quæ omnia *Leu. 21.*
referuntur ad animæ vitia. Nam cæcus Sacerdos est, qui scripturæ scientiam non intelligit: &, quo gressum doctrinæ, vel operis porrigit, per ignorantiam nescit. De talibus scriptum est per Isaiam, *Isa. 56.*
Speculatores eius cæci omnes. Claudus quidem est, qui intelligit quid docere debeat; sed tamen præce-

præcepta quæ docet non implet. Paruo autem naſo eſt, qui ad tenendam menſuram diſcretionis idoneus non eſt. Grandi & torto naſo eſt, furibundus & minax cum ſuperbiæ arrogantia, vel immoderata diſcretione. Fracto autem pede, vel manu eſt, qui viam Dei, quam docet, pergere non ſtudet. Gibboſus quoq; Sacerdos eſt, quem terrenæ cupiditatis pondus deprimit, & tardius ad ſuperna intendit. Lippus vero eſt, cuius ingenium ad veritatis cognitionem emicat; ſed hoc carnaliter viuendo obſcurat. Albuginem quoque habet in oculo, qui arrogantia ſapientiæ, ſeu iuſtitiæ cæcatur. Iugem vero ſcabiem habet, cuius carnis petulantia ſine ceſſatione dominatur. Impetiginem quoque habet in corpore, qui auaritia vaſtatur in mente, quę niſi in paruo compeſcitur, nimirum ſine menſura dilatatur. Ponderoſus vero eſt, qui, etſi turpitudinē non exercet opere, ſed ab hac cogitatione continua ſine moderamine grauatur in mente. *S. Iſidor. in Leuit. c.* 18. *S. Greg. in Paſtor. p.* 1. *c.* 11. *Gratian. diſt.* 49. *per tot. Ven. Beda ſup. Leuit. c.* 13 *De Gentilium ſacerdotibus vide idem apud Alexandrum ab Alexandro. l.* 6. *c.* 14. *Genialium dierum.*

In collatione ordinum quid faciat Epiſcopus, & quando Sacerdotalis character imprimatur.

21 EPISCOPVS in collatione ordinum duo facit: præparat enim ordinandos ad ordinis ſuſceptionem, & ordinis poteſtatem tradit. Præparat qui-

quidem & instruendo eos de proprio officio, & aliquid circa eos operando, vt idonei sint potestatem accipiendi. Quæ quidem præparatio in tribus consistit; scilicet benedictione, manus impositione, & vnctione. Per benedictionem diuinis obsequiis mancipatur, & ideo benedictio omnibus datur. Per manus impositionem datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia sint idonei. Et ideo solis diaconis, & sacerdotibus fit manus impositio, quia eis competit dispensatio sacramentorum; quamuis vni vt principali, & alteri sicut ministro. Vnctione ad aliquod sacramentum tractandum consecrantur. Et ideo Vnctio solis Sacerdotibus fit, qui propriis manibus corpus Christi tangunt: sicut etiam calix inungitur, qui continet sanguinem; & patena, quæ continet corpus. Sed potestatis collatio fit per hoc, quod datur eis aliquid, quod ad proprium actum pertinet. Et, quia principalis actus Sacerdotis est cõsecrare corpus & sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis sub forma verborũ determinata character Sacerdotalis imprimitur *S. Tho. in 4. dist. 24. q. 3. art. 3.*

Ordinati accipiunt ab ordinatoribus suis literas suæ ordinationis.

QVICVMQVE deinceps ab Episcopis ordinan- 22
tur, literas accipiunt ab ordinatoribus suis, manu eorum subscriptas, continentes annum Domini, & diem: vt nulla altercatio de posterioribus, vel anterioribus oriatur. *Concil. Mileuitan. c. 14.*

Presby-

Presbyteri curati accipiunt ab Episcopo Libellum Officialem.

23 QVANDO Presbyteri in Parochijs ordinantur, Libellum Officialem à Sacerdote suo accipiunt, vt ad Ecclesias deputatas sibi instructi accedant; ne per ignorantiam etiam in ipsis Sacramentis diuinis Christum offendant: vt, quando ad Litanias, vel ad Concilium venerint, rationem suo Episcopo reddant, qualiter suum officium celebrent, vel baptizent. *Concil. Toletan. 4. dist. 38. c. 10.*

Libellum officialem] *Erat liber manualis, continens doctrinam de diuinis officiis & Sacramentis. Vide Amalarium Fortunatum de Ecclesiast. off. l. 4. c. 29. De illo videtur fieri mentio in Concilio Moguntino c. 22.*

Ordinandi quales.

24 EPISCOPE, elige adiutores tuos vitæ & iustitiæ operarios, Deo gratos, quos ex cuncto populo maxime dignos probaris, & faciles ad vexationes, & molestias in vsus ministerij sustinendas. *S. Clemens de Constitut. Apost. lib. 3. c. 15.*

De eodem.

25 CONSTITVE presbyteros homines pios, iustos, mites, non cupidos, veritatis studiosos, probatos, sanctos, non acceptores personarum, qui valeant docere sermonem veritatis, recte procedentes in placitis Domini. Vos vero eos honorate, vt patres, vt dominos, vt beneficos, vt bene viuendi auctores. *Idem Clemens lib. 7. cap. 32.*

Et eos, qui eleemosynæ amorem habuerint. *S. Gregor. lib. 3. epist. 27.*

De

De eodem exemplum.

MEMINISTIS, filij, quendam amicum, cum se- 26
dulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen à me in clerum non receptum, quod gestus eius plurimum, dedeceret. Alterum quoq; cum in clero reperissem iussisse me, ne vmquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. nec fefellit sententia &c. *S. Ambros. lib. 1. cap. 18. de Officiis.*

De eodem.

Is qui ad sacerdotum sortem admittitur, pri- 27
mum probetur, an integer, aut incolumis, & ingenuus sit. Deinde, ex pura maxime domo, & à cæde purus, & ab omnibus huiusmodi, quæ aduersus res diuinas committuntur; & vt ipse, ac pater, & mater ipsius similiter vixerint. *Plato dial. 6. de Legibus.*

De eodem.

TRIA requiruntur. vt infra, p. 3. c. 3. §. 7. Ne sit 28
neophytus.

De eodem.

PROVIDVM debet esse iudicium Sacerdotale: 29
nec facile male sanæ conscientiæ committendum id muneris, ne fiat error deterior priore. Vase enim fetido vel oleum, vel vinum facile corrumpitur. *S. Ambros. lib. 1. epist. 3.*

De eodem.

QVI piè & fideliter in ministeriis ante actis se 30
gesserint, & ad presbyteratus ordinem assumun-

tur, bonum habeant testimonium, & hi sint, qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum (nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videatur) ministrauerint; sed etiam ad populum docendum ea, quę scire omnibus necessariũ est ad salutẽ, ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur: atq; ita pietate & castis moribus conspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari. *Concil. Trident. Sess. 23. cap. 14. de reform.*

Adde, quod Psalterium etiam memoriter scire tenebatur ordinandus. *Concil. Toletan. 8. c. 8. Nicephorus hist. Eccles. l. 15. c. 23.*

De eodem: ac de populi comprobatione.

31 SACERDOS plebe præsente sub omnium ocu-
Nu. 20. lis deligatur, & dignus, atq; idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur; sicut Dominus Moysi præcepit, dicens: Prehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem coram omni synagoga: & exue Aaron stolã eius, & indue Eleazarum filium eius, & Aaron positus moriatur illic. Coram enim synagoga iubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit, & ostẽdit, ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere: vt plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio iusta,

sta, & legitima, quæ omnium suffragio, & iudicio fuerit examinata, &c. *S. Cypr. l. 1. epist. 4.*

De eodem.

DECET actuum nostrorum testem esse publi- 32
cam attestationem, ne derogetur muneri: vt, qui viderit ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, auctorem prędicet, & dominũ veneretur, qui tales seruulos habeat, &c. *S. Ambr. de of. l. 1. c. fi.*

De eodem: ac de mystica eius significatione.

REQVIRITVR in ordinando Sacerdote populi
prędentia, vt sciant homines, & certi sint, quod qui
præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui 33
sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad sacerdotium, & hoc attestante populo; ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrũpulus resideret. Hoc est, quod & Apostolus præcipit in ordinatione Sacerdotis, dicens: Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab
iis qui foris sunt. Ego autem & amplius aliquid 1. Ti. 3.
video in eo quod dicit, quia conuocauit Moyses omnem Synagogam. Et puto, quod, Congregare Synagogam hoc sit, colligere omnes animi, & in vnum congregare virtutes: vt, cum sermo de sacerdotalibus Sacramentis habetur, vigilent omnes animi virtutes, & intentæ sint, vt nihil scientiæ, nihil in eis sapientiæ, nihil desit industriæ; sed adsit omnis multitudo sensuum, adsit omnis congregatio sanctarum cogitationum: vt, quid si

Pontifex, quid vnctio, quid indumentum eius conferens, intra sacrarium cordis sui possit aduertere. *S. Hieron. 8. q. 1. c. licet. Origenes hom. 6. ad c. 6. Leuit.*

De eodem.

34 CHRISTIANI, quando Sacerdotes ordinare volebant, prius ipsorum nomina palam proponebant, hortantes populum: vt, si quid quis haberet criminis, probaret manifestis rebus. *Ælius Lampridius in Alex. Seuero.*

De eodem: ac de ordinatione per gradus.

35 ORDINATE ad ordines procedendum est: Nam casum appetit, qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta ascensum quęrit. *S. Bonau. in Phar. l. 1. c. 24. ex S. Greg. dist. 48. sicut neophitus. & dist. 59. per tot. Concil. Trident. Sess. 23. c. 11.*

De eodem: ac de ætatis, & morum maturitate.

36 IN Sacerdotibus eligendis, vel ordinandis, curam oportet esse perspicuam. Irreprehensibiles enim esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis. Longa debet vitā suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ. *Hormisda Papa dist. 61. c. eo. Catechismus Pij V. de sacramento Ordinis, vers. tertius.*

De eodem.

37 MERITO Patrum beatorum venerabiles sanctiones, cum de electione Sacerdotum loquerentur,

tur, eos demum sacris administrationibus idoneos censuerunt, quorum omnis ętas à puerilibus exordiis vsque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia Ecclesiasticæ cucurrisset, & vnicuique testimonium prior vita præberet, &c. *S. Leo epist.87.c.1.dist.61. can.miramur. & per tot. concil. Sardicen.c.13.S.Gregor.Pastor.p.3. admonitione 35.*

De eodem.

PRESBYTEROS oportet esse matura ætate proiectos, & qui temporis prolixitudine, & multarum rerum cognitione periti, quique ab ipsa primum floreſcente canitie exhibuerint morũ constantiam: Gloria enim seniorum canities. Sicubi tandem comperietur senilis sensus, & prudentia in ætate iuuenili, donum hoc haudquaquam aspernabile; immo fides habenda est ei, qui dicit: Canities autem prudentia est in hominibus. Ea enim senectus prudentię ac sensuum laudem promeretur ampliorem tanto præ eo, qui ad crinium alborem per senilem consistentiam peruenit. Fortasse hoc insinuat scriptum: A vultu cano consurges, & honorabis faciẽ presbyteri. Si quis fuerit ad exemplũ sapientis illius Danielis, corpore quidem iuuenculus, canus vero sensu; vtiq; iustius venit præferendus istis, qui in proposito flagitiosæ, ac petulãtis vitæ consenescentes canitiem ostentant corporis: sicut seniores illi in Babylone inueterati dierum malorum. Quare & ad Danielem adhuc puerulum, qui per sensibilem ætatem erat quidem

38

Pro.20.

Ibid.

Leu.19.

Dan.13.

iunior, at intellectili prudentia canus, transierat donum Presbyterij. *S. Basilius sup. c. 3. Isa. & oratione* 18. *De honore parentibus deferendo.*

De eodem.

39 QVID est Manus cito imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum obedientiæ, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et, quid Communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantē, qualis ille est, qui nō meruit ordinari? *S. Leo epist. 85. dist. 61. c. miramur dist. 78. c. eod.*

2. Ti. 1.

De eodem, & qua ætate.

40 SI quis triginta ætatis suæ annos impleuerit, nullo modo Presbyter ordinetur, etiam si valde sit dignus: quia & ipse Dominus trigesimo anno baptizatus est; & sic cœpit docere. Oportet ergo, eum qui ordinandus est vsque ad hanc ætatem legitimam consecrari. *S. Fabianus Papa, vt refert Iue Carnoten. l. 6. c. 30. non Bonifacius, vt habetur dist. 78. c. eod. iuncto c. Nemo. Concordat Conc. Agathen. c. 17. & Neocæsarien. c. 11. & Toletan. 18. c. 19. Iustin. Imp. nouell. 115. c. 20. Postea vero Zacharias Papa eadem dist. c. Si triginta. sic ait*: Si triginta annorum non reperietur, & necessitas exposcit, à viginti quinque annis sacerdotes ordinentur. *Ita Concil. Trident. Sess. 23. c. 12, & 14.*

Sacerdotis potestas circa quæ, & quę cuique scientia necessaria.

41 SACERDOS habet duos actus, vnum principalem

lem circa corpus Christi verum, & vnum secundarium circa corpus Christi mysticum. Secundus dependet à primo; sed non conuertitur. Et ideo aliqui ad Sacerdotium promouentur, quibus committitur tantum primus actus: sicut religiosi, quibus cura animarũ non committitur, & à taliũ ore non requiritur lex; sed solum, quod Sacramenta conficiant. Et ideo talibus sufficit, si tantum de scientia habeant, quod ea quæ ad Sacramentũ conficiendũ spectant, rite seruare possint. Alij promouentur ad alium actum, qui est supra corpus Christi mysticũ; & à talium ore popul⁹ legem requirit. Vnde scientia legis in eis esse debet: non quidẽ vt sciant omnes quæstiones legis difficiles, quia in his debet ad superiores haberi recursus; sed sciãt, quæ populus debet credere, & obseruare de lege. Sed ad superiores sacerdotes, scilicet Episcopos, pertinet, vt etiam ea quæ difficultatẽ in lege facere possint sciant; & tanto magis, quanto in maiori gradu collocantur. *S. Thom. in 4. dist. 24. q. 1. art. 3.*

De mutatione Laici in Sacerdotem, deq; excellentia, & virtute Sacerdotij.

CVM heri, ac tempore superiori, vnus è multi- 42
tudine ac plebe esset, repente redditur præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorũ latentium præsul; eaque contingunt ei, cum nihil vel forma, vel corpore mutatus; sed, quod ad speciẽ externam attinet, ille sit qui erat, inuisibili quadã vi, ac gratia inuisibilem animã in melius transformatã gerens. Atq; ita ad multas res animaduertens, cõtemnen-

da quidem videbis ea quæ apparent; magna vero, quæ ab illis efficiuntur, &c. *S. Gregor. Nyssen. de sancto baptismate. Vide optimam epistolam S. Siricij Papæ. Et S. Gregor. lib. 4. epist. 50. Gratianus distin. 59. per totam.*

Bigamus non ordinetur, non seditiosus, non vsurarius, non propriarum iniuriarum vltor.

43 BIGAMI pœnitentes, vel repudiatarum mariti ad Sacerdotium non ascendant. *Concil. Aurelianen. de bigam. c. 1. c. de bigamis. c. Nemo. S. Hieron. epist. 50. Item nec seditiosi, nec vsurarij, nec iniuriarum suarum vltores. Concil. Carthaginens. 4. Distinct. 23. c. talis.*

Sacerdos seruare tenetur castitatem.

44 SACERDOTES & Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est; nec præterit dies, qua vel à sacrificiis diuinis, vel à baptismatis officio vacent. *S. Innoc. Papa epist. 2. c. 9. dist. 31. c. tenere. S. Ambros. super epist. ad Timoth. 1. Vide infra, parte 2. c. 5. de Pudicitia. n. 5.*

Votum solenne tantum est illud, quod faciunt ordines suscipientes sacrum, & monachi profitentes.

45 ILLVD solum votum debet dici solenne, quantum ad post contractū matrimonium, dirimendū, quod sollenizatū fuerit per susceptionem sacri ordinis; aut per professionē expressam, vel tacitam, factam

factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. *Bonifacius VIII. de Voto. c. vnico. l. 6.*

Presbyteri, qui parochiis præficiuntur, coram Episcopo profitẽtur castitatem.

QVANDO presbyteri, vel diaconi per parochiias constituuntur, oportet eos professionem Episcopo suo facere: vt caste & pure viuant sub Dei timore; &, dum eos tali professione obligauerit, sanctam disciplinam retineant. *Concil. Toletan. 5. dist. 28. c. 10.* 46

Ne multi clerici passim ordinentur.

NVLLVS Episcopus multitudinem clericorum faciat passim: debet enim secundum redditum Ecclesiarum etiam numerus clericorum moderari. Et siquidem is qui sacrosanctam ædificauit Ecclesiam statuit ab initio numerum clericorum, qui debent in eadem Ecclesia consecrari, ille numerus custodiatur. Sin autem numerus præfinitus non est, neque per amicitiam, neque per gratiam oneranda sacrosancta Ecclesia est; sed moderandus numerus erit cura, & sollicitudine Patriarcharũ, & Metropolitanorum, & aliorum Episcoporum. *Imp. Iustin. nouella 6. c. 8. & in authent. vt determinatus sit numerus clericorum. coll. 1. & de mensura ordinandorum coll. 3. & de sacrosanctis Ecclesiis, c. non plures.* 47

Huius nouellæ constitutionis dispositio (si vnquam alias) hac nostra tempestate maxime videtur obseruanda, in qua videmus miserè sacerdotes contemni, (vt

Epist. 85 etiam de sua conqueritur ad Euagrium Hieronymus) ex nimia illorum multitudine, quæ solet vilipendium gignere: sicut ex aduerso cuiuslibet rei raritas pretium, æstimationemque parit. Quo fit, vt, si vnum è duobus daretur mihi, crederem fore Deo gratius, Christianæq; Republ. vtilius, plura beneficia vni Sacerdoti, docto, prudenti & pio conferri propter sacerdotum paucitatem; quam singula singulis ineptis dari, vt omnibus illis satisfiat. Cum scriptum sit: Non concupiscit Deus multitudinem filiorum infidelium, & inutilium; & ne iucunderis in filiis impiis, si multiplicentur; nec oblecteris super ipsos, si nõ est timor Dei in illis: melior est enim vnus timens Deum, quam mille impij: & ab vno sensato inhabitabitur patria, & à tribus impiis deseretur. De quo S. Clemens ep. 2. ad Iacobum fratrem Domini. distinct. 23. c. talis. Et querulis tot ordines ambientium vocibus possent sanctissimi Episcopi opponere, præter alias multas antiquorum Patrum traditiones, nouissima Sacrosancti Concilii Tridentini decreta: quæ si ad vnguem obseruentur, pauciores sine dubio ad ordines prouehentur; maxime si non nisi per temporum interstitia tam minores, quam maiores ordines conferantur: si ita de ordinandi ætate, genere, & moribus inquiratur; vt, non nisi cuius probata vita senectus sit admittatur, cuiusque scientiæ spes maioribus ordinibus dignum non ostenderit, ac tam crebra Corporis Christi communio, quam Ecclesiæ, cui adscriptus fuerit, frequens ministerium commendet. Videtur etiam ad id non fore inutile, si Prælati subditos ad alium Episcopum ordinandos nisi vrgenti de causa minime transmittant-

Eccli. 15 16. de ætat. & qual. c. cum sit.

mittant; neque in sua quisque diœcesi pluries, quã semel in anno, ordinationes sacras celebrent: quas olim solo mense Decembri peragi solitas vsque ad Papam Simplicium (qui fuit à S. Petro quadragesimus nonus) testantur eius acta, & Amalarius Fortunatus l. 2. de Eccles. off. cap. 1. & Micrologus de Eccle. obseru. c. 28. Licet S. Leo ep. 7. ad Dioscorum Alexandriæ Episcopũ solo Sabbatho sancto, aut Paschæ die celebrari constituerit. Quibus quidem diebus paucissimos sacris initiari consueuisse satis notum est illis, qui veterum Romanorum Pontificum vitas perlegerint. Adde quod propositæ rationi maxime cõducere, valdeq; necessarium fore videtur, si exigatur ab ordinãdis vel amplius, quã ante hac, patrimoniũ vel pinguius beneficium, vt in summa temporis huius rerum omnium caritate potius cum filio frugi in domo patris sui abundent panibus; quã cũ perdito adolescẽtulo fame perire, ac mẽdicare cogãtur. Quorum omnium difficultas, tẽporis videlicet prolixitas, seuerum scientiæ examen, ac diligens natalium, facultatũ, ac morum exploratio quamplurimos ab ambiendis ordinib. deterrebit; stabũtq; in acie, nec ab incepto desistent illi solũmodo, quorum vndiq; probata virtus, & constans animi desideriũ ad tantã dignitatẽ à Domino vocatos esse testentur. Quod quidẽ minus durũ videbitur illi, qui attente consideret terminos antiquos, quos posuerunt nobis Patres nostri ad sacerdotium per ordinum gradus ascensuris. E quibus, præter alia, quæ superius adduximus, testimonia, vnicum hic proferre libet ex Synodo Romana sub Syluestro, quod huic digreßiunculæ finem dabit. Vt nullus, inquit, ex laica

Luc. 15.

Pro. 22.

per

persona ad honorem Acolyti vsque ad Episcopatum subleuaretur, nisi prior fuisset Lector annis triginta. Deinde vno die Exorcistæ, & postea caperet onus Acolyti, & faceret in eodem ordine Acolyti annos decem, vt acciperet onus Subdiaconi, & in Subdiaconatu esset annos quinque, deinde ad Diaconatus honorem pertingeret fixus rogantibus triginta presbyteris examen, vt esset Subdiaconus Cardinalis: quia à prima Sede erat constitutum, vt seruiret annos septem. Hoc enim, quod si quis desideraret ordinem presbyterij, ita exigeretur, vt in septem annis à cuncto Clero Romano probaretur doctrinæ, natiuitatis, generositatis; & consilio non expetens prædam à quoquam, opinione clara omnes presbyteri declararent, & firmarent: & sic ad ordinem presbyterii accederet, & faceret in eodem annos tres. *Ita Synodus Romana sub Siluestro c. 11. Addi possunt ad idem duo Decreta, Zosimi, & Siricij, Summorum Pontificum, quæ habentur apud Gratianum dist. 77. c. in singulis, &c. quicumque. Et epistolæ duæ S. Cypriani: Vbi videre est, quanti faciat Lectoratus officium (quod inter quattuor minores ordines est secundum) vt, propter multorum vulnerum cicatrices, & illustres agones, quos pro fide Christi in corpore suo perpessi fuerant Sancti Aurelius & Celerinus Confessores, in Lectores illos ordinare sufficiens præmium esse iudicauerit.*

L. 2, ep. 1.

L. 4, ep. 5.

DE

CAPVT II.

DE OFFICIO, DIGNITATE, POTESTATE, IMMVNITATIBVS, ET PRIVILEGIIS SACERDOTVM,

DEQVE OBEDIENTIA, AC DEBITO HONORE ILLIS DEFERENDO.

De Officio, Dignitate, & Potestate Sacerdotum, §. 1.

SVMMARIVM.

CERTÆ c rporis partes tingebantur sanguine sacerdotibus veteris Legis; eisque dabantur ex victimis certæ particulæ, & in vestibus quidã colores, & ornatus adhibebãtur in officij sui significationem; & ministrabant omnia, quæ intra velum erãt. 1.3.7.25.26.28.

Erant Iudices, & Principes populi. 2.4.7.

Ad eorum exemplum Sacerdotes nouæ Legis iudicant de laicis, & de causis Christianorum. 69.70.

Inunguntur in consecratione sua oleo, & quare. 27.

Vocantur Presbyteri, quod est nomen dignitatis, & Sacerdotes, quod est nomen officij. 10.11.40. & Clerici. 50.

Olim

Olim Episcopi vocabantur. 41.
Aliquando Angeli, aliquando Dij, aliquando Apostoli Ecclesiarum, & Reges, atque in eorum similitudinem habent coronam in capite. 44.45.50.
Et tamen præferuntur Regibus. 51.52.53.54.
Septuaginta discipulorum figuram gerunt. 41.42.43.
Non multum differunt ab Episcopis. 46.47.48.49.
Sed multum à reliquis hominibus. 55.56.
A Deo sunt nimis honorati, & maxima potestas, & excellentia eiis tributa. 5.6.8 57.58.59.60.61. 62.63.64.65.66.67.68.
Præcipue potestas Clauium ab ipso Christo illis concessa, quam neque Virgini matri, neque Angelis dedit. 18. 19.20.21.
Eorum officium est, orare, prædicare, consecrare, & dispensare Sacramenta. 23.24.
Nulli nocere, omnibus prodesse. 30.
Episcopo suggerere, vt subueniat indigentibus. 34.
Debent esse pacifici, fideles, misericordes. 32.33.
Medij inter Deum & homines, benigni, mites, casti, sobrij 36.37.38.39.40.
Eorum arma, lectio, & oratio. 29.50.
Quadripartitum est eorum officium in altari. 16. 17.
Legem Dei & multa alia scire, facere & docere tenentur. 13.14.15.22.43.
Et quotannis officij sui rationem Episcopo reddere. 35.
Secretarium quid. 9.

I CVM immolaueris arietem, sumes de sanguine eius, & pones super extremum auriculæ dexteræ Aaron, & filiorum eius, & super pollices manus

manus eorum, ac pedis dextri. *Exod.* 29. *Hac cærimonia significare videtur Dominus daturos Sacerdotes pœnas sanguinis, si negligentes fuerint in audiendis mãdatis eius, aut in ministeriis suis exequẽdis. Oleaster.*

Accedent Sacerdotes filii Leui, quos elegerit 2
Dominus Deus tuus vt ministrent, & benedicant in nomine eius; & ad verbum eorum omne negotium pendet, vt, quidquid mundum, vel immundum est, iudicetur. *Deut.* 21.

Ingressus est post Oziam Azarias Sacerdos, & 3
cum eo Sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi, restiteruntque Regi, atque dixerunt: Non est tui officii Ozia, vt adoleas incensum Domino; sed sacerdotum, qui congregati sunt ad huiusmodi ministerium. Egredere de sanctuario, ne contempseris; quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus, statimque orta est lepra in fronte eius corã Sacerdotibus in domo Domini, & festinato expulerunt eum. 2. *Par.* 26.

Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri 4
in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquiũ vestrum corda eorum erigite, vt memores sint, &c. *Iudith* 9.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, 5
Deus: nimis confortatus est principatus eorum. *Psal.* 138.

Ego posui te quasi plaustrũ triturans nouũ ha- 6
bens rostra serrãtia: triturabis mõtes, & cõminues:

& col-

& colles quasi puluerem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo dispergeteos: & tu exultabis in Domino, in sancto Israël lætaberis. *Isa.* 41.

7 Sacerdotes autem, & Leuitæ filii Sadoc, qui custodierunt cærimonias sanctuarij mei cum errarent filii Israël à me, ipsi accedent à me vt ministrent mihi: & stabunt in conspectu meo vt offerant mihi, &c. Cumq; ingredientur portas atrii interioris, vestibus lineis induentur; nec ascendet super illos quidquam laneum, &c. Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis, in quibus ministrauerant, & reponent ea in gazophylacio sanctuarii, & vestient se vestimentis aliis: & non sanctificabũt populum in vestibus suis, &c. Et populum meum docebũt, quid sit inter sanctum & pollutum, &c. Et cum fuerit controuersia, stabunt in iudiciis meis, & iudicabunt. *Ezech.* 44.

8 Arma militiæ nostræ non carnalia sunt; sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, &c. 2 *Cor.* 10.

Admonitio de Sacerdotum officio.

9 FRATRES carissimi, consacerdotes, & cooperatores nostri, nouit fraternitas vestra, nos, licet indignos, locũ tenere Aaron, vos autem Eleazari, & Ithamari; nos fungi vice duodecim Apostolorum

ſtolorum, vos autem ſeptuaginta duorum diſcipulorum; nos paſtores veſtros eſſe, vos autem animarum vobis commiſſarum; nos de vobis; vos autem de plebibus vobis commendatis Domino noſtro Ieſu Chriſto rationem eſſe reddituros: vt in die tremendi iudicii inter bonos diſpenſatores inueniamur. Et ideo, cariſſimi, videte periculum veſtrum. Admonemus itaque, & obſecramus fraternitates veſtras, vt, quæ vobis ſuggerimus memoriæ commendetis, & opere exercere ſtudeatis.

In primis igitur admonemus, & obſecramus fraternitatem veſtram, vt vita & conuerſatio veſtra ſit irreprehenſibilis.

In domibus veſtris mulieres non cohabitent.

Omni nocte ad nocturnas horas ſurgite.

Officium veſtrum horis certis decantate.

Nullus veſtrum, niſi ieiunus Miſſam celebret; & non in veſtibus cõmunibus, ſed ſacris, amictu, alba, cingulo, manipula, ſtola, & caſula, veſtimẽtis nitidis, quæ ad alios vſus non ſeruiãt, parati.

Deuote & religioſe celebrate &, corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omni reuerentia & tremore ſumite.

Corporalia & pallę ex lino fieri debent, & ſint mũdiſſima. Quæ, & alia lintea, ac vaſa propriis manibus abluite, & extergite diligenter.

Altare ſit coopertũ mundis linteis, ſaltem tribus diuerſis; ad quod nulla femina accedat, aut calicẽ tangat: & ſuper altare nihil ponatur, niſi reliquiæ, ac res ſacræ, & pro ſacrificio opportunę.

Missalia, Gradualia, Lectionaria, & Antiphonaria sint completa & perfecta.

Ecclesiæ vestræ bene sint coopertæ & mundæ.

In sacristiis siue *a* secretariis, aut iuxta altare maius, sit locus aptus ad infundendam aquam ablutionis corporalium, & linteorũ, ac vasorum, & aliarum rerum sacrarum, ac manuum, postquam sanctum chrisma, aut oleum catechumenorum, vel infirmorum tractaueritis: ibiq; pendeat vas cum aqua munda pro lauãdis manibus sacerdotum, & aliorum, qui rem sanctam & officium diuinum sunt peracturi, & prope sinteum mundum ad illas abstergendum.

Atria Ecclesiæ sint bene munita.

Nullus Ecclesiam, ad quam intitulatus est, dimittat, & ad aliam quæstus gratia se tranferat.

Nullus plures Ecclesias sine titulo, & contra sacrorum canonũ dispositiones, nanciscí præsumat.

Nullatenus ẽt vna Ecclesia inter plures diuidatur.

Nullus extra Ecclesiam in locis non consecratis, aut calcaribus indutus, vel cultellis extra pendentibus, celebret.

Nullus alterius parochianum, nisi itinerantem, & tunc de rectoris sui licentia, ad communionem recipiat.

Nullus in alterius parochia absq; propríi Sacerdotis licentia celebret.

In celebratione quisq; calicẽ, & oblata non circulo aut digitorum vacillatione, vt quidam faciunt, sed iunctis, & extensis digitis Cruce signet. sicq; benedicat.

Calix

Calix & patena sint aurei, vel argentei, non ærei, aut aurichalcei, vitrei, vel lignei.

Quisque presbyter clericum habeat, vel scholarem, qui cum eo psalmos cantet, epistolam & lectiones legat, & in Missa respondeat.

Ipse quoque presbyter infirmos visitet, & reconciliet, & iuxta Apostolum propria manu communicet, & oleo sancto inungat.

Nullus præsumat tradere communionem laico, aut feminæ, ad ferendum infirmo.

Nullus pro baptizandis infantibus, siue adultis, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium, vel munus exigat.

Per negligentiam vestram nullus infans sine baptismo, & adultus sine communione pereat.

Nullus vestrum sit ebriosus, aut litigiosus.

Nullus arma ferat.

Nullus canum aut auium iocis inseruiat, seu in tabernis bibat.

Quisq; vestrum, quantũ sapit, de Euangelio Dominico & cæteris festiuis diebus suæ plebi an-
Verbum Domini prædicate. (nuntiet.

Curam pauperum, & peregrinorum, viduarum, & orphanorum habete, ipsosque peregrinos ad prandium vestrum vocate.

Estote hospitales, aliis exinde bonum exemplum præbentes.

Singulis diebus Dominicis ante Missam, aquã qua populus aspergatur, benedicite; ad quod proprium vas habetote.

Vasa sacra, aut vestimenta sacerdotalia, nolite negotiatori aut tabernario in pignus dare.

Minus digne pœnitentem cuiuscunque rei gratia ad reconciliationē non adducite; nec ei reconciliationis testimonium perhibete.

Vsuras non exigite.

Facultates vestras post ordinationem vestram acquisitas ne alienate, quoniam Ecclesiæ sunt.

Nullus res, possessiones, aut mancipium Ecclesię vendere, commutare, aut quocumque ingenio præsumat alienare.

Nullus decimam alterius recipiat.

Nullus pœnitentē carnem manducare, aut vinum bibere inuitet, nisi pro eo tunc eleemosynam fecerit.

Quisq; fontes baptismales lapideos habeat bene mundos; quos si habere non poterit, vas aliud ad hoc opus solum deputatum teneat.

Omnibus parochianis vestris Symbolum, & Orationem Dominicam, & ieiunia quattuor temporum, & alia Ecclesiæ mandata significate obseruanda.

Ante Quadragsiemam quarta feria populum ad confessionem admonete, & cōfessis iuxta qualitatem criminum pœnitentiam iniungite.

Tribus temporibus in anno, id est, Natali Domini, Paschæ, & Pentecostes, omnes fideles accedere ad communionem Corporis Domini nostri Iesu Christi inuitate: & ne desit qui, saltem in Pascha, communicet.

Cer-

Certis temporibus coniugatos ab vxoribus abstinere exhortamini.

Nullus vestrum rubeis, aut viridibus vestibus vtatur.

Diem Dominicum & cæteras festiuitates absque opere seruili à vespere ad vesperam celebrare docete.

Cantus & choreas mulierum in atrio Ecclesiæ fieri prohibete.

Incantationes super mortuos, nocturnis temporibus à vulgo fieri consuetas, sub obtestatione Dei omnipotentis, vetate.

Cum excommunicatis nolite communicare: ne quis vestrum cum eis, vel eorum præsentia celebrare præsumat. Quod etiam plebi nuntiate.

Et quod nullus ex plebe vxorem domum ducat, nisi prius nuptiæ temporibus ab Ecclesia permissis publice fuerint celebratæ.

Quod nullus ad raptam, vel consanguineam accedat, aut alterius spõsam ducat, omnibus prohibete.

Porcarios, & alios pastores saltem Dominica faciatis vocari ad Missam.

Patrinos, vt filios suos Symbolum & Orationem Dominicam doceant, aut doceri faciant, exhortamini.

Sacramentum Eucharistiæ, sanctum Chrisma, & Oleum catechumenorum, ac sanctum, seu infirmorũ, in Ecclesia in loco mũdo, condecenti, & securo, sub sera & fida custodia diligẽter seruate,

Quisque vestrum expositionem Symboli & Orationis Dominicæ, iuxta orthodoxorũ Patrum traditiones, penes se habebat; easque, ac orationes Missarum, & Epistolas, & Euangelia, & Canonem bene intelligat; ex quibus prædicando populum sibi commissum sedulo instruat, maxime non bene credentem.

Introitum Missæ, Orationes, Epistolam, Graduale, Euangelium, Symbolum, &c. non secreta; sed alta, & intellgibili voce proferat. Secretas vero, & Canonem morose, at distincte, submissa voce legat.

Psalmorum verba, & distinctiones regulariter cum cãticis cõsuetis intelligibiliter pronuntiet.

Symbolum Athanasij de Trinitate, & fide Catholica memoriter teneat.

Exorcismos, & orationes ad catechegumenos faciendos, & reliquas preces super masculum & feminam pluraliter, vel singulariter respectiue distincte proferat.

Ordinem baptizandi, & ad succurrendum infirmis, reconciliationis, & commendationis animæ & in agendis exequiis defunctorum, iuxta modum Canonicum obseruet.

Exorcismos, & benedictiones salis, & aquæ pertinentes legat.

Cantieum diurnum & nocturnum sciat.

Computum etiam minorem adinueniendũ litteram Dominicalem, tempus interualli diei Paschæ, & maiorẽ mobilium festorũ non ignoret.

Mar-

Martyrologium integrum habeat, vt per hæc, & alia opera bona, vno cum populo vobis credito perpetua beatitudine perfruamiui; præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen. *Ex Sacerdotali Rom. l. 1. c. 13. Vide apud Burchardum in admonitione in Sinodo facienda à Diacono finito Euangelio.*

a Secretarium] *erat locus, in quo vasa sacra ponebãtur, vbi solis Diaconis, aut acolytis licebat ministeria, aut vasa sacra contingere: vt colligitur ex Decreto Martini Episcopi Bracharensis, qui confecit quædam Conciliorum collectanea. non Papæ, vt male allegatur à Gratiano dist. 23. c. non liceat pen. de quo Seuerus Sulpicius in vita S. Martini. Videtur esse idem quod Sacrarium, de quo infra c. 4. §. 1. nu. 41. Fuit etiam aula, in quam iudices cõueniebant ad ius dicendũ: vt videre est l. 2. c. de proximis sacrorum scriniorum. lib. 12. & in Pontio Diacono de passione S. Cypriani.*

Nomen Presbyter quid sit.

Vocabulum Presbyter Græcè, significat Latine Senior: & est nomen dignitatis, vnde vulgo dicimus, Sennor. Quod de dignitate tantum Sacerdotali videtur descẽdere. *Concil. Colon. de sacram. Ordinis. Vide ep. 2. S. Anacleti ad Episcopos Italiæ. Distinct. 84. c. porro.*

Nomen Sacerdos quid sit.

Vide infra, Proprium officium. *nu.* 40.

Et quid Clericus.

11 VIDE *infra* Duo sunt. *num.* 50.

Sacerdotis est scire legem Domini.

13 INTERROGA Sacerdotes legem, dicit Aggæus propheta. Considera, Sacerdotum esse officii de lege interrogatos respondere. Si sacerdos est, sciat legem Domini. Si ignorat legem, se arguit non esse Domini Sacerdotem: Sacerdotis enim est, scire legem, ad interrogationem respondere de lege, &c. *Consil. Paris. c.* 12. *ex S. Hieron.*

Sacerdos officium suum opere demonstret.

14 NIHIL excellentius in hoc seculo sacerdotibus: & cum dignitatem eorum oculis demonstramus, vt digne noscamus quid sumus, & quid sumus professione, actione potius, quam nomine demonstremus: vt nomen congruat actioni, & actio respondeat nomini; ne sit nomen inane, & crimen immane; ne sit honor sublimis, & vita deformis; ne sit religiosus amictus, & irreligiosus, profectus; ne habeatur in Ecclesia cathedra sublimior, & conscientia Sacerdotis reperiatur humilior, &c. *S. Ambros. de dignit. sacerdot. c.* 3.

Sacerdos qualiter cardinales virtutes exercere debeat.

15 MEDIOCRE ne putes quod tibi commissum est. Primum, vt alta Dei videas: quod est sapientiæ. Deinde, vt excubias pro populo deferas: quod est iustitiæ. Castra defendas, tabernaculumque tuearis:

tuearis: quod est fortitudinis. Teipsum continentem ac sobrium præstes: quod est temperantiæ. *Idem Ambros. de Offic. l. 1. c. fi.*

Sacerdotis officium in altari, quale mystice.

QVADRIPARTITVM est officium Sacerdotale. 16
Viuam carnis hostiam immolare: quod Leuiticum est. Virtutum Charismata Deo offerre: quod est incendere aromata, & filiorum Aaron est. Cum feruore martyrij cœlum intrare: quod est introire cum sanguine sancta sanctorum. Gratiæ & precum vota cælo transfundere: quod est panem & vinum Deo offerre. *S. Bernard. in Sentent.*

De eodem.

AD Presbyteros pertinet sacrificium corporis, 17
& sanguinis Domini in Altari Dei conficere, orationes dicere, & benedicere dona Dei. *S. Isidor. dist. 25. c. Perlectis.*

Sacerdotibus à Christo potestas Clauium collata.

DOMINVS noster Iesus Christus, ascensurus ad 18
cælos è terris, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides & iudices, ad quos mortalia crimina deferuntur, in quæ Christi fideles ceciderint; quo, pro potestate Clauium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. *Concil. Trident. Sess. 14. c. 5.*

Apostolis commisit Dominus Claues Regni cælorum: non Virgini Mariæ, licet sanctiori.

19 LICET Beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis vniuersis; non tamen illi, sed istis Dominus Claues Regni cælorum commisit. *Innoc. 3. de pœnit. & remiss. c. noua quædam.*

Munus Spiritus sancti est officium Sacerdotis.

20 VIS autem Spiritus sancti in soluendis, ligandisq; criminibus est. *S. Ambros. de pœnit. c. 2.*

Sacerdotibus maxima potestas à Christo tradita, & quæ Angelis non est concessa.

21 QVI terram incolunt atque in ea versantur, iis commissum est, vt ea quæ in cælis sunt dispẽsent: iis datum est, vt potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis, datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est: *Mat. 16.* Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem; sed corporum solum. Id autem, quod dico, Sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos vsque peruadit; vsque adeo, vt, quæcumque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus super-

superne rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet. Quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? Quorumcumq; enim, ait, peccata retinueritis, retenta sunt. Quænam obsecro, potestas hac vna maior esse queat? Pater omnifariam filio potestatem dedit. cæterum video ipsam omnifariam potestatem à Deo filio sacerdotibus traditam. Nam, quasi iam cælo translati, ac supra humanam naturam positi, atq; nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum illum perducti sunt. *S. Chrysost. de sacerd. l. 3.*

Sacerdotis est facere, & docere.

PRESBYTERI officium cælestem quandam vitam requirit: primo purgari, deinde purgare; sapientia instrui, & sic alios sapiētes reddere; lumen fieri, & alios illustrare; accedere ad Deum, & alios adducere; sanctificari, & aliis sanctitatem afferre. *S. Gregorius Nazianz. in Apologet.* 22

Sacerdotis est, prædicare, consecrare, dispensare sacramenta, orare.

PRESBYTERORVM officium in primis in prædicatione verbi; deinde in conficiendo corpore, & sanguine Dominico, & cæteris sacramentis administrandis; (Confirmationis tamen, & Ordinis, quæ solus Episcopus ob Ecclesiæ vnitatē retinendā administrat, exceptis) deniq; in orando Deum pro totius Ecclesiæ, & populi Christiani prosperitate situm est, &c. *Conc. Colonien. de sacram. Ordinis.* 23

De

De exemplo, prædicatione, & integritate Sacerdotis.

24 GRAVE pondus est Sacerdotij. Prius quippe est Sacerdoti necesse vt cæteris ad exemplum viuat, ac deinde seruandum, vt mentem per ostensa exempla non eleuet. De ministerio prædicationis semper cogitet, intentissimo timore considerans, quod recessurus ad percipiendum regnum Dominus, & talenta seruis distribuens dicat: Negotiamini dum venio. Quod profecto negotium tunc vere nos agimus, si viuendo, & loquendo proximorum animas lucramur; si infirmos quoque, cælestis Regni gaudia prædicando, in superno amore roboramus; si proteruos ac tumidos, gehennæ supplicia terribiliter insonando, flectimus; si nulli contra veritatem parcimus; si supernis amicitiis dediti humanas inimicitias non timemus, &c. *S. Gregor. in Reg. l. 2. c. 39.*

Luc. 19.

Pectusculum, Lingua, & Ventriculus, quæ accipiebant ex victimis Sacerdotes veteris legis, quid mystice.

25 VETERIS legis Sacerdotes accipiebant ex victimis Pectusculum, Linguam & Ventriculum. In Pectusculo significabatur bona conscientia. In Lingua sancta confessio; vt, quod corde credimus ad iustitiam ore confiteamur ad salutem. In Ventriculo quoq; nihil habere mortiferum; sed quod nostram vitam sustentet, ac vegetet: nisi enim cibi in ventriculo concoquantur, & eorum succo

Ro. 10.

corpus

corpus irrigetur, attenuatum viribus caret, & fertur in mortem. Vel Pectusculum significat doctrinam, quæ debet esse in Sacerdotibus, ex quorum ore requirunt legem, &c. *S. Hieron. sup. c. 2. Malach.*

Aurum, Hyacinthus, & Purpura, in Sacerdotalibus vestimentis, quid mystice.

IN Sacerdotis habitu Aurum fulget, dum intellectu sapientiæ emicat. Cui Hyacinthus, qui aêrio colore resplẽdet, adiũgitur; scilicet, vt omne quod tractat ad amorem cælestium surgat. Huic admiscetur Regalis purpura, vt suggestiones vitiorum, veluti ex potestate Regia, comprimat. *Ven. Beda sup. Exod. c. 56. S. Gregor. Pastoral. p. 2. c. 3. & lib. 1. Reg. cap. 24. & inf. p. 2. c. 3. §. 2. de grauitate, auro, & hyacintho. num. 12.* 26

Vnctio in Sacerdote, quid.

HABEAT Sacerdos in vnctione sua oleum, habeat misericordiam abundantem, quæ sibi virtutibus aliis præferatur. Habeat oleum, vt, dum ardorem sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehementer aliis per verbum possit. Habeat nihilominus oleum medicinæ, vt sapienter disponat, qualiter peccatorum fetores tergat, & ægras mentes saluti restituat. *Idem S. Gregor. sup. lib. 1. Reg. l. 9.* 27

Multi Sacerdotes nomine, sed pauci merito: & quid aurea Lamina Sacerdotis capiti imposita.

ALIVD arbitror esse in Sacerdotibus, officio fungi; aliud, esse instructum, & ornatum: quisq; enim 28

enim potest solemni ministerio fungi ad populum; pauci tamen sunt, qui ornati moribus, instructi doctrina, sapientia eruditi, ad manifestandam rei veritatem sint idonei, & qui scientiam fidei non sine ornamento sensuum & assertionum fulgore depromant. Quod aureæ Laminæ capiti impositæ designat ornatus. Vnum igitur Sacerdotis nomen; sed non vna, vel pro vitæ merito, vel pro animæ virtutibus, dignitas, &c. *S. Cyrill. Alex. Leuit. l. 6. vel potius Origenes, cuius est illud opus.*

Sacerdotis arma, Lectio, & Oratio.

29 PRESBYTERI, oportet assiduitatem vos habere legendi, & instantiam orandi: quia viri iusti vita lectione instruitur, oratione ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo à peccato; iuxta illum *Psa. 118.* qui dicebat: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Hæc sunt enim arma, videlicet, Lectio, & Oratio, quibus diabolus expugnatur: Hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur: his armis vitia reprimuntur. His alimentis virtutes nutriuntur. Sed &, si quando à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, &c. *Vt inf. p. 2. c. 12. de occupatione Sacerdotum. S. August. vt per Burchardum l. 2. c. 100. Iuo. p. 6. c. 177.*

Sacerdotis est, nulli nocere, omnibus prodesse.

30 SACERDOTIS est, nulli nocere, prodesse velle omnibus; posse autem, solius est Dei, &c. Propo-

sita

sita igitur forma in Sacerdotis officio teneatur, vt nulli noceat, ne lacessitus quidem, & aliqua iniuria offensus. Quæ enim est gloria, si eum non lædimus qui nos non læserit? Sed ea virtus est, si læsus remittas. S. *Ambros. de Offic. l. 3. c. 9. de postulando. c. fi. 14. q. 5. c. denique.*

Sacerdos sit pacificus.

SACERDOTES turbarum moderatores sunt, studiosi pacis; nisi cum & ipsi mouentur iniuria Dei, aut Ecclesiæ contumelia. *Idem S. Ambros. l. 5. ep. 29.* 31

Sacerdos sit fidelis minister.

MINISTERIVM Sacerdotis est, fidelem esse, vt possit eos, quorum est Sacerdos, liberare à peccatis. *Idem S. Ambros. sup. ep. ad Hæbreos c. 2.* 32

Sacerdos sit omnibus miseris cõpatiens.

PRESBYTERI simplices sint in omnes, in omnibus misericordes, omnes ab errore conuertentes, infirmos visitantes, viduas, pupillos, pauperes non negligentes. *S. Polycarp. epist. ad Philippens.* 33

Sacerdotis est, Episcopus suggerere, vt subueniat indigentibus.

QVI officium Sacerdotis gerit, aut dispensatoris, suggerat Episcopo, ne reprimat si quem positum in egestate aliqua cognouerit; aut deiectum opibus ad inopię necessitatem redactum; maxime si non effusione adolescentiæ, sed direptione alicuius, & amissione patrimonij, in eam reciderit iniuriam, vt sumptũ exercere diurnum non queat. *S. Ambros. de Offic. l. 2. c. 15.* 34

Sacra-

Sacerdos quotannis ratione reddat Episcopo ministerij sui.

35 VNVSQVISQVE presbyter per singulos annos Episcopo suo rationem ministerij sui reddat tam de fide Catholica, quam de baptismo, atque ordinatione ministerij sui. *Conc. Moguntin. c. 20. Iuo p. 6. c. 246.*

Aliqua peculiaria officij Sacerdotalis.

36 BONI Sacerdotes sancta sunt vasa cælestibus repleta donis: hi Dominum Iesum suis impressum atque insculptum cordibus gerunt, eius passionem, mortem, fidelitatem, & amorem in sua memoria exercent: medij intercedunt inter Deum ac miseros peccatores: sunt benigni, humani, ac mites erga omnes opis ipsorum indigos: sunt item casti, ac mundi in anima, & corpore: sobrij quoq; sunt, ac moderati in omnibus vitæ sustentandæ necessariis: Iesum excruciatum & ex amore mortuum cælesti eius patri pro cunctis viuis & defunctis offerunt: intima cum deuotione precantur & poscunt omnipotentē Deum pro omni Sanctæ Ecclesiæ vtilitate, ac necessitate: nulli placere speciatim appetunt alicuius rei temporariæ, aut solatij obtinendi causa; & in commune honorem Dei, & mortalium omnium salutem desiderant. *Ludou. Blosius in farragine institutionum ex Io. Rusbrochio.*

De eodem.

37 INTER diuinam & humanam naturam Sacer-

dotium

dotium velut medium interiectum est; vt illā colat, atq; obseruet; hanc autē in melius commutet. *S. Isidor. Pelus. l. 3. epist. 2. S. Hieron. hom. 5. sup. c. 1. Isai.*

De eodem.

CVM sanctæ plebis Sacerdotes per mandata sibimet data legatione funguntur apud Diuinam clementiam, humani generis causam, totamque secum Ecclesiam aggregantes, atque congemiscentes, postulant & precantur, vt fidelibus daretur fides, &c. *S. Io. Chrys. hom. de Adam & Eua.* 38

De eodem, ac de vtilitate, quæ nobis per Sacerdotes confertur.

SACERDOS apud Deum tui patrocinium suscipit, & te defendit; & ei non habes gratiam. Et quomodo, inquis, me defendit? quoniam pro te precatur: & dono, quod tibi per baptismum datur, inseruit, visitat, hortatur, & monet; & media nocte, si vocaueris, venit. Tu quidem habes vxorem, & te exples deliciis, & vitam sectaris deditam mercaturæ: Sacerdos autem in hoc suum contulit negotium. Nulla est alia vita, quam vt versetur in Ecclesia. Per eos regenerati estis æterna regeneratione: Per ipsos vobis portæ cælorum aperiuntur. Qui Christum diligit, cuiusmodicunque sit Sacerdos, eum diligit; quod per eum sit venerandā assecutus sacramenta, &c. *Idem S. Chrysost. hom. 10. sup. epist. ad Thessalon.* 39

De eodem, & quid sit nomen Sacerdos.

40 PROPRIVM officium Sacerdotis est, esse mediatorem inter Deum & populum, in quantum scilicet diuina populo tradit. vnde dicitur Sacerdos, quasi Sacra dans: secundum illud: Legem requirunt ex ore eius. Et iterum, in quantum preces populi Deo offert, & pro eorum peccatis Deo aliqua-
Mal. 2. liter satisfacit. Vnde Apostolus dicit: Omnis Pon-
Heb. 4. tifex ex hominibus assumptus pro hominibus cõstituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. *S. Tom. p. 3. q. 22. art. 1.*

Presbyteri septuaginta duorum discipulorum figuram gerunt; licet in primitiua Ecclesia etiam vocarentur Episcopi, & è contra.

41 SICVT duodecim Apostolos formam Episcoporum exhibere simul, & præmonstrare nemo est qui dubitet: sic & hos septuaginta duos figuram Presbyterorum, id est, secundi ordinis sacerdotum gessisse sciendum est. Tametsi primis Ecclesiæ temporibus, vt Apostolica scriptura testis est, vtrique Persbyteri, vtriq; vocabantur Episcopi. Quorum vnum sapientiæ maturitatem, alterum industriam curæ pastoralis significabat. *Ven. Beda sup. Luc. l. 1. c. 10. S. Clemens ad Iacobum fratrem Domini. S. Anacletus ep. 2. ad vniuersos Italiæ Episcopos. c. 2. & ep. 3. c. 1. S. Leo ep. 88. Innocent. 3. l. 1. de mysterio altaris. c. 6.*

De

De eodem.

VIDENTES Apostoli messem esse multam, & operarios paucos, rogauerunt Dominum messis, vt mitteret operarios in messem suam. Vnde ab eis electi sunt septuaginta duo discipuli, quorum typum gerunt Presbyteri, atq; in eorum loco sunt in Ecclesia constituti. *S. Anacletus ad Episcopos Italiæ epist. 2. dist. 21. c. in nouo. S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 6. ad 1. q. 188. art. 4. ad 5. p. 3. q. 67. art. 2. ad 2.* 42

De eodem, ac de eorum officio, ac dignitate.

Vos Presbyteri nosse debetis, & sæpe meminisse, quia nos, quibus regendarum animarum cura commissa est, pro iis, qui nostra negligentia pereunt, rationem reddituri sumus: pro iis vero, quos verbis & exemplis lucrati fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus. Nobis enim à Domino dictum est: Vos estis sal terræ. Quod si populus fidelis cibus est Dei, eiusdē fidei condimentū nos sumus. Scitote vestrū gradū nostro gradui secundum, & pæne coniunctū esse: sicut enim Episcopi Apostolorū in Ecclesia, ita nimirū Presbyteri cæterorum discipulorū Domini vicem tenent. Et illi tenent gradū summi pastoris Aaron; isti vero filiorū eius. Vnde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis: vt nec ab eadē dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro vnguento delibutas peccando polluatis; sed, cor- 43 *Mat. 5.*

dis & corporis munditiam conseruantes, plebibus exemplum bene viuendi præbentes, iis quibus præestis ducatum ad cælestia regna præbeatis. *Burchardus l. 2. c. 55. ex S. Augustino. Iuo p. 6. c. 151.*

Sacerdotes Dij appellantur.

44 DOMINVS in lege præcepit: Diis non detrahes
Exo. 22. Sacerdotes intelligens, qui propter excellentiam ordinis, & officij dignitatem Deorum nomine nuncupantur. *Innoc. 3. de Hæret. c. cum ex iniuncto.*

Sacerdotes Apostoli Ecclesiarum dicuntur.

45 SACERDOTES & suo, & Apostolorum loco funguntur propter quod etiam Ecclesiarum Apostoli nominantur. *S. Hieron. sup. epist. 1. ad Cor. c. 1.*

Episcopalis, & Sacerdotalis officij non magna differentia.

46 POSTQVAM de Episcopis dixit Paulus, eosque
1. Ti. 3. formauit, quidnam illos habere conueniat, à quo item abstinere necesse sit dictans; omisso item Presbyterorum ordine, ad Diaconos transiit. Cur id, quæso? Quia scilicet inter Episcopum atque Presbyterum interest ferme nihil. Quippe, & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est; &, quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt: sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atq; hoc tantum plusquam Presbyteri habere videntur. *S. Chrysost. sup. epist. 1. ad Tim. c. 3. S. Hieron. epist. ad Oceanum, tom. 2. & ad c. 1. epist. ad Tit. dist. 95. c. olim.*

De

De hac Episcoporum superioritate, & differentia ad Presbyteros, Vide Concil. Trident. Sess. 23. c. 4. & can. 7. secundum cuius decisionem intellige præcedens caput cum sequentibus: vt docte aduertit nouissime post alios Robertus Bellarminus de membris Ecclesiæ militantis. tom. 1. Controuers. 5. l. 1. c. 15.

De eodem.

ALEXANDRIÆ, à Marco Euangelista vsque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper vnum ex se electũ in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant. Quo modo si exercitus Imperatorem faciat; aut diaconi eligant de se quem industrium nouerint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus quod Presbyter non faciat? *S. Hieron. epist. 85. ad Euagrium. dist. 93. c. legimus. S. Anselm. sup. epist. ad Philipp. c. 1. S. Gregor. Nazianz. in Apologet. Rabanus Maur. de instit. cler. l. 1. c. 6. & Amalarius Fortunatus de Eccles. Offic. l. 2. c. 13.* 47

De eodem.

SACERDOTIBVS, sicut Episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim Ecclesiis Christi, & in confectione diuina corporis & sanguinis consortes cum Episcopis sunt: similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi. sed sola, propter auctoritatem, summo Sacerdoti Clericorũ ordinatio, & consecratio reseruata est; ne à multis Ecclesiæ disciplina vindicata concordiam solueret, scandala generaret, &c. *S. Isid. de Offic. Eccles. l. 2. c. 7. S. Ambros. sup. epist. ad Tim. 1.* 48

De eodem: quodq; Sacerdos non confirmat, vel ordinat, sicut Episcopus.

49 ORDO Sacerdotis continuus est ordini Episcopi. Participat etiam aliquid de perfectiua virtute, quantũ ad illã perfectionẽ, qua quis in seipso perficitur; non autem quantum ad perfectionem, qua aliquis in eminentiori gradu cõstituitur, sicut est in Ordine; vel altiori officio, sicut est in Confirmatione. Et ideo Sacerdos participat ab Episcopo potestatem consecrandi; non autem confirmandi, vel ordinandi. Et quod ipsam habet participationem patet, secundum Dionysium, ex hoc quod Sacerdos consecrat super altari ab Episcopo consecrato, & in vasis per Episcopum consecratis. *S. Thom. in 4. dist. 13. q. 1. art. 1. ad 2.*

De Eccles. hier. p. 1. c. 2.

Sacerdotes sunt mancipati diuino officio, contemplationi, & orationi; à temporalium strepitu semoti; vocantur Reges; & habent coronam in capite, & quid significet.

50 DVO sunt genera Christianorum. Est autem vnum genus, quod mancipatum diuino officio, & deditum contemplationi & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare conuenit: & sunt Clerici, & Deo deuoti, videlicet conuersi. Cleros enim Græce, Latine Sors. Inde huiusmodi homines vocantur Clerici, id est, Sorte electi: omnes enim Deus in suos elegit. Hi namque sunt Reges, id est,

id est, se, & alios in virtutibus regẽtes; & ita in Deo Regnum habent, & hoc designat corona in capite: hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ, in signũ Regni quod in Christo expectatur. Ratio vero capitis est temporalium omnium depositio: illi enim, victu & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia communia. *S. Hieron.* 12. *q.* 1. *c. eod.*

Hoc, quod dicit, de proprietate non habenda, sed omnia in communi possidenda, intellige de iis, qui suis nuntium remiserunt, & communiter viuere spoponderunt. Ita S. August. serm. 3. *de communi vita clericorum.* 12. *q.* 1. *c. Non dicatis.*

Sacerdotalis dignitas præfertur Regiæ. 51

IN nouo Testamento Sacerdotium præeminet Regno, sicut spiritus corpori: in veteri vero Regnum prœeminebat Sacerdotio. Ideo ibi Regnum, hic Sacerdotium in substantiuo ponit: eo quod ibi ex Regno, hic ex Sacerdotio quasi subsistat religio. *S. Th. sup. epist. I. S. Petri c.* 2.

De eodem. 52

QVANTO anima corpore præstantior est, tanto est Sacerdotium Regno excellentius: ligat enim, aut soluit supplicio, vel remissione dignos. *S. Clemens de Constit. Apost. l.* 2. *c.* 34.

De eodem. 53

SACERDOTIVM Regno tanto est excellentius, quantum spiritus & carnis interuallum esse potest. *S. Chrysost. de Sacerdo. l.* 3. *Idem hom.* 4. *& 5. de*

verb. Isaiæ, Vidi Dominum. Aurum non tam pretiosum est plumbo, quã Regia potestate altior est dignitas sacerdotalis. S. Ambros. de dignit. Sacerd. c. 2. distinct. 36. c duo sunt.

De eodem.

54 QVIS dubitet, Sacerdotes Christi Regum, & Principum, omniumq; fidelium patres & magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare; & iniquis obligationibus illũ suæ potestati subiicere, à quo credit non solum in terra, sed etiam in cælis se ligari posse, & solui? *B. Gregor. 7. dist. 96. c. eod. S. Ambros. de dignit. Sacerd. c. 2. & in exhort. ad Virg. S. Greg. Naz. dist. 10. c suscipitis.*

De differentia Sacerdotum ad reliquos homines bonos.

55 TANTVM inter Sacerdotem & quemlibet probum virum interesse debet, quantum inter cælum ac terram discriminis est. *S. Isid. Pelusiota l. 2. epist. 205.*

Sacerdoti thronus in cælis collocatus est, & de cælestibus pronuntiandi habet auctoritatem.

56 *S. Chrysostomus hom. 5. de verbis Isaiæ;* Vidi Dominum.

Sacerdotũ excellẽtia, perfectio, & virtus.

57 SICVT suscepit Mattathias principatum, & surrexit

rexit loco Iudæ, sic & nos susceperemus principatum in Ecclesia Dei, & per gratiam suam suos ministros facere voluit, & in palatio suo nos constituit, & elegit, vt essemus gens sancta, populus Dei, sal terræ; lux mundi, & Angelici homines absque peccato. Ministri Dei etiam sumus, & serui: serui enim dicuntur, non qui ad oculum seruiunt; sed qui voluntati Domini in omnibus fideliter obediunt. Et tunc in tantam familiaritatem Domini mouentur, quod non amplius serui; sed amici vocantur. Ideo tota mente nos exhibeamus in multa tribulatione, in scientia, in caritate non ficta, in vigiliis, in carceribus, & plagis, in verbo veritatis: & sic, nihil habentes, omnia, Christum possidendo, simus possidentes. Hæc est enim beatorum vita; hæc est Sacerdotum salus; hæc seruorum Dei requies, hæc amicorum eius voluntas. Hæc est enim sanctificatio nostra, vt in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, &c. *S. Augustin. serm. 37. ad fratres Eremi.*

De eodem.

SACERDOTIVM audacter è terra sursum in cœlum volitans ascendit ad Deum, donec ipsum contueatur inuisibilem; procidensque ante excelsum Thronum instanter pro seruis orat Dominum, lacrymas & gemitus conseruorum deportans, proprioque similiter Domino feruentem deprecationem simul & pœnitentiam offerens misericordiam & indulgentiam à Rege mi- 58

ſericorde poſtulans, vt Spiritus ſanctus pariter de-
ſcendat, ſanctificetque dona in terris propoſita
cumq; oblata fuerint tremenda myſteria immor-
talitate plena, præuio Sacerdote orationem pro
cunctis faciente, tunc animæ accedentes per illa
tremenda myſteria macularum purificationem
accipiunt,&c. O poteſtas ineffabilis, quæ in no-
bis dignata eſt habitare per impoſitionē manuum
ſacrorum Sacerdotum! O quam magnam in ſe
continet profunditatem formidabile, admirabile
Sacerdotium! *S. Ephrem de Sacerdotio.*

De eodem.

59 VERE veneranda Sacerdotum dignitas, in
quorum manibus Dei filius velut in vtero virgi-
nis incarnatur. *S. Aug. conc. 2. ſup. Pſal. 37.*

De eodem.

60 O Sacerdotes Dei, incruenta ſacrificia mitten-
tes! O illuſtres animarum cuſtodes! O magni De
figmentum in manib. veſtris geſtantes! O Deum
hominibus conciliantes! O mundi fundamenta,
vitæ lumina, Chriſtianæ fidei columna, immor-
talis vitæ Doctores, Chriſtiferi! &c. *S. Gregor. Na-
zianz. ep. ad Epiſc. in princ.*

De eodem.

61 O Sacerdos Dei, ſi altitudinem cæli contem-
plaris, altior es; ſi pulchritudinem Solis, & Lunæ
& ſtellarum, pulchrior es; ſi diſcretionem Ange-
lorum

lorum, discretior es; si omnium Dominorum sublimitatem, sublimior es: solo creatore tuo inferior es! *Cassan. in Catal. Glor. mund. p. 4. consid. ex S. August. de Eccles iast. dignitatib.*

De eodem.

SACERDOTIVM ipsum in terra peragitur; 62
sed in rerum cœlestium classem ordinemq; referendum est, atq; id per quam merito. Quippe non mortalis quisquam, non angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia; sed ipse Paraclitus ordinem euismodi disposuit: qui mortalib. hominibus ētnum in carne manentib. auctor fuit vt Angelorum ministerium animo conciperent. Iccirco necesse est, Sacerdotem sic esse purum, vt si in ipsis cœlis collocatus inter cœlestes illas virtutes medius staret. *S. Chrysost. de Sacerd. lib. 3.*

De eodem.

SI quis consideret, quantum id sit mysterium, 63
vt is scilicet, qui homo ipse sit, carne ac sanguine etiam num constans, isq; inuolutus beatæ atque immortali naturæ, illi fieri propior queat; tum probe intelliget, quāto sacerdotes honore, quanta dignitate Spiritus sancti gratia dignata fuerit, Operantibus enim illis, tum sacra hæc quæ dico, initiantur perficiunturque; tum etiam alia his nihilo inferiora, quæ ipsa ad dignitatis salutisq; nostræ rationem spectant. Etenim, qui terram incolunt, atq; in ea versantur, iis commissum est, &c. *vt sup. eo. n. 21. Qui terram incolunt. Idē S. Chrysost. eo. l. 3.*

De

De eodem.

64 MAGNA est Sacerdotum dignitas, quia pro-
Io. 10. pter eorum vnctionem & dignitatem multi ex ipsis virtutes, & mirabilia operati sunt, & vsum prophetandi habuerunt. De quorum numero Cayphas Pontifex Iudæorum fuit, qui, cum esset Pontifex, à seipso locutus non fuit; sed per gratiam Sacerdotalis ordinis, ac sanctæ vnctionis, alta voce clamauit: Expedit vobis, vt vnus homo moriatur, &c. *S. August. ad Marcell.*

De eodem.

65 SI non potest quis in Regnum cœlorum introire, nisi per aquam, & spiritum regeneratus fuerit: &, qui non manducat carnem Domini, & sanguinẽ eius non bibit, æterna vita priuatur; omnia autem hæc haud aliter, quam per sacras illas manus, perficiuntur, manus, inquam, sacerdotum: qui fiet, vt citra illarum opem aut gehennę ignem euitare quis possit, aut repositæ in cœlo coronæ præmia assequi? Hi enim sunt, hi sunt, inquam, quibus tunc concreditę sunt spirituales parturigines, tum etiam baptismatis partus à Deo est commissus. Per hos ipsos Christum induimus, vna cum Dei filio sepelimur, beatæ carnis illius membra efficimur. Quo nomine Sacerdotes merito non plus modo venerari debemus, quã vel Principes, vel Reges; sed etiam maiore honore, quam parentes, honestare, &c. *Chrysost. l. 3. de Sacerdot.*

Vide

Vide optimam epist. S. Isid. Peluſiotæ, 52. l. 2. S. Iſidor. Hiſpalenſ. l. 2. de Off. c. de Sacerd.

De eodem.

OMNIVM quidem bonorum magna eſt gra- 66
tia: inter omnes autem maxima eſt Sacerdotalis dignitas, ſi quis eam immaculate cuſtodiat. Nam, ſi ſuper omnia opera ſua pretioſiores exiſtimat Deus hominum animas; quanto magis credibile eſt, vt ſuper omnia bona ſua conſtituat eum qui confert Deo lucrum animarum? *Idem S. Chryſoſt. hom. 51. ſup. Matth.*

De eodem.

CONSIDERA quanta ſit excellentia noſtri 67
Sacerdotii, quandoquidem Abraham, Patriarcha Iudæorum, progenitor Leuitarum, comperitur benedictionem accipere à Melchiſedech, illiq; dare decimas. *Item S. Chryſoſt. or. 4. contra Iudæos.*

Ignis ipſe Sacerdotii vim ſenſit.

MARCELLINVS Anchonæ vrbis Epiſco- 68
pus, &c. *vt inf. §. 3. de obed. nu. 37.*

Apud Eccleſiaſticos terminentur contentiones inter Chriſtianos exortæ.

QVÆCVNQVE contentiones inter Chriſtia- 69
nos ortæ fuerint ad Eccleſiam deferantur, & ab Eccleſiaſticis viris terminentur: Et, ſi obedire noluerint, quouſque obediant, à liminibus Sanctæ Eccleſiæ excludantur. *S. Alexand. Papa, ep. 1.* Ezech. 44.

S. Mar-

S. Marcellinus Papa ep. 2. ad Episcopos Orientales, Iuo p. 3. cap. 205. Vide inf. §. seq. iudicium maximum. num. 20.

Sacerdotes de laicis iudicant, non è conuerso.

70 DEVS vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoq; iudicandi: & ideo nos à vobis recte iudicamur; vos autem non potestis ab hominibus iudicari. *Constantinus Imp. in præfat. ad Concil. Nicæn. & inf. §. seq. nu. 4. 5.*

Vide de hac materia epistolam Nicolai Papæ I. ad Imp. Michaëlem, tom 3. Conciliorum, quæ incipit, Proposueramus, vbi multa de dignitate sacerdotum. Concil. Paris. l. 1. c. 4. vers. Laudem autẽ verorum Sacerdotum. & l. 3. c. 8. & 9. & Concil. Aquisgranen c. 5. incip. Petimus humiliter. & c. 7. & 19. & vltra sex libros S. Chrysost. de Sacerd. Vide eundem hom. de verbis Isaiæ & hom. 14. in 2. Cor. & 10. in ep. 1. ad Thessalon. & 3. in Acta Apostolorum, & vlt. ad Hebr. & in Psal. 117. & 131. Quibus in locis late agitur de dignitate, & præstantia Sacerdotum. Vide etiam S. Gregor. Nazianz. in Apologetico, & ante eos S. Ignatium ep. ad Smyrnenses & ad Heronem, & S. Cyprianum, l. 1. ep. 3. l. 3. ep. 9. S. Leonem ep. 87. ad Episcopos Africanos. S. Ephrem de Sacerdotio. S. Ambros. de dignitate Sacerdotali. & inf. §. 2. & 3. sequentibus.

De

De immunitatibus, & Priuilegiis Sacerdotum, §II.

SVMMARIVM.

SACERDOTES, & eorum prædia gaudent Ecclesiastica immunitate. 1. 2. 3. 13.

Sunt etiam liberi ab omni tutela, & hospitio. 14. 15. 16.

De bonis suis libere testari possunt. 19.

Multisque aliis priuilegiis gaudent. 17. 18.

Nec laici de illis iudicare possunt. 45.

Contrafacientes excommunicare debent, & à sæcularibus Iudicibus seuere puniri. 67.

Imo vero à secularibus Iudicibus appellandum ad Ecclesiasticos. 20.

Accusantes Sacerdotem in multis, si aliquod crimen probare non possint, ad reliqua non admittantur. 8.

Qui illum percusserit, anathematizetur, & puniatur. 9. 10. 11. 12.

Vomerum feruentium purgatio, quid. 11.

Cingulum militare, quid. ibidem.

Solidum, quid. 12.

Mansus, quid. 13.

SVBIECIT terram Pharaoni, & cunctos populos eius; præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Gen. 47. §

Vir

2 Vir quidē mortis es; sed hodie te non interfici-
am, quia portasti arcam Domini Dei coram Da-
uid patre meo. 3. *Reg.* 2.

3 Nolite tangere christos meos. *Psal.* 104.

Laici de Sacerdotibus non iudicant.

4 QVISQVAM me contumacem iudicare non
debet, cum hoc asseram, quod augustæ memoriæ
pater tuus non solum sermone respondit, sed et
iam legibus suis sanxit: In causa fidei, seu Eccle-
siastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui
nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Hæc e-
nim verba rescripti sunt: Hoc est, Sacerdotes d
Sacerdotibus iudicare voluit. *S. Ambros. ep.* 32. *
Valentinianum Imp. l.* 5. *Vide inf. §. proximo, Deus V
num.* 70.

Si iudex sæcularis tertio requisitus Cle-
ricis iustitiam deneget, iurisdictionem
suam inter alias pœnas amittat.

5 *Federicus Imp. coll.* 10. *& habetur C. de Episcopis, &
Cler. auth. statuimus.*

Laicus Ecclesiam, vel Clericum, per ca-
lumniam fatigans excommunicetur.

6 SI quis sæcularium per calumniam Ecclesiam
aut Clericum fatigare tentauerit, & victus fuerit
ab Ecclesiæ liminibus, & Catholicorum commu-
nione, nisi digne pœniteat, arceatur. *Concil. Agd-
then. c.* 32. *Iuo p.* 6. *c.* 367.

Infe

Inferens Ecclesiæ, vel Sacerdoti aliquam iniuriam qualiter à sęculari Iudice puniendus.

SI quis in hoc genus sacrilegij proruperit, vt, in 7
Ecclesias Catholicas irruens, Sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui, locoq; aliquid importet iniuriæ, quod geritur, à prouinciæ rectoribus animaduertatur; atque ita prouincię moderator Sacerdotum, & Catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius, & diuini cultus iniuriam capitali conuictos, siue confessos, sententia nouerit vindicandum. Neque expectet, vt Episcopus iniurię propriæ vltionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit, &c. Sitque cunctis laudabile, factas atroces Sacerdotibus, aut ministris, iniurias veluti crimen publicum persequi, ac de talib. reis vltionẽ mereri. *Arcad. & Honor. Imp. C. de Epis. & Cler. l. ead. vbi videda est auth. sed nouo iure.*

Quotiescunque Clericis ab accusatoribus multa crimina obijciuntur, & vnum ex his, de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cætera iam non admittantur.

Conc. Carthagin. 7. 3. q. 10. c. placuit.

Qui manus violentas in Clericum iniecerit anathemati subiaceat, à solo Papa absoluendus. 8

SI quis, suadente diabolo, huius sacrilegij rea- 9

tum incurrerit, quod in Clericum, vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, (nisi mortis vrgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat. *Innocent.* 2. 17. q. 4. c. eod.

Sacerdotem occidens qualiter puniendus.

10 QVI Sacerdotem morti voluntate tradiderit carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat: ieiunet autem vsque ad vesperam, exceptis festis diebus, ac dominicis. Arma non sumat. Et, vbicunque ire voluerit nullo vehiculo deducatur; sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennij tempus non ingrediatur; sed, cum sacrarum orationum officia, aut missarum solemnia celebrantur, ante fores basilicæ perseueret, orans ac deprecans Deum, vt tanto crimine abluatur. Post expletum vero quinquennij tempus ingrediatur Ecclesiam: nondum vero communicet, sed inter audientes tantummodo stet; vel, dum facultas conceditur, sedeat. Et, cum decimi anni cursus fuerit finitus, cõmunicandi ei licentia concedatur, & equitandi, & tribuatur medela. Maneat autem in reliquis obseruationibus tres dies per hebdomadam, vt perfectius ad culmen purificationis peruenire mereatur. *Conc. Wormat. can* 26. *Triburien. c.* 5.

De

De eodem.

QVI Presbyterum occiderit, *duodecim annorum ei pœnitentia, secundum Canones, imponatur; aut, si negauerit, si liber est, cum septuaginta duobus viris; si autem seruus, per duodecim a vomeres feruentes se expurget. Conuictus vero noxæ vsq; ad vltimum vitæ tempus b militiæ cingulo careat, & absq; spe coniugii maneat. *Con. Moguntin.* 17. q. 4. *eo. de pœnit & remiss. c.* 2. 11 *aliàs viginti*

a Vomeres feruentes] *Inter alia purgationis genera, quibus antiqui Christiani vsi sunt ad ostendendã innocentiam de obiecto sibi crimine, fuit periculum aquæ feruentis, vel frigidæ, vel ferri candentis: ducto more à potione illa, quam stupri insimulatis mulieribus dari iussit Moses, & forte ab illo Psalmo: Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Quod vsque adeo processit, vt leges scriptæ iuberent adhiberi ignitos vomeres, vel aquam frigidam, aut calidam litium dirimendarum causa: vt auctor est Iacobus Cuiacius de feudis, l. 1. tit. 1. vers. si autem controuersia. Hoc autem purgationis genus, quod vulgus inuenit, ob idque Purgatio vulgaris appellata, reprobatum est à S. Gregorio, 2. q. 5. c. Mennam. & à Stephano Papa, c. consuluisti. & à Lucio Papa 3. c ex tuarum, de purg. can. S. Tho. 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3.* Num. 5. plibus.

b Militiæ cingulo] *Cinguli militaris depositio erat militibus maximæ ignominiæ pœna: discinctos. n. veluti ignauos, & militiæ minime aptos, putabant. Quare*

Macedonum lex militaris erat; vt, qui miles hostem non occidisset, non militari cingulo, sed capistro cingeretur. Vide Alexandrum ab Alex. Genial. dierum l. 1. c. 20. dabatur etiam id in pœnam aliquorum defectuum monachis: vt videre est in regula S. Pachomij; vt scilicet soluerent cingulum, &, inclinata ceruice, manibus ad inferiora depressis, starent ante altare, pœnitentiæ ergo. Suet. in Aug. c. 24. in fine. Pro cætero (inquit) delictorum genere variis ignominiis affecit, vt stare per totum diem iuberet discinctos.

De pœna occidentium Subdiaconum, aut reliquos, vsque ad Episcopum, & monachum.

12 QVI Subdiaconum occiderit 300. c solidis componat: qui Diaconum 400. qui Presbyterum 600. qui Episcopum 900. qui monachum 400. *l. 27. tit. de homicidiis liberorum hominum inter leges Longobardorum, ad finem authenticorum.*

c *Aduerte, Solidos æquiparari aureis nummis: vt not. gl. v. Aureos. ff. in ius vocando. l. fi. vbi Iaſ. n. 1. & Didac. Couarruu. de numiſmat. c. 3. & 4.*

Nemo cogat Clericum ad censum persoluendum de suis bonis: quod si fecerit, per Regiam potestatem ad satisfaciendum compellatur.

13 VT secundum Canonicam auctoritatem, & Constitutionem Domini Imperatoris Ludouici

de

de agro Ecclesiastico, & *d* mansо, & mancipiis, quę ipse suis capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus fuerit Ecclesiæ: neque de decimis, & oblationibus fidelium cuique Presbytero aliquem censum persoluere cogat: nec quisquam cuiuslibet ordinis vel dignitatis exinde quidquam subtrahere, aut redhibitionem quamcunque exigat temporalem. Quod si fecerit, communione vsque ad satisfactionem priuetur, & Regia potestate dare cogatur. *Concil. Paris. secundum Iuonem p. 3. cap. 175. 23. quæst. 8. c. secundum.*

d Mansus] *Erat ager iugerum duodecim, vnde percipiebatur frumentum, & vinum ad conficiendum Eucharistiam. de hoc fit mentio in concil. Wormatiensi. 3. cap. 10. relat. de censibus cap. 1. quamuis male allegetur: & in hoc Concilio Parisien. Vtrobique dicit gl. esse quantitatem terræ, quæ sufficit duobus bobus in anno ad laborandum, & vnde vnus rusticus cum sua familia possit sustentari. Verius tamen est, quod nondum constet inter interpretes, cuius mensuræ, vel modi sit Mansus. Est etiam domus agri, vel mansio pro colonis: & largo modo sumitur pro omni agro ad arbitrium patris famil. secundum Baldum. C. de cond. insert. l. pæn. Alia etiam significat. Sed nihil ad nos.*

Clericus est immunis ab omni tutela testamentaria, legitima, vel datiua, & cura etiam miserabilium personarum.

14 GENERALITER sancimus, omnes Presbyteros, seu Diaconos,& Subdiaconos,& præcipue Monachos, licet non sint Clerici, immunitatem ipso iure omnes habere tutelæ,siue testamentarię, siue legitimæ, siue datiuæ. Et non solum tutelæ esse eos expertes,sed etiã curę,non solum pupillorum& adultorũ;sed etiam furiosi,& muti,& surdi,& aliarum personarum,quibus tutores, vel curatores, à veteribus legibus dantur. *C. de Episc. & Cler.l.ead.16.q.1.c.eod.S.Cypr.l.1.ep.9.21.q.3.c. Cyprianus. cum quatuor capp. seqq. vbi quod ante altari Dei non meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit auocare.*

De eodem: & ne hospites accipiant.

15 IVXTA sanctionem, quam dudum meministis, & vos, & mancipia vestra nullus nouis collationibus obligabit; sed vacatione gaudebitis. Prętera neque hospites accipietis. *Imp. Constant. c.de Episc.& Cler.l.1.*

Intellige de militibus armatis, quorum hospitalitatis, quasi munus, incumbebat; non de pauperibus, quos Sacerdotes in hospitium suscipere tenentur: vt not.infr.p.2.c.6.§.de Hospitalitate.

De

De eodem.

PRESBITEROS, Diaconos, Subdiaconos, atque Exorciſtas, Lectores, Oſtiarios, & Acolytos, etiam perſonalium munerum expertes eſſe præcipimus. *Imp. Valentin. C. eo. tt. ea. l.* 1. 16

Clerici Romanæ Eccleſiæ decorentur omni prærogatiua, Patricia, Conſulari, & Imperiali; idq; tam in equis, quam in calceamentis.

VIRIS autem reuerendiſſimis, Clericis in diuerſis ordinibus Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruientibus, illud culmen ſingularitate, potentia, & præcellentia habere ſancimus, quibus ampliſſimus noſter Senatus videtur gloria adornari, id eſt, Patricios, atque conſules effici; nec non & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus decorari. Et, ſicut Imperialis militia ornatur, ita & Clerum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ornari decernimus, &c. Mappulis quoque & linteaminibus, id eſt, candidiſſimo colore, decorari equos eorum; ita & æquitare. Et, ſicut noſter Senatus calceamentis vtitur cum vdonibus, id eſt, candido linteamine illuſtratis, ſic vtantur & Clerici: vt ſicut cœleſtia, ita & terrena ad laudem Dei decorentur. *Poſt Concil. Neocæſar. diſt. 96. c. Conſtant. Imp.* 17

Clericus gaudet priuilegiis militibus armatæ militiæ conceſſis.

Clericus habet omnia priuilegia conceſſa militibus 18

tibus armatę militiæ: *de quibus Vlpian. ff. de re iud. l. milts: vt not. ibi gl. & Bar. nu. 3. Iaſ. nu. 11. & Barbatia de ſolutionibus, c. Odoardus.*

A Lectore vſque ad Preſbyterum bona ſua habeant Clerici, largiantur, deque iis teſtentur, ad ſimilitudinē caſtrenſium peculiorum.

19 PRESBYTEROS, Diaconos, & Subdiaconos, Cantores, & Lectores, (quos omnes Clericos appellamus) res quaslibet, modo ad dominium eorum venientes, habere in ſua poteſtate præcipimus, ad ſimilitudinem caſttenſium peculiorum; & donare cui volunt, ſecundum leges, & in his teſtari, licet ſub parentum poteſtate ſint: ſic tamen, vt horum filij, aut (his non extantibus) parentes eorum legitimam ferant partem. *C. de Epſc. & Cler. auth. ead. & l. cum lege.*

Ad Eccleſiaſticos Iudices appellandum à ſæcularibus, ex Decreto Conſtantini.

20 INDICIVM maximum reuerentię pij Principis circa religionem fuit, quia vbique adminiſtrantium ſententias imperfectas eſſe voluit, & ad Epiſcopos per appellationem refugiendum eſſe ſanciuit, ſi qui vellent ciuiles iudices refutare: firmam vero illorum iudicans ſententiam, potioremq; iudicum aliorum; tamquam ab Imperatore prolatā ab omnibus obſeruandam. *Tripart. l. 1. c. 9.*

Inno-

Innocent. 3. ad prælatos Galliæ, de iudiciis. c. nouit. Anacletus Papa epist. 1. de foro compet. c. licet ex suscepto. Vide. sup. §. proximo, maxime. n. 69. & §. sequentem.

Non debet Sacerdos publice pænitere sicut laicus.

Concil. Hibern. dist. 82. c. Presbyter. 21

De Obedientia, debitoq; Honore Sacerdotibus deferenda,

§ III.

SVMMARIVM.

MAXIMVS *honor exhibetur Sacerdotibus ab ipsis summis Pontificibus.* 15.

Obedientia, reuerentia & honor debetur, & defertur illis etiam ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus, & à Sanctis viris. 1. 3. 4. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 38. 39. 43. 44. 45. 46.

Et maior, quam illis, & parentibus ipsis carnalibus. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

Etiam si mali sint, vel ignorantes. 23. 24. 25. 26. 40. 41. 42. 43.

Nemo illos tangere audeat, vel persequi. 25. 46. 66.

Transgressores multis pœnis afficiuntur. 45. 46. 47. 48. 49. 60. 61. 62. 63. 64.

Sacerdotum defectus occultandi. 16.

Nihil siniſtrum de illis iudicandum. 50. 51. 52.

Neque illis detrahendum. 53. *aut publica pœnitentiæ, sicut laico, imponenda.* 54.
Neque temere credendum delationibus maxime laicorum contra eos. 54 55.56.57.62.
Coram iudice laico non sunt conueniiendi. 58.65.
Ipse Dominus per se illos puniuit, neque aliis id faciendum commisit. 59.
Episcopi eos honorare tenentur. 28.29.30.31.
Neque illos coram se stare permittant. 27. (*tur.* 32.
Maioribus Sacerdotibus à minoribus honor defer-
Illis subsint Diaconi, neq; coram illis sedeant, nisi Episcopi vicem gerant. 33.34.35.
Creaturæ inanimatæ etiam Sacerdotij vim sentiunt. 37.
Vice Dominus, quid. 66. *Oeconomus, quid. ibidem.*

1 QVI superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël. *Deut.* 17.

2 Nolite tangere Christos meos: & in prophetis meis nolite malignari. *Psal.* 104.

Presbytero humilia animam tuam. *Eccl.* 4.

3 In tota anima tua time Dominum; & sacerdo-
4 tes illius sanctifica. In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit; & ministros eius ne derelinquas, &c. Honorifica Sacerdotes: da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum, & purgationis. *Eccl.* 7.

Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.
5 *Zach.* 2.

Qui vos audit, me audit; & qui spernit, me sper-
6 nit. *Luc.* 10.

Nesci-

Nesciebam fratres, quia Princeps est Sacerdo- 7
tum. Act. 23. *Vbi Paulus docuit honorari debere etiam malos Sacerdotes* 39. c. *Dominus noster.*

Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore 8
digni habeantur; maxime qui laborant in verbo, & doctrina 1. *Tim.* 5.

Presbyteri duplici honore honorandi.

PRESBYTERI qui bene præsunt vita & doctrina 9
digni habentur à subditis duplici honore; vt scilicet spiritu aliter eis obediant, & exteriora bona ministrẽt. Boni enim dispensatores & fideles non solum honore sublimi præmiari debent, sed & terreno; vt non contristentur indigentia sumptuum, & gaudeant obedientia spiritualium. Instantior enim fit, si non humilietur inopia; & crescit in illo auctoritas, cum videt se etiam in præsenti laboris fructum percipere, non vt abundet, sed vt non deficiat. *S. August. sup. epist.* 1. *ad Tim. c.* 5.

Qualiter honorandi Sacerdotes.

HONORATE Sacerdotes, vt Patres, vt Domi- 10
nos, vt beneficos, vt bene viuendi auctores. *S. Clemens de Constit. Apost. l.* 7. *c.* 32.

Quare honorandi Sacerdotes Dei.

HONORABATIS Sacerdotes, qui decipiebant 11
vos sacrificiis suis, qui mutis, & surdis statuis offerebant, quæ nec se nec vos iuuare poterant. Nunc autem multo magis Sacerdotes Dei omnipotentis, qui vitam vobis tribuunt in calice & vino

pane,

pane honorare debetis. *S. Martialis Episcopus epist. ad Burdigalenses. c.3.*

Idololatræ quantum honorem detulerunt suis Sacerdotibus.

12 MANDATVM posuit Ioseph Ægyptiis, vt ita tributum penderent Pharaoni, excepta Sacerdotum terra. Audiant qui nunc viuunt, quantam olim Sacerdotum idolorum curam habuerint; & discant, vt vel saltem parem habeant honorem iis, quibus omne Dei ministerium creditum, & Sacerdotio insigniti sunt. *S. chrysost. hom. 65. in Gen.*

Boni principis est inter alia, honorare Sacerdotes.

13 BONI Principis est, ac religiosi Regis, Ecclesias contritas atque conscissas restaurare, nouas ædificare, & Dei Sacerdotes honorare, atque tueri. Vnde sanctos Apostolos eorumque successores sub diuina contestatione constitutisse legimus, non debere fieri persecutiones, nec inferri fluctuationes, nec inuidere laborantibus in agro Dominico, nec expellere æterni Regis dispensatores. *S. Marcellus Papa dist. 96. c. eod.*

Sacerdotes à Regibus honorandi non iudicandi.

14 SACERDOTIBVS non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur; sed excellenti consideratione, propter eum, cuius serui sunt, ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat: nam in diuinis eloquiis Sacerdotes aliquando

Dij

Dij, aliquando Angeli vocantur, &c. *S. Gregor. ad Maurit. Imp.* II. *q.* I. *c. eod. Eusebius l.* 2. *in vita Constantini. S. August. ep.* 66.

Imp. Iustinianus Clericos Reuerendissimos ap- 15
pellat in auth. vt determinatus sit numerus clericorum coll. 1. de mensura ordinandorum coll. 3. & alibi sæpe. Nec mirum, cum idem faciat S. Greg. lib. 2. ep. 52, & cuidam Presbytero dicat, Sanctitas Vestra. l. 4. epist. 30.

Sacerdotum defectus occultandi.

In Scripturis narratur Imperator Constantinus 16
dixisse, vere: Si propriis oculis vidissem Sacerdotem Dei peccantem, chlamydem meam exspoliarem, & cooperirem eum, ne videretur, &c. Hæc quidem diximus vobis, cautos vos reddere cupientes; vt, si de Domini Sacerdotibus, qui vere patres sunt, aliquid contigerit vos audire, quod confusionem piis mentibus ingerat, non infrunitum, sed pudoratos filios Noê imitantes, paternam de *Gen. 9.*
reliquo verecundiã contegatis: vt affluenti, quemadmodum & illi, benedictione repleri, moderante Domino, mereamini. *Nicolaus Papa dist. 96. c. eod.*

Grauius peccat delinquens in Sacerdotem, quam qui in Regnum.

Quanto Sacerdotium Regno est excellentius, 17
cum regendarum animarum officio præsit; tanto grauiori supplicio punitur qui aduersus id aliquid temere gessit, quam qui aduersus Regnum. *S. Clemens de Constit. Apost. l. 6. c. 2.*

Plus

Plus honorandi Sacerdotes, quam Reges.

18 HONORATE Sacerdotium secundum Christũ,& post hoc honorare oportet etiã Regem,&c Sacerdotium enim summa est omnium honorum, quæ in hominibus consistunt. Quod si quis inhonorauerit, Deum inhonorat, & Dominum Iesum Christum primogenitum totius creaturæ, & solum natura principem Sacerdotem Dei. *S. Ignatius epist. ad Smyrnenses.*

S. Martinus plus honoris detulit Sacerdoti, quam Imperatori.

19 MAXIMVS Imperator inuitauit ad conuiuium S. Martinum, conuiuæ aderant summi, atque illustres Viri,&c. frater Regis, & patruus. Medius inter hos Martini Presbyter accubuerat; ipse autem, sellula iuxta Regem posita, consederat. Ad medium fere conuiuij pateram Regi minister obtulit; ille sancto Episcopo potius dari iubet, expectans, atq; ambiens, vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus, vbi ebibit, pateram Presbytero suo tradidit, nullum existimans digniorem, qui posset prior bibere ; nec integrum sibi fore, si aut Regem ipsum, aut eos qui à Rege erant proximi, Presbytero prætulisset. Quod factum Imperator & omnes adstantes ita admirati sunt, vt hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant, placeret. *S. Seuerus Sulpic. in vita S. Martini l. 1.*

De

De eodem, ex S. Ambrosio aduersus Theodosium.

DIVINVM Sacrarium ingressus Theodosius,& dono ex consuetudine oblato,intra sacros cancellos permansit in sanctiori Sacerdotum loco; vbi antiquitus Imperatoribus consistere mos erat, propter dignitatis sublimitatem à plebe segregatos. Quam rem,quod Ambrosius adulationis magis,quam ordinis recti, esse putabat, Imperialis quoq; stationis locum, ita vt par erat, in suum ordinem redegit, pro tabulatis, seu cancellis Sacrarij sede illi designata; vt Imperator honorificentiorem quidem præ populo stationem haberet, præ illo autem sacer ordo locum sublimiorem obtineret. Eum ordinem,vt optimum, Theodosius tum laudauit,posteri quoq; confirmarunt: qui inde ad hæc vsque tempora seruatur. *Niceph. Eccles. hist. l.* 12. *c.* 41. 20

Plus honorandi Sacerdotes, quam Principes,Reges,& parentes: & quare.

SACERDOTES merito non modo plus vereri debemus, quam vel Principes, vel Reges; verum etiam maiore honore, quam parentes proprios, honestare, &c. Parentes enim nos in præsentem, Sacerdotes in vitam æternam generant, &c. *S. Chry de sacerd. l.* 3. *Idem hom.* 4. *&* 5. *de verbis Isaiæ.* 21

Plus honorandi Sacerdotes,quam parentes,& quare.

SI de parentibus secundum carnem ait Scri- 22

ptura

Leu.20 ptura Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt
Mat.15. bene sit tibi: Qui maledixerit patri, vel matri,
morte moriatur: quanto magis de patribus spiri-
tualibus verbis Dei moneamur honore & caritate
eos prosequi, vt beneficos, & ad Deum legatos, qui
nos per aquam Deo regenerauerunt, Spiritu san-
cto impleuerunt, lacte verbi Dei aluerunt, & do-
ctrinæ alimento nutriuerunt, monitis stabilierũt
corpore salutari & pretioso sanguine nos dignat
sunt, nobisque peccata remiserunt, & sacrosanct
Eucharistiæ participes fecerunt, ac promissioni
Dei consortes, ac Christi hæredes constituerunt
His igitur reuerentiam adhibentes, omni eos ge
nere honoris afficite: siquidem hi potestatem vi
tæ ac mortis à Deo acceperunt in iudicandis i
qui deliquerũt, & in damnandis ad mortem igni
sempiterni; & iis qui se ad recte viuendum con
uertunt absoluendis, & viuificandis. *S. Clemens*
Constitut. Apost. l. 2. c. 33. S. August. late serm. 5. ad fr
tres Eremi de obed. ad Sacerd. suos.

Sacerdotes etiam ignorantes honorãdi

23 LICET scientia sit valde necessaria Sacerdoti-
Mal. 2. bus ad doctrinam, quia iuxta verbum Prophet
cum, Labia Sacerdotum custodiunt scientiam
non est tamen simplicibus Sacerdotibus etiã scho
lasticis detrahendum, cum in eis Sacerdotale offi
cium debeat honorari. Propter quod Dominus i
Exo. 22. lege præcepit: Diis non detrahes. Sacerdotes intel
ligens, qui, propter excellentiam ordinis & offici
digni-

dignitatem, Deorum nomine nuncupãtur. *Innoc. 3. de hæretic. c. cum ex iniuncto.*

Sacerdotes etiam mali honorandi.

DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus, Rex, & Iudex, & Deus noſter, vſq; ad paſſionis diem ſeruauit honorem Pontificibus & Sacerdotibus, quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent, &c. *S. Cypr. l. 3. ep. 9. diſt. 93. c. eod.* 24

De eodem.

PVERVM Samuelem, iudicio præelectum ſuo, noluit per ſemetipſum diuini colloquij diſciplina Dominus erudire, ſed recurrere ſemel & iterum paſſus eſt ad Sacerdotẽ ſenem; eumque, quem ad ſuum vocabat alloquium, etiam illius qui offenderat Deum, dummodo ſenioris, doctrina voluit inſtitui, &c. *Caſſianus coll. 2. c. 14.* 25 *1 Reg. 3.*

Sacerdotes etiam mali propter bonos honorandi.

MELIVS eſt, propter bonos etiam malos fouere, quam propter malos etiam bonos contemnere. Propter bonos ergo Sacerdotes etiam malos honorate; ne propter malos etiam bonos contemnatis. Melius eſt enim, malis iniuſta præſtare, quam bonis iuſta ſubtrahere. *S. Bernardus.* 26

Epiſcopus ſedens non patiatur coram ſe ſtare Preſbyterum.

EPISCOPVS in quolibet loco ſedẽs ſtare Preſbyterum non patiatur. Epiſcopus in Eccleſia, in conſeſſu Preſbyterorum ſublimior ſedeat: intra do- 27

num vero, collegam Presbyterorum se esse cognoscat. *Concil. Carthagin. 4. c. 34. & dist. 95. c. Episcopus 1. & 2. S. Bernard. de consider. l. 4. ad fi.*

Episcopus Sacerdotes honorare tenetur.

28 EPISCOPI Sacerdotes se esse nouerint, non dominos. Honorent clericos quasi clericos, vt & ipsis à clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitij: Cur ego te, inquit, habeam vt Principem, cum tu me non habeas vt Senatorem. *S. Hieron. ep. 2. ad Nepot. 95. dist. c. esto subiectus.*

De eodem.

29 EPISCOPVS, vt membris suis, vtatur clericis; & maxime ministris, qui sunt vere filij. Cum dolor amputatur etiam quæ putruit pars corporis: & diu tractatur, si potest sanari medicamentis; si non potest, tunc à bono medico abscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abscindere: postremo, quod sanari non potest cum dolore abscindere. *S. Ambros. de Offic. l. 2. c. 27.*

De eodem: & quod non verberibus, sed verbis corripiat Sacerdotes.

30 NON est dignum, vt passim vnusquisque prælatus honorabiliora membra sua, prout voluerit & ei placuerit, verberibus subiiciat, & dolori; nedum incaute subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reuerentiam subtrahat, iuxta illud quod quidam sapiens dixit: Leuiter caesti-

castigatus, reuerentiam exhibet castiganti; asperitatis autem nimiæ increpatio nec correctionem recipit, nec salutem, &c. *Concil. Brachar. dist. 45. c. cum beatus, S. Clemens de Constit. Apost. l. 2. c. 21. S. Anton. in Summa p. 3. tt. 19. c. 11. & 20.*

De eodem.

EPISCOPI se pastores, non percussores esse meminerint; atque ita præesse sibi subditis oportere, 31
vt non in eis dominentur, sed illos tamquam filios & fratres diligant, &c. *Concil. Trident. Sess. 13. c. 1. de reform.*

Sacerdos inferior non benedicat, maiore Sacerdote non annuente.

Vide inf. p. 3. c. 3. de rebus Sacerdoti prohibitis. c. illi qui ante nos. n. 7. 32

Diaconi subsint Sacerdotibus.

MEMINISSE Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & Presbyteros Dominus 33
elegit; Diaconos autem post ascensionem Domini in cælum Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros. Quod si nos aliquid audere contra Deum possumus, qui Episcopos facit; possunt etiam contra nos audere Diaconi, à quibus fiunt. *S. Cypr. l. 3. ep. 9. dist. 93. c. Dominus noster.*

Diaconus coram Presbytero non sedeat.

NON oportet diaconum coram Presbytero se- 34
dere, sed iussione Presbyteri sedeat. *Concil. Laodic. c. 20. dist. 93. c. eod. cl. 1. Conc. Nicæn. c. 18. Toletã. 10. c. 39.*

De eodem nisi Episcopi vicem gerat.

35 QVONIAM in nonnullis Ecclesiis Diaconos officia Ecclesiastica habere cognouimus,& ex hoc nonnullos, eorum arrogantia, & licentia fretos, ante Presbyteros sedere: statuimus, vt Diaconus (etiam si in dignitate, hoc est, in officio Ecclesiastico quolibet sit) ante Presbyterum non sedeat; præterquam si proprij Patriarchæ,aut Metropolitani vicem gerens adsit in aliqua ciuitate super aliquo capite. Tunc enim sicut illius locum tenens honorabitur.Si quis vero, Tyrannica adductus audacia,tale quid efficere ausus fuerit, is ex proprio gradu repulsus sit, omnium vltimus eius ordinis,in cuius est catalogo in sua Ecclesia.*Sexta Synod. c.7.dist.93.c. præcipimus, licet varia lectione. De eorum Officio vide distinct. 93.c.diaconi sunt.*

Qui Clerico in itinere obuiauerit, qualem illi vrbanitatẽ exhibere teneatur.

36 STATVIMVS, vt, si quis quemlibet Clericorum honoratorum in itinere obuiam habuerit, vsq; ad inferiorem gradum honoris veneranter illi colla subdat, prout is officia & obsequia fidelissimæ Christianitatis iure promeruit. Et, siquidem ille sæcularis equo vehitur,clericusq; similiter, sæcularis galerum de capite auferat, & Clerico sinceræ salutationis manus adhibeat: si vero Clericus pedester graditur,& sæcularis vehitur equo, illico ad terram defluat, & debitum honorem illi sinceræ carita-

caritatis exhibeat. Qui vero horum, quæ, Spiritu sancto dictante, sancita sunt, transgressor fuerit, ab Ecclesia, quandiu Episcopus illius Ecclesiæ voluerit, suspendatur. *Concil. Matisconen. 2. c. 15. Octaua Synodus Constantinop. c. 14.*

Argumentum ad idem ex igne, qui Sacerdotij vim sensit.

MARCELLINVS Anconę vrbis Episcopus, cum, 37
podagræ morbo fractus ac debilitatus, incedere pedes non posset, gestari se iussit; & contra incendium, quo vrbs ipsa conflagrabat, deponi. Mira res: Ad illum vsque flamma perueniens retrocedere cœpit, paulatimq; vanescens sæuire desiit, & sopita defecit. Quod si ignis, id est, animale elementum, Sacerdotij virtutem sensit atq; refugit, quis tam impudens est, vt eundem reuereri, eidemque se inclinare, subiicereq; contemnat? *S. Gregor. l. 1. Dialog. c. 6.*

S. Antonius Sacerdotalem benedictionem magni ducebat.

BEATVS Antonius Abbas ipsos Presbyteros ac 38
Sacerdotes in summa veneratione dicitur habuisse, solitusque eisdem caput submittere, benedictionem captare; & pro magno beneficio ducere, si accepisset. Profecto sanctus vir haudquaquam tanti benedictionem Sacerdotalem fecisset, nisi per eam sanctiorem se fore cognouisset. Benedici à Sacerdote voluit, vt benedici à Deo mereretur; non in sola vitæ suæ integritate confidens, sed

aliunde ſpiritualia ſibi ſubſidia comparans. S. *Athanaſius in vita eiuſdem Sancti Antonij.*

S. Franciſcus pluris æſtimabat Sacerdotes, quam Sanctos.

39 BEATVS Franciſcus maximo ſemper honore Sacerdotes proſecutus eſt. Dicere ſolitum tradũt: Si cui Sanctorum è cælo in terram lapſo, & cum illo ſimul forte Sacerdoti occurriſſet, prius ſe Sacerdotis manibus oſculum daturum, deinde reuerentiam facturum Sancto: plus deberi illi ſignificans, qui Chriſti & Apoſtolorum vicem in terris gereret, quam illi, qui iam cum Chriſto regnaret noſſet. *S. Bonau. in vita eiuſd. Sancti. c. 4.*

Sacerdotes non propter merita, ſed propter officium honorandi.

40 NON merita perſonarum conſideres, ſed officia Sacerdotum. Et, ſi merita ſpectes, Eliam conſideres; Petri quoque merita ſpectato, vel Pauli; quia acceptum à Domino Ieſu hoc nobis myſterium tradiderunt. *S. Ambroſ. de iis, qui myſter. initiantur.*

De eodem.

41 NON quales Sacerdotes Domini ſint, ſed qui de Domino loquantur, eſt vobis magnopere præuidendum: nec in Vicariis S. Petri Apoſtoli vobis eſt attendendũ, quid ſint; ſed quid pro correctione Eccleſiarum, quid pro ſalute veſtra ſatagant. Nec illos inferiores dicetis Scribis & Phariſæis ſedenti-

dentibus ſuper cathedram Moyſi; de quibus Dominus præcepit, dicens: Quæcumq; dixerint vobis facite, &c. Ergo Imperator conſidera, ſi illos dixit audiendos qui ſuper cathedrã Moyſi ſedebant; quanto potius qui ſuper cathedram Petri reſident eſſe exiſtimes obediendos? *Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem, 1. q. 1. c. eod. c, cum ſcriptura. cum duobus ſeqq.* Mat. 23.

De eodem.

PER Sacerdotes malos Deus virtutum ſigna frequenter exhibet; non videlicet ob religioſæ vitæ meritum, ſed propter acceptum Sacerdotalis myſterij ſacramentum, *Card. Petrus Damianus de contemptu ſæculi. c. 18. vbi de hoc varia exempla.* 42

De eodem.

SI aſinum fecit loqui Deus, & per vatem ſpiritales benedictiones largitus eſt, & in muto ore, & in lingua immunda Balaam propter offendentes Iudæos operatus eſt; multo magis propter vos fideles, etiam ſi praui ſint Sacerdotes, Deus omnia per eos perficiet, & mittet Spiritũ ſanctum. Neq; enim pura mens propter propriam puritatem ſpiritum attrahit; ſed gratia omnia operatur. Omnia enim, inquit, vos, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, &c. *S. Chryſoſt. hom. 85. ſup. 10. & hom. 4. de verb. Iſaiæ, Vidi Dominum. de quo vide inf. c. 5. de Sacramentorum miniſtratione à cap. 1. Si quis dixerit. n. 11. & p. 2. c. 7. §. 1. de doctrina à cap. Graue pondus.* 43 Nu. 22. 1. Cor. 3.

Non aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperetur.

44 *S. Cypr. l. 1. epiſt. 3.*

De pœna eorum, qui Sacerdotibus Dei non obedierunt.

45 QVICVMQVE fecerit in ſuperbia, vt non exau-
Deu. 17. diat Sacerdotem, moriatur homo ille, &c. Et, vt ſciamus hanc Dei vocẽ cum vera & ſumma maieſtate eius proceſſiſſe ad vindicandos & honoran-
Nu. 16. dos Sacerdotes ſuos, cum aduerſus Aaron Sacerdotem tres de miniſtris Chore, & Dathan, & Abiron auſi ſunt ſuperbi eſſe, & ceruicem ſuam extollere, & Sacerdoti præpoſito ſe adæquare, hiatu terræ abſorpti ac deuorati, pœnas ſtatim ſacrilegæ audaciæ perſoluerunt, &c. *Idem Cypr. l. 3. epiſt. 9. vbi late Sacerdotum veneratio Scripturæ teſtimoniis & exemplis comprobatur. Idem eodem l. 3. epiſt. 18. l. 1. epiſt. 8. 9. l. 4. ep. 9. S. Chryſoſt. hom. 2. in ep. 2. ad Timoth.*

Dominum perſequuntur, qui eum in ſuis Sacerdotibus perſequuntur.

46 *Alex. Papa 3. q. 1. c. nulli.*

Qui Sacerdotem inhonorat, Chriſtum, cuius vice fungitur, inhonorat.

47 SACERDOTES Chriſti Vicarij ſunt; &, qui honorat Sacerdotem Chriſti, honorat Chriſtum; &, qui

&, qui iniuriat Sacerdotē Christi, iniuriat Christum. *S. Chrysost. hom. 17. in Matth.*

Vltio vexantium Sacerdotes pertinet ad Christum, cuius legatione funguntur.

SI Dauid Regum iustissimus in Saul, quē constabat iam à Do. reprobatū & abiectum esse, manū mittere nō præsumpsit; quanto magis cauendum est, ne manū detractionis, aut vituperationis, siue indiscretionis, aut inhonorationis, quidam mittant in vnctum Domini, vel in prædicatiores Sāctæ Ecclsiæ? quia eorum vexatio, siue detractio, ad Christum pertinet, cuius vice in Eccelesia legatione funguntur, &c. *S. Gregor. l. 12 ep. 31. ad Felicem Episcopum Siciliæ. Vide ep. S. Fabiani secundam ad Episcopos Orientales, & Epistolas Anacleti, & Telesphori ad omnes Episcopos.* 48

Vindicandum in calumniantes Sacerdotibus.

DEVS ad hoc præordinauit vos Fratres, vt in Sacerdotio laborantibus succurratis, opprobriis, & calamitatibus eorum locum non præbeatis; sed ei, qui calumniam, vel opprobrium patitur, adiutorium feratis: illum vero, qui calumniam, vel opporobrium facit, abscindatis, & Domino in suis Sacerdotibus opem feratis. *Idem S. Fabianus vbi supra 3. quæst. 1. c. Deus ergo.* 49

De Sacerdotibus nihil siniſtri iudicandum.

50 ROGO vos neminem iudicate, præcipue autem Domini Sacerdotem; ſed accede cum fide, & efficaci pœnitentia, & pura conſcientia ad Dei myſteria, & omnem ſanctificationem aſſequeris: eſt enim Dei Angelus, ſeu nuntius, qui offert incruentum ſacrificium. *S. Anaſtaſius Sinaita ſerm. de ſancta communione.*

De eodem.

51 NON oportet Sacerdotes iuſte vel iniuſte iudicare, vel eos examinare; ſed &, ſi quis in eis labitur, à Deo iudicabitur, & arguetur in hoc, & in futuro ſæculo, &c. Aſſueſcendo Sacerdotes contemnere, Deum quoque contemnimus: & ſicut in periculo verſatur is, cui ſecundum mundum nec exercitus, nec Regni dignitas commiſſa eſt, ſi ea agat quæ ad Regiam dignitatem pertinent, ita & qui quæ ſunt Sacerdotis munera aggreditur, etiam ſi videatur his longe ſapientior. *S. Nilus in Nomocanone. Nicolaus Papa diſtinct. 28. cap. conſulendum.*

De eodem.

52 ABSIT, vt quidquam ſiniſtrum de iis arbitremur, qui Apſtolico gradui ſuccedentes Chriſti corpus ſacro ore cõficiunt, per quos & nos Chriſtiani

stiani sumus; qui claues Regni cœlorum habentes quodammodo ante iudicii diem iudicant. *Anterus Papa Episcopis Hispaniæ* 11. *q.* 3. *c. eod. S. Hieron. ep.* 1. *ad Heliod.*

Sacerdotibus non detrahendum.

DETRIMENTVM pecoris pastoris ignominia est: sicut è regione vita illius laudanda est qui veneration̄i habet Sacerdotes Christi, & non detrahit gradui, per quem factus est Christianus. *Idem S. Hieron. ep.* 10. *ad Furiam.* 53

Non temere credendum delationibus contra Clericos.

SI quid de quocumque Clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iuste possit offendere, facile non credas: nec ad vindictam teres accendat incognita; sed præsentibus senioribus Ecclesiæ tuæ diligēter est veritas perscrudanda; & tunc (si qualitas rei poposcerit) canonica districtio culpam feriat delinquentis. *S. Greg. lib.* 11. *ep.* 49. 15. *q.* 7. *c. eod.* 54

Hic aduerte, quod non debet Sacerdoti publica imponi pœnitentia, sicut laico, idq; ex Apostolica traditione. distinct. 50. *c. alienum.* Conc. *Hibern. dist.* 82. *cap. Presbyter.*

Laici Clericos accusare non possunt: ac de populi accusatione.

TESTIMONIVM laici contra Clericum nemo suscipiat. Quod si Sacerdos à populi fu- 55

erit

erit accusatus, & certi testes inuenti non fuerint, qui criminis illati veritatem dicant, iusiurandum in medio faciat; & illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aperta sunt omnia. *Concil. Triburien. cap. 4. Alexand. 3. de accusationibus, c. cum Gregor. lib. 3. epist. 1. p. 2. q. 5. Presbyter.* 1.

Populus Sacerdotes arguere, vel increpare non potest: & infames censentur qui aduersus eos armantur.

56 SACERDOTES qui proprio ore corpus Domini conficiunt ab omnibus sunt audiendi, atque timendi; non dilacerandi, aut detrahendi: quia, à quibus se Domini populus benedici, salutari, & instrui cupit, nullatenus eos debet arguere, nec vulgus in eorum accusationibus suscipi. Populus enim ab eis docendus est, & corripiendus; non ipsi ab eo: quia non est discipulus super magistrum, &c. Dei ergo ordinationem accusat, qui eos, qui ab eo constituuntur, Sacerdotes accusat, vel damnari cupit, &c. Hi qui non sunt idonei non suscipiantur ad accusationem; sed omnes qui aduersus patres, id est, Sacerdotes, armantur, infames esse censemus: patres enim omnes venerandi sunt, non respuendi, aut insidiandi.

Mat. 10

Telesphorus Papa 6. q. 1. c. eod.

Nec

Nec Clerici in accusatione Laicorum, nec Laici in accusatione Clericorum sunt suscipiendi.

Sicut Sacerdotes, vel Clerici reliqui à sæculariũ laicorum excluduntur accusatione; ita illi ab istorum sunt excludendi, & alienandi criminatione: &, sicut isti ab illis, ita & illi ab istis non recipiãtur. Quoniam, sicut Domini Sacerdotum segregata debet esse conuersatio ab eorũm; ita & litigatio: quia seruum Dei non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes. *S. Fabianus Papa 2.q.7.c.eod.* 57 2. *Tim.* 2.

Hæc ideo præmisimus, vt cognoscatur ab iis, quibus incognitum est; quia & Sacerdotes, quos sibi Dominus de omnibus adsciuit, & suos esse voluit, non sunt leuiter tractandi, nec lacerandi, vel temere accusandi, vel reprehendẽdi, nisi à magistris suis: quoniam eorum causas sibi Dominus reseruare voluit, & suo iudicio vindicari. *Ex eodem Fabiano ibid. Iuo p. 6. c. 320.*

Sacerdotes de Laicis iudicãt, non è conuerso.

Vt sup. §. 1. de off. Dignitate, & Potest. cap. Deus vos constituit. nu. 70. 58

Ipse Dominus Sacerdotes puniuit, neq; aliis eorum punitionem commisit.

DOMINVS sacri sui corporis tractatores à vilibus, ac reprobis, ac non idoneis personis infamari 59

mari noluit, nec calumniari permisit: sed ipse pro prio flagello peccatores Sacerdotes à templo eie cit. *S. Anacletus ep. 2. ad Episcopos Italiæ.*

Laicus Ecclesiam, vel Clericum, per ca lumniam fatigans excommunicetur.

60 *Vt supra §. proximo de immunitatibus. c. si quis sa cularium. n. 6.*

Accusatores Episcoporum, vel Sacerdo tum, non admittantur antequam di eorum vita & intentione discutiatur.

61 SI qui sunt vituperatores, aut accusatores Epi scoporũ, vel reliquorum Sacerdotum, non opor tet eos à Iudicibus. Ecclesiæ audiri antequã con discutiatur æstimationis suspicio vel opinio: qu intentione, qua fide, qua temeritate qua vita, qu cõscientia, quoue merito, si pro Deo, aut pro van gloria, aut inimicitia, vel odio, aut cupiditate ist præsumpserint, nec ne. *Euaristus Papa 2. q. 7 c. eos*

Excommunicetur qui Clerici fornica tionem, de qua illum accusauit, non probauerit.

62 SI quis aliquem Clericorum in accusation 1. Cor. 13. fornicationis impetierit, secundum Præceptum Apostoli duo, vel tria testimonia requirantur ab eo: quod si non potuerit, datis testimoniis, appro bare quod dixit, excommunicationem accusati accusator accipiat. *Concil. Bracharen. 2. 2. quæst. 5 c. placuit.*

S

Si quis Presbyterum falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei communionem censemus.

S. Damasus 2. q. 3. c. Si quis Episcopum. Iuo p. 6. cap. 93
240. *Burchardus l. 2. c. 195. Alibi legitur, Non nisi in fine. Quod videtur verisimilius.*

Qui vel vnum crimen ex iis, quæ Clericis obiiciuntur, non probauerit, ad alia non admittatur.

Vt supra §. proximo, de immunitatibus, c. quotiescunque, nu. 8. 64

Clericus non potest coram Iudice sæculari in quauis causa trahi, nec ei iustitia denegari, sub pœna hic statuta.

NVLLVS Ecclesiasticam personam in crimi- 65
nali quæstione, vel ciuili trahere ad sæculare iudicium præsumat, contra constitutiones Imperiales, & canonicas sanctiones. Quod si actor fuerit, à suo iure cadat, iudicatum non teneat; & Iudex ex tunc potestate iudicandi priuetur. Sancimus etiam vt, si quis Clericis, vel Ecclesiasticis personis iustitiam denegare præsumpserit, tertio requisitus iurisdictionem suam amittat. *C. de Episcopis & Cler. l. statuimus. S. Fabianus Papa ep. 2. ad Episc. Orientales. Caius Papa ep. ad Felicem Marcellinus Papa ep. 2. S. Gregor. l. 11. ep. 14. ad Ioannem Defensorem.*

Patro-

Patroni, aduocati, vice Domini, vel beneficiati occidentes Clericum per se, vel per alium, perdunt quod habent ab Ecclesia, & eorum posteri vsque ad quartam generationem non admittantur ad Clerum, nec in religionibus præficiantur.

66 SACRI Concilii approbatione statuimus, quatenus, si patroni, vel aduocati, aut feudatarij *a* seu vice Domini, aut alii beneficiati alicuius Ecclesiæ Rectorem, aut Clericum alium eiusdem Ecclesiæ per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausu nefario præsumpserint, patroni ius patronatus, aduocati aduocatiam, seu datarij feudum, vice Domini vice dominatum, & beneficiati beneficium prorsus amittant. Et, ne minus vindicte quam excessus memoria prorogetur, non solum de præmissis nihil perueniat ad heredes; sed etiam vsque ad quartam generationem posteritates talium in Clericorum collegium nullatenus admittantur, neque in domibus regularibus alicuius prælationis assequantur honores, &c. *Innoc. 3. de pœnis. c. in quibusdam.*

a Vice Dominus] *est proprie œconomus rerum ad Episcopum pertinentium, qui rebus Episcopalibus, & hospitibus superuenientibus prouidet. S. Gregor. lib. 9. ep. 66. dist. 89. c. volumus. & lib. 1. ep. 11. c. Diaconum. Oeconomus autem est, cui res Ecclesiæ gubernandæ man-*

mandantur. C. de Sacrosanctis Ecclesiis. l. iubemus. 2. conc. Chalc. c. 26. 16. q. 7. c. quoniam 2. 2. q. 7. c. Si quis erga. Aliqui scribunt, Yconomus: aliqui, Iconomus. Sed tu scribe, Oeconomus, vt not. Alciat. l. 1. Præter missorum, ad finem.

Vide Philonem Iudæum p. 2. tract. de præmiis Sacerdotum & honoribus: & S. Chrysost. in Psalm. 131. vbi in quanto honore & reuerentia sit habenda Sacerdotalis dignitas, quantamq; reprehensionem ac pœnam mereantur inhonorantes illam, vt supra probatum est. Adde etiam, quod scripsimus duobus §§. præcedentibus.

CAPVT III.

DE SACRIFICII OBLATIONE: DE VESTIMENTIS, VASISQVE SACRIS, ET LINTEIS.

De Sacrificij oblatione, § 1.

SVMMARIVM.

NVMQVAM deficiet Sacerdos, qui offerat sacrificia Domino. 7. 8. 9.

Sacerdotes ad Missæ sacrificium accedentes immaculati esse, sanctificari, & mundari interius,

& exterius debent. 1. 2. 4. 10. 13. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.
Illi solum, qui rite sunt ordinati, possunt Sacramentum conficere. 14. 15. 16.
Quondam aurei Sacerdotes, nunc lignei. 39.
Mali tamen æque vt boni conficiunt. 40. 41.
Communicaturi debent orare. 39. 3.
Et esse ieiuni. 51. 52.
Quotidie sacrificare nec laudatur, nec vituperatur. 37.
Id tamen faciendum saltem festiuis diebus. 38.
Ille vero qui sine impedimento est non conficiens, multis bonis priuat se, fidelesque tam viuos, quam defunctos. 32. 36.
Pro quibus offertur Missæ sacrificium. 48. 49.
Si deest aliquid de substantialibus, Sacramentum non conficitur, secus, si de accidentalibus. 17.
Multa mysteria accidunt ipsa hora sacrificij. 42. 43. 44. 45. 46. 47.
Et omnia, quæ in Missa aguntur atque dicuntur, habent recondita mysteria. 60. cum sequentibus.
Proinde maxima reuerentia Missæ celebrationi adhibenda. 46.
Non celebrandum sermone vulgari. 50. S. Petrus Latine celebrauit. ibid.
Certi ritus in Missa tempore Apostolorum. 51.
Caro Christi est vere cibus, eiusque sanguis est vere potus. 11. 12. 14.
Et sacrosanctum Missæ sacrificium, verum est sacrificium. 92.

Eius

Eius varia Sanctorum epitheta. 93.
Auctores de diuinis officiis Missæ. 91.
Panis, vinum, & aqua ad Missam mundissime tractanda. 53.
Abigendæ muscæ ex altari. 58.
Quædam clara quædam submissa voce dicenda. 54.
Signa decenter facienda. 55.
Coram duobus saltem Missa celebranda. 56.
Cœpta continuanda. 59.
A Laicis etiam respondendum ad salutationes Sacerdotis. 57.
Confessio in Missa. 60.
Introitus. 61.
Gloria Patri. 62.
Kirie eleison. 63.
Gloria in excelsis. 64.
Dominus vobiscum. 65.
Orationes, Collectæ. 56.
Epistola. 67.
Graduale, vel Respons. 68.
Halleluiah. 69.
Tractus. 70.
Prosa, vel sequentia. 71.
Euangelium 72.
Symbolum. 73.
Offertorium. 74.
Aquæ & vini commistio. 75.
Manum lotio. 76.

Orate fratres.77.
Secreta Oratio.78.
Præfatio.79.
Sanctus, Sanctus, Sanctus.80.
Osanna in excelsis.81.
Canon.82.
Oratio Dominica.83.
Hostiæ fractio.84.
Agnus Dei.85.
Osculum Pacis.86. Altaris.90.
Communio. Post Communio.87.
Ite missa est.88.
Benedictio in fine Missæ.89.
Thymiama, quid.2.

1 SACERDOTES qui accedunt ad Dominum sanctificetur, ne percutiat eos. *Exod.*19

2 Missa aqua, lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare; vt offerant in eo *a* Thymiama Domino, ne forte moriantur. *Exod.*30.

a Thymiama] *lingua Græca vocatur quod est Odorabile: Nam Thymos dicitur flos, qui odorem refert: de quo Virgilius, Redolentque thymo fragrantia mella. S. Isidorus Orig. l.5. Ea Thucydides vocat pura sacrificia, cuiusmodi thus, myrrha: veluti impura censeantur, quæ sanguinariam habent effusionem cum animalium cæde. Ven. Beda sup. ep.1, ad Cor. c. eod. dicit esse incensum.*

Ap-

Applicabis Aaron & filios eius ad fores taber- 3
naculi testimonii, & lotos aqua indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi; & vnctio eorum in Sacerdotium sempiternum proficiat. *Exod.* 40.

Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo; nec accedet ad ministerium eius. *Leu.* 21. *Nu.* 21. 4

Sapientia immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam: misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Si quis est paruulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. *Prou.* 9. 5

Noli offerre munera praua: non enim suscipiet illa Dominus. *Eccl.* 35. 6

De Sacerdotibus & Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat sacrificium, & cædat victimas omnibus diebus. *Ierem.* 22. 7

Expecta me, dicit Dominus in die resurrectionis meæ, &c. Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno. Vltra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferẽt munus mihi. *Soph.* 3. *iuxta interpretationem S. Fulgentij l.* 2. *ad Monimum. c.* 5. *Qui de Missæ Sacrificio vaticinium esse testatur.* 8

Ab ortu solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gẽtibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia ma- 9

gnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus. *Malach. 1. iuxta interpretationem Concil. Trident. Sess. 22. c. 1. vbi hanc oblationem mundam intelligit de Missæ sacrificio. Idem prius intellexerunt S. Clemens de Constit. Apost. l. 7. c. 31. Irenæus contra hæreses l. 4. c. 32. & Iustinus Martyr dial. cont. Iudæos. S. August. de Ciu. Dei l. 18 c. 35. Euseb. l. 1. Euangelicarum demonstrationum. c fin.*

10 Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. *Matth. 5.*

11 Ego sum panis Vitæ. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Caro mea, vere est cibus: & sanguis meus, vere est potus. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. *Io. 6.*

12 Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? *1. Cor. 10.*

13 Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat, &c. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit: non diiudicans corpus Domini. *1. Cor. 11.*

De

De veritate Sacrificij Altaris, & quod nemo potest Sacramentum cõficere, nisi Sacerdos rite ordinatus.

VNA est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra 14
quam nullus omnino saluatur: in qua idem ipse Sacerdos est sacrificium Iesus Christus, cuius corpus, & sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate diuina; vt ad perficiendum mysterium vnitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc vtique Sacramentũ nemo conficere potest, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum Claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Iesus Christus. *Inoc. 3. de summ. Trinit. & fide Cathol. c. firmiter. §. vna vero. S. Dionys. de Eccles. hierarch. c. 3. 5. S. Epiphanius in Nazaræis, in Ætio, in Melchisedecianis, & charactere Ecclesiæ. S. Hieron. ad Euagr. contra Luciferianos, Concil. Nicænum, c.* 18.

De eodem.

CHRISTVS nisi rogatus ore Sacerdotis vene- 15
rit, & cenã sanctificauerit, & ministrauerit ea, quæ aguntur, nullatenus Sacrificium Dominicum fiunt. *Isich. l. 2. in c. 4. Leuit.*

De eodem.

SI Iesus Christus, Deus & Dominus noster, 16
ipse & summus SACERDOS DEI Patris,

& sacrificium Patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit; vtique ille Sacerdos vice Christi fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur: & sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. *S. Cyp. lib. 2. ep. 3.*

Si omittitur aliquid de substantialibus in Sacramento, non conficitur; si de accidentalibus, conficitur, licet cum graui peccato.

18 In Sacramento Ordinis, sicut etiam in omnib. aliis, quędam sunt substantialia, quædam accidentalia. Substantialia sunt quatuor; scilicet materia panis & vini, forma verborum, ordo ministri, & intentio. Alia accidentalia, pertinentia ad decorem, & vtilitatem sacramenti: vnde in illis non est idem modus apud omnes Ecclesias. Dicendum ergo, quod, si aliquid de substantialibus omittatur non conficitur Sacramentum; si vero aliquid de accidentalibus solum, conficitur: sed grauiter peccat qui scienter omittit; quia facit contra præceptum Ecclesiæ. *S. Thom. in 4. dist. 3. art. 2.*

In oblatione altaris consideratur Sacrificium & deuotio offerentis.

19 In Oblatione Sacrificij cuiuscumque Sacerdotis duo possunt considerari; scilicet ipsum Sacrificium

cium oblatum,& deuotio offerentis. Proprius autem effectus Sacerdotis est id quod sequitur ex ipso Sacrificio. *Idem S. Thom. p.3.q.22.art.4.ad 2.*

De munditia, & interiori puritate offerentium.

AD Sanctissimum euntes Sacrificium mundari conuenit ab ipsis vltimis animæ phantasmatibus. *S. Dionys. de Eccles. hier. c.3.* 20

De eodem.

SI tanto mentis ardore preces quælibet dicendæ sunt, quanta putamus deuotione sacrosanctum Missæ ministerium, in quo corporis & sanguinis Dominici Sacramenta tractantur, conficiunturque, peragendum est? Certe grauiter dolemus, atque inhorescimus, vbi videmus passim tantis mysteriis indignos ac conducticios illos Sacerdotes, publicis etiam ac manifestis criminibus contaminatos, sese (idq; irreuerenter, & interdum magis lucelli ac stipis, quam Dei causa) sacris ingerere: quorum instat interitus,& perditio non dormitat,&c. *Concil Colonien. de Off. ac vita Clericorum. c.9.* 21

De eodē: & quæ puritas necessaria communicaturo.

SI non decet ad sacras vllas functiones quempiam accedere, nisi sancte: certe, quo magis sanctitas,& diuinitas cælestis Eucharistiæ Sacramenti 28

viro Christiano comperta est, eo diligentius cauere ille debet, ne absq; magna reuerentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat; præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat, & bibit indigne, &c. Quam communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum: Probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur, absq; præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiã accedere debeat. Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo seruandum esse decreuit; modo non desit illis copia Confessoris. Quod si, necessitate vrgente, Sacerdos absque præuia Confessione celebrauerit, quam primum confiteatur. *Concil. Trident. Sess. 13. c. 7. Vide inf. p. 3. c. 3. §. 15. ne missas. 1. Quando corpus.*

1. Co. 11.

De eodem.

22 ACCEDENTES ad Eucharistiam, ne putetis, quod accipiatis diuinum corpus ab homine; sed ex ipsius Seraphim forcipe ignem, quem scilicet Isaias vidit, vos excipere. Reputate, salutarem sanguinem quasi è Diuino, & impolluto latere effluere; & ita approximantes labiis puris accipite. Quocirca, Fratres, oro vos, & obsecro, ne absimus ab Ecclesiis, neq; in aliis occupati simus colloquiis: stemus trementes, & timidi, demissis oculis, renata

autem

autem anima, gementes sine voce, iubilantes corde. An non vides eos, qui sensibili, corruptibili, temporali, & terreno Regi assistunt? &c. *S. Chrysost. hom. in Encæniis.*

De eodem.

QVANTA cura adhibenda sit, vt sacrosanctum 23
Missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quiuis facile existimare poterit qui cogitârit, Maledictum eum in sacris literis vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si ne- Ier. 48.
cessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac diuinum à Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur: satis etiam apparet, omnem operam, & diligentiam in eo ponendam esse, vt quanta maxima fieri potest interioris cordis munditia & puritate, atq; exteriori deuotionis ac pietatis specie, peragatur. *Concil. Trident. Sess. 22. ante Reformationis capita.*

De eodem.

ET lauabat vestimenta sua. Si in figura tanta ob- 24
seruantia, quanta in veritate? Disce, Sacerdos atq; Exo. 19.
Leuita, quid sit Lauare vestimenta tua, aut mun- Leu. 14.
dum corpus exhibere Sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibebatur accedere ad hostiam suam, tu illotus mente pariter & corpore audes pro aliis supplicare,

audes-

audesque pro aliis ministrare? *S. Ambros. de Offic. l. 1. c. 50.*

De eodem.

25 NIHIL in sacrificiis maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi; nec vlla oblatio hac potior est, sed omnes hæc præcellit. Quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab hominibus veneranda: &, sicut potior est cæteris, ita potius excoli, & venerari debet. *S. Alex. epist. 1. de consecr. dist. 2. c. eod.*

De eodem.

26 NVMQVAM mihi contingat turbatum ad Pacis accedere sacrificium, cum ira & disceptatione contingere Sacramentum, in quo Deus indubitanter est, mundum reconcilians sibi. Certe non recipit munus quodcumq; meum, quod defero
Mat. 5. ad altare, nisi antè placato fratre, quem me forte læsisse meminero; quanto minus, si me ipsum non pacauero prius? *S. Bernard. de præcepto, & dispensatione, ad finem.*

De eodem.

27 IN tantum non vult Dominus noster alterius
Mat. 5. despectui habere tristitiam, vt, si aliquid aduersum nos frater habuerit, nec munera nostra suscipiat, id est, nec orationes sibi permittat offerri, donec de animo eius tristitiam iuste, iniusteue conceptam celeri satisfactione tollamus. Neque enim ait: Si habet veram querelam aduersum te frater tuus, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius

prius reconciliare ei. sed: Si recordatus fueris, inquit, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, id est, etiam si leue aliquid, ac vile sit, quo fratris in te fuerit excitata commotio, & hoc memoriam tuam subita recordatione pulsauerit, scias te offerre precum tuarum spiritualia munera non debere; nisi prius qualibet ex causa ortam tristitiam de corde fratris benigna satisfactione depuleris. *Io. Cass. coll. 16. c. 16. & c. 6. & l. 8. c. 12.*

De eodem: ac de munditia exteriori.

CVSTODIRE debes pudicitiam manuum, quantum potes, & omnium membrorum tuorum puritatem. Vnde tibi consulo, vt præ cæteris hominibus, omni tempore, maxime dum Missam celebraturus es, caueas ab omni tactu; non solum turpi, & immundo, qui fit cum peccato, sed etiam à quolibet indecenti, & coinquinato; & totum te recolligas: vt neque actus, neque cogitatio ad aliquid aliud dispergatur. *S. Bonau. de præparat. ad Missam, c. 4.* 28

De eodem.

Vide inf. p. 3. c. 3. §. 14. ne Sacramentum pœnitentiæ, cap. omnes viri. 29

De eodem: ac de abstinentia à carnali consortio.

PAVLVS ad Corinthios scribit, dicens: Abstinete vos ad tempus, vt expeditius vacetis orationi. Et hoc vtique laicis præcepit: multo magis Sacerdotes, 30 1. Cor. 6

dotes, quibus & orandi, & sacrificandi iuge sacrificium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere. *Innoc. Papa dist. 31. c. nam sicut. c. si laicus. Iuo p. 3. c. 279.*

De eodem.

31 EST vetus admodum sacræ legis auctoritas iam
Luc. 1. 2. inde ab initio custodita, quod in templo anno vi-
Par. 24. cis suæ habitare præcepti sunt Sacerdotes, vt seruientes sacris oblationibus puros & ab omni labe purgatos sibi vindicent Diuina ministeria; neque eos ad sacrificia fas sit admitti, qui exercent, vel cum vxore, carnale consortium: quia scriptum
Leu. 11. 20, est: Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Quibus vtiq; propter sobolis successionem vxorius vsus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis, si Sacerdotes, & Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel Sacerdotium, vel ministerium sine successione est; nec præterit dies, qua vel à sacrificiis diuinis, vel à Baptismatis officio vacent? *Innoc. Papa epist. 3. c. 1. dist. 82. c. proposuisti. dist. 31. c. eos. S. Ambros. sup. ep. 1. ad Timoth. Ven. Beda sup. Luc. c. 1. l. 1. Iuo p. 6. c. 94.*

Sacerdos sine impedimento non sacrificans quot bonis seipsũ, & alios priuet.

31 CVM Sacerdos est absque mortali peccato, & in præposito bono non habens impedimentum; & non ex reuerentia, sed ex negligentia celebrare omit-

omittit: tunc, quantum in ipso est, priuat Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio, & gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, & seipsum medicina & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates. Quia, sicut ait Ambrosius, si, quotiescumque effunditur sanguis Christi, toties in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. Item priuat se omnibus talibus prouenientibus ex sacra communione, quæ sunt, peccatorũ remissio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Christi & corporis eius mystici incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolum armatis fidei certitudo, spei eleuatio, caritatis excitatio, deuotionis augmentatio, & Angelorum conuiuatio, &c. Item abiicit viaticum suæ peregrinationis, exponens se periculo mortis: quia, nisi recipiat alimentum corporis Christi, & vitæ vegetationem, efficitur sicut aridum membrum, ad quod non transmittitur corporalis cibi nutrimentum. Vltimo, quantum in se est, euacuat diuinum cultum, & latriam creatori debitam, ingratus de beneficiis. Vnde dicitur: Si quis mũdus est, scilicet à peccato mortali & in itinere non fuerit, scilicet aliter impeditus, & nõ fecerit phase, anima illa de populo suo exterminabitur, quia sacrificiũ non obtulit Deo Domino tẽpore suo. Ergo, quantum potes, toto cona-

de conſ. diſt. 2.

Num. 9.

conatu per exercitium boni operis, lacrymarum contritionem, & deuotionis flammam, expelle à te omnem teporem, & negligentiam, ne inueniaris respuere tantorum charismatum dona. *S. Bonau. de præpar. ad Missam. c. 5. ex Ven. Beda. S. Thom. p. 3. q. 82. art. 10.*

Communicaturis quid cogitandum.

33 QVOTQVOT in corpore Christi communicamus, quotquot sanguinem illius degustamus, cogitemus, quod illius corpus, & sanguinem degustamus, qui in cælestibus sedet, qui ab Angelis adoratur, qui proxime consistit immortali Dei potentiæ, &c. Adstat mensa Regia, adsunt Angeli mensæ huius ministri, adest Rex ipse: & tu oscitabundus stas? sordidis indutus es; & nihil curas? Sed vestibus es mundis? Recumbe, & cõmunica, &c. *S. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Ephes.*

De præparatione ad Missam.

34 VIDE *duas orationes S. Ambrosij, quæ incipiunt, Summe Sacerdos, &, Summa & incomprehensibilis natura. post Tractatum de dignitate Sacerdotali, & librum integrum continentem capp. 14. S. Bonau. de eadem materia, tom. 2. post Speculum B. Virginis. S. Th. opusc. 58. c. 15. cum seqq.*

Sacerdotes sacrificantes Christum imitentur.

35 VIDIMVS principem Sacerdotum ad nos venientem; vidimus, & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum. Sequamur, vt possumus;

Sacer-

Sacerdotes; & offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio. Quia, etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur; immo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur. *S. Ambros. sup. Psal. 38.*

Quotidie communicandum.

ACCIPE quotidie, quod quotidie tibi prosit: 36
sic viue, vt quotidie merearis accipere. *S. August. serm. 28. de verbis Domini sup. Lucam.*

Quotidie communicans nec laudatur, nec reprehenditur.

QVOTIDIE Eucharistiæ communionem perci- 37
pere nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor; si tamen mens sine affectu peccandi sit: nam habentem adhuc voluntatem peccandi grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, quã purificari. Et ideo, quisquis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem; & communicaturus satisfaciat lacrymis, & orationibus; & confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consueuit, accedat ad Eucharistiam intrepidus, & securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non grauant, &c. *S. Aug. de Eccles. dogmatib. cap. 53. de consecr. dist. 2. c. eod. De quo vide optima documenta apud S. Bonauen. de processu Religionum. c. 21.*

Dominicis & festis diebus saltem celebrandum.

38 CVRET Episcopus, vt Sacerdotes, saltem diebus Dominicis & festis solemnibus, (si autem curam habuerint animarum tam frequenter, vt muneri suo satisfaciant) Missas celebrent. *Concil. Trident. Sess. 23. c. 14. S. Thomas p. 3. quæst. 82. art. 10.*

Quondam aurei Sacerdotes, nunc lignei.

39 VASA, in quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, Calices sunt, & Patenæ. De quibus Bonifacius Martyr & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit: Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus vetebantur; nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis vtuntur Calicibus, &c. *Concil. Tribur. c. 18, de consecr. dist. 1. c. eod. De his Calicibus ligneis vide inf. §. 2. de Vestimentis, num. 19.*

Boni, & mali Sacerdotes æquè conficiunt corpus Christi.

40 INTRA Catholicam Ecclesiam in mysterio corporis & sanguinis Domini nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: quia nõ in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, & in virtute Spiritus sancti. *S. Aug. 1. q. 1. c. eod.*

De eodem.

41 NON oportet offendi propter sacra quæ celebrantur ab improbo Sacerdote. Eadem est oblatio, etsi habeat vitam impuram is qui offerat. *S. Nilus in Nomocanone. S. Isid. Pelus. l. 1. epist. 349.*

De

De mysteriis, quæ ipsa immolationis hora accidunt.

QVIS fidelium habere dubium possit, in ipsa 42
immolationis hora cælos aperiri ad Sacerdotis vocem? In illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse? summa & ima sociari? vnumq; ex inuisibilibus & visibilibus fieri? Vno eodemque tempore, ac momento in cælo rapitur ministerio Angelorũ corpori Christi sociandus, & ante oculos Sacerdotis in altari videtur, &c. Tanta est Ecclesiæ vnitas in Christo, vt vnus vbiq; sit Panis corporis Christi, & vnus sit Calix sanguinis eius. Calix enim, quem Sacerdos Catholicus sacrificat, non est alius, nisi ipse, quem Dominus Apostolis tradidit, &c. *S. Gregor. de consecr. dist. 2. c. quid sit sanguis.*

De eodem.

FELIX exercitium, vbi tractat Christum Sa- 43
cerdos Dei filium; Cæleste mysterium, quod per ipsum Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tam mirabiliter operatur super tam ineffabili ministerio suo, quod vno eodemq; momento idem Deus, qui præsidet in cælo, in manibus suis est in Sacrificio; &, quod datum est Angelis, concessum est homini. Sacerdos hoc Sacramentum ineffabile conficit; Angelus conficienti sibi quasi famulus assistit. Vere veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei filius, velut in vtero Virginis, incarnatur. *S. August. conc. 2. sup. Psal. 37.*

De eodem.

44 DVM conſpicis Dominum immolatum, Sacerdotem Sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum vero turbam circumfuſam pretioſo illo ſanguine intingi, ac rubefieri, etiam ne te inter mortales verſari, atque in terra conſiſtere cenſes? ac non potius è veſtigio in cælos transferri? ac non, carnis cogitationem omnem abijciens, nudo animo, mẽte pura, circumſpicis, quæ in cælo ſunt? O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe ipſum tradit volentibus ipſum excipere, ac complecti, &c. S. *Chryſoſt. de Sacerd. l. 3.*

De eodem.

45 PER tempus Sacrificij Angeli Sacerdoti aſſident, & cæleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt, &c. *Idem S. Chryſoſt. de Sacerd. l. 6.*

De eodem, ex viſione cuiuſdam viri ſancti: ac de reuerentia Miſſæ celebrationi adhibenda.

46 SÆPE vidit in Eccleſia (intellige Ioannem quendam Sacerdotem) Angelos, ſed maxime tempore Sacrificij: itaque, admiratione & lætitia plenus, amicis multum ſpiritualibus ſeorſum narrabat, quemadmodum, cum Sacerdos Oblationem ſanctam facere inciperet, plurimi Angeli è cælo

delapſi

delapsi, splendidissimis stolis induti, nudo pede aspectu intento, vultu demisso, circumstantes altare, magna reuerentia, ac quiete, ac silentio, vsque ad mysterij consummationem assistunt; deinde discurrentes huc atq; illuc per totam Ecclesiam, Episcopos ac Presbyteros, qui corpus ac sanguinem distribuunt, adiuuant, & corroborant. Hæc scribo, vt, intelligentes, quanti tremoris sit diuina Missa, nec ipsi remissi timorem Dei negligatis, nec vllos alios loqui, aut musitare tempori oblationis, neq; innuere audacter, aut à statu grauitatis dimoueri, neq; huc atq; illuc circumspicere, aut ignaue, & dispersè vagari permittatis. dicit enim Dominus Moysi, ac per eum omnibus Sacerdotibus: Facite filios Dei reuerentes, & non contemptores. *S. Nilus ad Anastasium Episcopum, tom. 3. Bibliothecæ Sanctorum Patrum.*

De voluptate cuiusdam Eremitæ inter Missarum solemnia.

CVM Maris Eremita longo tempore desiderasset videre spirituale & mysticum Sacrificium, rogauit, vt diuini doni illic fieret oblatio. Ego vero lubenter parui; & iussi sacra vasa afferri, & pro altari vsus Diaconorum manibus, mysticum, diuinum, & salutarè obtuli Sacrificium. Ille autem spirituali implebatur voluptate, & existimabat seipsum cælum videre, dicebatque se numquam tantam cepisse voluptatem. *S. Theodoret. hist. relig. c. 20.* 47

Sacerdos pro quibus offert Sacrificium.

48 ALTARI assistens Sacerdos pro vniuerso orbe terrarum, pro absentibus, atque præsentibus, pro iis qui ante nos fuerunt, pro iis qui post nos futuri sunt, Sacrificio illo proposito, Deo nos gratias iubet offerre. Hoc quippe & à terra nos liberat, & transponit in cælum, atque ex hominibus Angelos facit. *S. Chrysost. hom. 37. in Matth.*

In Missa facienda memoria defunctorũ, ex traditione Apostolorum.

49 DIVI Apostoli, discipuli Saluatoris, qui totum Mundi circulum viuum cepere prædicando Verbum, quod suis oculis viderant, in tremendis, impollutis, vitalibusq; Sacramentis, memoriam eorum qui fideliter obdormierunt habendam ediderunt. *S. Io. Damasc. serm. de defunctis. S. Chrysost. ho. 3. in ep. ad Philipp. & 69. ad popul. Antiochen. 41. in ep. 1. ad Cor. & hom. 12. in Acta Apost. S. Cypr. ep. 9. l. 1. S. August. l. de cura pro mortuis agenda. c. 1. & de verbis Apostoli, serm. 34. al. 32. l. 9. Confessionum c. 11. 13. S. Epiph. cont. Aërium.*

Missa non celebranda vulgari sermone, & quod S. Petrus Latine celebrauit.

50 ETSI Missa magnam continet populi fidelis eruditionem; non tamen expedire visum est Patribus, vt vulgari passim lingua celebraretur. *Conc. Trident. Sess. 22. c. 18. & can. 9. Et, S. Petrum Romæ Missam*

Missam Latine celebrasse, testatur S. Isidorus de off. Eccles. l. 1. c. 15. & Hugo Card. de off. Eccles.

Missæ ritus quales tempore Apostolorum.

INSPISCIAMVS per singula mysterij sanctissimi ritum, exactissimamque confectionem; &, quid spiritualiter signet, indagare pergamus. Itaque Pontifex quidem, vbi orationem sanctam supra diuinum altare peregit, ex ipso incensum adolere inchoans, omnem fani ambitum circuit. Demum, ad sanctum altare iterum rediens, Psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus Ecclestastici ordinis gradibus. Deinde, ministrorum officio, sanctarum scripturarum lectio suo ordine recitatur. Post hæc, extra delubrum catechumeni fiunt, & cum ipsis energumeni, & ij quoque, qui in pœnitentia sunt. Manent autem intus soli, qui diuina spectare merentur, atque percipere. Porro ministrorum alij quidem pro clausis templi foribus adstant, alij proprij aliquid muneris agunt. Qui vero ipsius ordinis præcipui sunt vna cum Sacerdotibus sanctum Panem, & benedictionis Calicem sacrosanctis Altaribus imponunt; cum ante præcesserit ab omni Clero vniuersalis laus, atque confessio. Ad hæc, venerandus Antistes, orationē sanctissimam peragens, pacē sanctā omnibus nuntiat; &, cum se mutuo omnes salutauerint, mystica Sanctorū recitatio fit. Vbi vero manus tum Antistes, tum Sacer- 51

dotes aqua lauerunt, Pontifex ad medium diuini assistit Altaris: circumstant autem soli cum Sacerdotibus electi quinq; ex ministrorum numero. At vero Pontifex, cum diuina munera laude persecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit: &, quæ ante laudauerat venerandis operta atq; abdita signis in conspectum agit, diuinaq; munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem & ipse conuertitur, & reliquos vt communicēt hortatur. Sumpta demum, atq; omnibus tradita cōmunione diuina, gratias referens, finem mysteriis imponit. Ac multi quidem sola insigna diuina prospiciunt: ipse autem semper diuino spiritu ad excelsa signorum initia, felicibus & intelligibilibus intuenda luminibus, Pontificia dignitate, ac merito, munditiaq; singulari, diuini capacioriſq; sensus attollitur. *S. Dionys. Areop. Eccles. hierarch. c. 5. vbi latius explicat singulorum rituum causas, & significationes mysticas.*

Missa à ieiunis celebranda.

52 PLACVIT Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti, scilicet Eucharistiæ, prius in os Christiani corpus intraret, quam cæteri cibi, &c. *S. August. de cons. dist. 2. c. liquido. Nullus post cibum potumque, quantumlibet minimum sumptum, Missas facere præsumat. Concil. Toletan. 7. 7. q. 1. c. nihil, de cons. dist. 2. c. Sacramenta altaris.*

Panis

Panis, Vinum, & Aqua ad Sacrificium mundissime tractentur.

DILIGENTER obseruetur, vt Panis, & Vinum, & Aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissime atque studiose tractentur, & nihil in eis vile, nihil non probatum inueniatur: iuxta illud, quod ait Scriptura: Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. *Concil. Toletan. 16. c. 6. S. Burchard. l. 5. c. 29.* 53 Deu. 12.

In Missa quæ clara, quę submissa voce dicenda, & qualiter.

INTROITVM Missæ, Orationes, Epistolam Graduale, Euangelium, Symbolum, &c. non secreta, sed alta, & intelligibili voce proferat Sacerdos. Secreta vero, & Canonem morose, & distincte, submissa voce legat. *Sacerdotale Rom. p. 1. c. 13.* 54

In Missa qualiter signa facienda.

IN celebratione quisq; Calicem, & oblata non circulo, aut digitorum vacillatione; sed vinctis, & extensis digitis Cruce signet, sicq; benedicat. *Idem Sacerdotale ibidem.* 55

Missa coram duobus celebranda.

NVLLVS Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur, &c. *S. Soter. Papa de cons. dist. 1. c. hoc quoque. c. Episcopus Deo.* 56

Omnes, etiam laici, respondere tenentur ad Salutationes Sacerdotales.

57 INTIMANDVM est fidelibus, vt ad Salutationes Sacerdotales congrue responsiones discant vbi non solum Clerici, & Deo dicati, responsiones Sacerdoti offerant, sed omnis plebs, consona voce, deuote respondere debet. *Concil. Aurel. c. 2.*

Duo Diaconi abigant muscas ex altari duobus flabellis.

58 DVO Diaconi ex vtraque parte altaris teneant flabellum, confectum ex tenuibus membranis, vel ex pauonum pennis, vel ex velo, quibus leuiter abigant præteruolantes bestiolas, ne in poculi incidant. *S. Clemens de Constit. Apost. l. 8. c. 5.*

Qualiter continuanda Missa, quam non potuit explere qui cœpit.

59 CVM à Sacerdotibus Missarum tempore sacra mysteria celebrantur, si ægritudinis acciderit quilibet euentus, quo cœptum nequeat consecrationis explere mysterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri consecrationem exequi officij cœpti, &c. *Concil. Toletan. 7. c. 2. 7. q. 1. c. nihil, de cons. dist. 1. c. vt illud.*

De Confessione in Missa.

60 GENERALIS confessio in Missa præcedit, propter venialia peccata oblita, vel neglecta. *Innoc. 3. de sacro altaris mysterio. l. 2. c. 13. Huius institutionis*

tionis auctor fuit S. Damasus, teste Platina. sed Berno de offic. Missæ c. 25. hoc adscribit S. Pontiano.

De Introitu, & Psalmo.

INTROITVS significat aduentum Christi mundum: & cantus, qui sequitur, significat voces Prophetarum, aduentum Christi pronuntiantium. 61
Rupertus l. 1. de diu. off. c. 28. Hunc instituisse dicitur S. Cælestinus Papa anno Domini 426. teste Martino Polono in Supputationib. & Platina in Cælestino. Quamuis multo antiquius censeat esse Tho. Waldensis de Sacramentalibus, tomo 5. tt. 4. c. 31. Vide Cassianum l. 3. c. 11. & S. Dionys. de Eccles. hier c. 3. ibi. Itaque Pontifex, &c. Olim integer Psalmus dicebatur in Introitu Missæ, vt refert Hugo Card. de officiis Ecclesiæ l. 2. c. 11. Postea vero vnicus tantum Psalmi Versiculus introductus est loco totius Psalmi.

De Gloria Patri.

GLORIA Patri, & Filio, &c. *ponitur in fine introitus, ex Decreto S. Damasi Papæ, vt refert Hugo vbi sup. Concil. Vasense c. 6. Quamuis Concil. Toletanum 4. c. 14. præcipiat, dicendum, Gloria & honor Patri, vt videre est in Missa S. Leandri Hispalensis, siue Mozarabum, qua vsa est Hispania vsque ad tempora Alfonsi Sexti. Alij aliter dicebant: vt colligitur ex Nicephoro Eccles. hist. l. 9. c. 24. l. 18. c. 51. vbi dicit, inuenta à Flauiano, adiuuante S. Chrysostomo, de feriis c. 2.* 62

De Kyrie eleyson.

KYRIE eleyson, *instituit iterata voce cantari Concilium Vasense, can. 3. anno Domini 450. Et Hugo* 63

vbi

vbi supra tenet S. Syluestrum Papam circa annum Domini 320. idiomate Græco primum suscepisse. Sed Ecclesiæ traditio tenet, S. Gregorium decreuisse, vt nouies in Missa caneretur. Vide eundem S. Greg. ep. 63. l. 7. S. Chrysost. hom. 21. ad Romanos, & de laude eorum, qui conueniunt in Ecclesia. Amalarius c. 6. de off. Missæ. Quare autem Græce dicamus, & non Latine, quadruplicem rationem affert Card. Turrecrem. de consecr. dist. 1. c. Iacobus. Et quare nouies, contra nouem genera peccatorum, refert Innoc. de sacro altar. myst. cap. 19. l. 2. quamuis aliter dicat Amalarius l. 4. c. 2. de Eccles. off. & aliter S. Thom. p. 3. q. 83. ar. 4. ter scilicet pro persona Patris, ter pro persona Filij, ter pro persona Spiritus sancti: & cum subditur, Kirie eleyson, contra triplicem miseriam, Ignorantiæ, Culpæ, & Pœnæ.

De Gloria in excelsis.

60 GLORIA in excelsis Deo, Telesporus Papa anno Domini 140. iussit cani in Missis Natalis Domini, de consecr. dist. 1. c. nocte sancta. Et postea in Missa Cænæ Domini constituit Nicolaus Papa, eadem dist. c. porro. Et vltimo Symmachus Papa adiecit, vt in omnibus Dominicis & festiuitatibas Martyrum caneretur. S. Hilarius Pictauien. Episcopus tempore Concilij Nicæni adiecit illa quæ sequuntur, ab illo loco, Laudamus te, quia præcedentia Telesporus Papa cani iusserat. Alcuinus de diu. off. c. de celeb. Missæ. sed verius est, hymnum istum ab Apostolis compositum: integer enim fere exstat apud S. Clementem l. 7. de constit. Apst. c. 48.

De

De Dominus vobiscum, Et cum Spiritu tuo.

Dominus vobiscum, *sumptum est ex c.2. Ruth,* 65 *& 2. Paralipom. 15.* Et cum Spiritu tuo, *traditum est ab Apostolis, secundum Concil. Bracharense I. can. 21.*

De Orationibus, vel Collectis.

ORATIONES, vel *b* Collectas, *à primitiua Ecclesia institutas, quibus vel laudatur Deus, vel ab eo aliquid petitur; easq; non nisi impari numero dicendas, neque vltra septem, tenet Innoc. de sacro altaris myst. c.26. vbi de auctoribus earũ. Neq; alias dicẽdas, quam quæ probatæ in Concilio fuerint, vel cum prudentioribus collatæ, iuxta Concil. Carthagin. 3. can. 23. & Mileuitanum can. 14. sub Innocentio 1. & Africanum can. 70. Concluduntur, dicendo,* Per Dominum nostrum, &c. *videlicet, Patrem orando per Filium, iuxta eiusdem Filij præceptum:* Quodcunq; petieritis Patrem *in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 6.

b Collectæ] *præter alia significata, (vt contributiones, & tributa, vt collectiones eleemosynarum, quæ fiebant ad alendos fideles, 1. Cor. 6. vt festa, & congregationes populi, & cœtus, Deutr. 16. 2. Paralipom. 7.) sunt in proposito nostro Orationes, quæ circa Principium Missæ dicuntur: quia Sacerdos, qui legatione fungitur apud Deum pro populo, petitiones omnium in vnum colligit, & concludit, vt eas ad Dominum referat. Proprie tamen sunt Collectæ, quæ super populum*

lum collectum dicuntur, quas vocat Collationes, vel Collectiones, Concilium Agathen. c. 30. de consecr. dist. 5. c. conuenit. Vel dicuntur à Collectione, eo quod ex auctoritate diuinarum Scripturarum sint collectæ: vel quod ex multis sermonibus vna colligitur oratio, vt reperitur in Fragmentis Caroli Magni de veteris Ecclesiæ ritibus cap. de sacrif. Missæ. Aliter interpretatur Micrologus c. 3. de Eccles. obseruat. Sed hæc modo sufficiunt.

De Epistola.

67 SCRIPTVRAS sacras tam de nouo, quam de veteri testamento, consuetas legi in Missa tempore Apostolorum, *patet ex can. 9. Apostolorum. S. Dionysius de Eccles. hier. c. 3. S. Clem. de Const. Apost. l. 2. c. 57. Quare autem legatur ante Euangelium, sunt variæ rationes: quas referunt Rupertus l. 1. c. 32. de diuinis off. & Innoc. de Sacro alt. myst. l. 2. c. 28. In* Dominicis legi *consueuit ex nouo testamẽto, quia sumus sub lege gratiæ quam post resurrectionem, quæ Dies Dominicus repræsentat, vniuerso Orbi illuxit. Hæc olim in Missa à Diacono recitabatur, vt tradit Catechismus Pij V. de Sacramento ordinis.*

De Graduali, siue Responsorio Missæ.

GRADVALE, Pœnitentiæ lamentum *indicat. Rupertus de diu. offic. l. 1. c. 34. Innoc. l. 2. c. 31. S. Gre-*
68 *gor. ep. 8. l. 9. Concil. Tolet. 4. c. 10. Illud inuenisse dicunt alij S. Gregorium, Alij S. Ambrosium, alij Gelasium: sed certius est, auctorem fuisse S. Cælestinum Papam, secundum Rupertum l. 2. c. 21. Berno de off. Missæ c. 25. In Officio Romano, & in Ambrosiano, Responsorium Missæ dicitur.*

De

De Halleluiah.

POST Lamentum Gradualis sequitur consolatio, quæ per Halleluiah significatur: quia beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Innoc. l.* 69
2. c. 32. S. Augusti. ep. 178. S. Isid. de off. l. 1. c. 13. & l. Mat. 5.
6. Etymolog. c. 19. & proprie significat, laudate Dominum. Idem S. Augusti. super Psal. 118.

De Tractu.

TRACTVS significat Gemitum sanctæ Ecclesiæ. *Alcuinus de diu. off. c. de septuagesima. Hugo de Sancto Victore in Speculo Ecclesiæ, c. 7.* Et Miseriam præsentis incolatus. *Innoc. l. 2. c.* 32. Aliquando vero etiam Lætitiam sonat: *vt probat Amalarius de Eccles. off. l. 3. c. 14. Et ratio est, quia quandoque lacrymæ intercedüt ratione superni gaudij, & irrigui superioris: & tunc Tractus Lætitiam significat. Durandus in Rationali, l. 4. c. 20. S. Greg. l. 3. Dialog. c. 34.* 70

De Prosa, vel Sequentia.

PROSA Sequentiam significat: & illud tempus ad nostram mẽtem reducit, quando non erit necessaria locutio verborum; sed sola cogitatione mens menti monstrabit quod retinet in se. *Alcuinus de diu. off. c. Quid significent vestimenta. Amalarius lib. 3. de off. c. 10. Eas in Ecclesia cantari constituit Nicolaus Papa I. vt refert Trithemius in eius vita, circa annum Domini 860.* 71

De Euangelio.

A Primis Apostolorum successoribus constitutum 72

tutum est, vt in missa ante celebrationem Sacrificij Euangelium legeretur. *Strabo de rebus Eccles. 22.* Et lecturus Euangelium Diaconus faciem suam versus Aquilonem ponit, vt ostendat verbum Dei, & annuntiationē Spiritus sancti contra eum dirigi, qui semper Spiritui sancto contrarius est. *Alicuius de diu. in off. de celebr. Missæ. Innoc. l. 2. cap. 43.*

Isa. 14.

De Symbolo.

73 SYMBOLVM Apostolicum (de quo S. Augus. serm. 2. Dominicæ palmarum) in Missa recitabatur in primitiua Ecclesia vsq; ad tēpora S. Marci Papæ circa annum 339. Sed postea propter Arianorum hæresim Smbolum Nicænum in Ecclesia decantari alta voce post Euangelium ipsemet S. Marcus præcepit. *Berno de off. Missæ c. 25. Deinde Damasus solemnibus diebus Symbolum Constantinopolitanum ad Missam cantari instituit. Rubertus de diu. off. l. 2. c. 12. Post, vt die Dominica in omnibus Ecclesiis Symbolum recitetur, statuit Concil. Toletan. 3. cap. 2. Agathense. c. 9.*

De Offertorio.

74 OFFERTORIVM dicitur ab offerendo, quia dum cantatur Sacerdos accipit oblationes. *Innoc. l. 2. c. 53. vbi, Ordo conueniens, inquit, vt post prædicationem sequatur fides in corde, laus in ore, fructus in opere, fides in Symbolo, laus in Offertorio, fructus in Sacrificio. Incipit Offertorium, vbi Sacerdos dicit:* Domi-

Dominus vobiscum ; & finitur cum alta voce dicit: Per omnia sæcula sæculorum. Traditur fuisse auctor Offertorij S. Gregor. vt refert Rudolphus Tungrensis de Canonum obseruantia propos. 23. Vide S. Isidor. de off. l. 1. c. 14. Rabanum de instit. clericorum l. 1. c. 33. Et, quod semper ad Missam sint oblationes faciendæ, præcepit, Greg. 7. de consecr. dist. 1. c. omnis Christianus.

De permistione Aquæ & Vini.

NON debet in Calice Domini aut vinum solum, aut sola Aqua offerri; sed vtrumque permistum ; quia vtrumque ex latere eius in passione sua perfluxit. *S. Alex. de consecr. dist. 2. c. in Sacramentorum. c. cum omne. Concil. Carthagin 3. can. 24. Et plus de vino, quam de aqua ponendum in Calice. Honorius de celebr. miss. c. pernitiosus. Idque propter multas rationes, quas refert Magister sentẽtiarum l. 4. dist. 12. S. Th. p. 3. q. 74. art. 8.* 75

De Manuum lotione.

DE hac secunda Manuum lotione inter Missarum solemnia extant plurimorum Patrum antiqua documenta. *S. Dionys. de Eccles. hier. cap. 3. S. Clem. de Constit. Apost. l. 8. ca. 11. vbi quod est signum puritatis animarum, quæ Deo dicatæ sunt. S. Chrysost. hom. 61. ad populum Antioch. sanctus Cyrill. catechesi mystag.* 76

De Orate fratres.

SACERDOS hoc faciens hortatur se, & fratres ad orandum; quia Dominus orauit & discipulos ad orãdum excitauit. *Hoc adscribitur S. Leoni* 77

Papæ Rodulphus. Tungrenſ. de canonum obſeru. propoſitione vltima. Sed S. Chryſoſt. hom. 10. in Epiſtolam 2. ad Corynth. eius meminiſſe videtur, & S. Auguſt. ep. 106. ad Vitalem.

De Secreta oratione.

78 SILENTIVM Sacerdotis latibulum Chriſti deſignat. *Innoc. 3. l. 3. c. 54. In ea precatur Sacerdos per eandem hoſtiam purgari vſquequaque. Sacerdotis ſolius eſt, ſoli Deo offerre ſacrificium. Et ideo, quia Deo cogitationibus loquimur, non eſt neceſſaria vox reboans; ſed verba, ad hoc tantum, vt Sacerdos eiſdem admoneatur, quid cogitare debeat. Amalarius l. 3. de Eccleſ. off. c. 20. Vide Th. Walden. de Sacramentalibus, tomo 4. c. 3.*

De Præfatione.

79 FINIS Orationis Secretæ eſt principium præfationis, propter quod Sacerdos inſinuat, Chriſtum eſſe lapidem angularem, qui fecit vtraque vnum. *Innoc. l. 2. c. 61. Et vulgo creditur, S. Gelaſium fuiſſe auctorem præfationum. Alcuinus de diu. off. c. de celebr. Miſſæ. Sed verius eſt, Præfationes inſtitutas ab ipſis Eccleſiæ primordiis. S. Clem. de Conſtit. Apoſt. l. 8. c. 16. S. Cypr. de oratione Dominica. S. Chryſ. hom. 3 in c. 3. ad Coloſſ. Quis vero fuerit primus auctor, non conſtat. Walafridius Strabo l. 2. de rebus Eccl. c. 22.*

De Sanctus, Sanctus, Sanctus.

80 VVLGO receptum eſt, S. Sixtum addidiſſe ad miſſam hanc vocem Sanctus, ter repetitam. *Rupertus l. 2. de diu. off. c. 21. Microlog. de Eccleſ. obſeruationibus*

nibus, c. 11. Concil. Vasense c. 6. Sed ex Liturgiis Sanctorum Iacobi & Marci, qui aliquot annos præcesserunt S. Sixtum, apparet, antea in Missa cantari consuetum. S. Clemens. de Constit. Apost. l. 8. c. 16. Et dicitur ter Sanctus, in confessionem trium personarum; & semel Deus Sabbaoth, in testimonium vnius Deitatis, & essentiæ. Stephanus Eduen. de Sacram. altaris, c. 12. Alcuinus de diu. off. c. de celebr. Missæ.

De Osanna in excelsis.

HANC vocem in aliam linguam transferri non 81
posse, dicit sanctus Hieron. ep. 145. ad S. Damasum, & S. August. l. 2. de doctrina Christiana, c. 11. Alij dicunt, significare Gloriam; alij redemptionem; alij Saluifica, siue Saluum fac. S. Chrysost. hom. 37. in c. 21. S. Matt. in opere imperfecto. Vide Euthy. in c. 21. S. Matt.

De Canone.

CREDIMVS quod formam verborum, sicut
in canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab 82
ipsis eorum acceperunt successores. Innoc. 3. de celebr. Missarum. c. cum Marthæ. licet quidam tribuant eius compositionem Scholastico cuidam, vt colligi autumant ex S. Greg. l. 7. ep. 63. Quod verisimilius est non esse nomen proprium, sed significare virum aliquem peritum, & in rebus Ecclesiasticis exercitatum. Alij dant S. Gelasio Papæ, vt refert Inno. 3. de sacro alt. mysterio, l. 3. c. 10. Clith. de off. Missæ. c. 18. De cuius Canonis peculairi interpretatione quia multi in ea sunt prolixius immorati, legendi sunt inter alios Inno. 3. l. 3. de sacro alt. mysterio, Gabr. Bielis integer liber, & Odo Episcopus Cameracensis.

De Oratione Dominica, vel legitima; & eius præfatione, præceptis salutaribus, &c.

83 HÆC Præfatio vetustior est, quam plerique arbitrantur. *Nam de illa mentionem facit S. Cypr. tract. de Oratione Dominica duobus locis, ibi: Qui inter cætera. & ibi: Quod nomen. Orationem vero Dominicam in Missæ sacrif. dicendam, Christus ipse Apostolos docuit, auctore S. Hieron. contra Pelagianos l. 3. & S. Greg. l. 7. ep. 63. refert, hunc fuisse modum Apostolorum. S. Ambros. l. 5. de Sacramentis. c. 4. vnde conuincitur error dicentium S. Greg. fuisse auctorẽ dicendi orationem Dominicam in Missæ sacrificio. De cuius orationis auctoritate, & virtute vide sup. p. 1. c. 7. §. 1. nu.* 41. 42. *Quamlibet.*

De fractione Hostiæ.

84 ANTE Communionem frangit Sacerdos Sacram Hostiam in tres partes, corpore tamen Christi integro & illæso sub partibus Hostiæ, & fractis speciebus. *S. Dionys. de Eccles. hier. c. 3. Et quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur; & propter te frangi permittit, vt omnes satiet. S. Chrysost. hom.* 24. *ad c.* 10. *prioris Epistolæ ad Corinth. de consecr. dist.* 2. *c. qui manducat, c. cum frangitur. Harum trium particularum significationem Sergius Papa notauit de consecr. dist.* 2. *c. triforme. Pars scilicet oblatæ in calicem missa, corpus Christi, quod iam resurrexit, significat: pars comesta, ambulans adhuc super terram: pars in altari, vsque ad finem Missæ remanens, corpus in sepulcro;*

pulcro; quia vsque ad finem sæculi corpora Sanctorum in sepulcris erunt. Vel aliter, secundum Rabanum de instit. Clericorum l. 1. c. fin. Vel aliter, secũdum Stephanum Eduensem de sacra. alt. c. 18. vel aliter secundũ S. Th. p. 3. q. 83. art. 5. Alias interpretations ponit Innoc. l. 6. c. 3. de sacro altar. myst. Sed aduerte, quod ritum illum, tertiam partem reseruandi vsque ad finem Missæ, Ecclesia immutauit propter pericula, quæ possent contingere in illus particulæ reseruatione. S. Th. vbi supra, & gl. d. c. triforme.

De Agnus Dei.

LICET vulgo credatur, hanc precationem à 85
Sergio Papa inuentam, vt à clero & populo hoc decantaretur: *vt ait Rupertus l. 2. c. 22. de diu off. Strabo de rebus Eccles. c. 22. Bernardus de quibusdam rebus ad Missam spectantibus c. 19.* Antiquiorem tamen esse, coniici potest ex *S. Chrysost. hom. 41. in ca. 15. prioris Epist. ad Corinth. ibi: Nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus pro istis, Agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem, deprecantes. Ecce precatio, Agnus Dei. Sane his verbis Christum adoramus, & rogamus.*

De Pacis osculo.

OSCVLVM Pacis in Missa nonnulli tribuunt. S 86
Leoni Secundo. *Berno de off. missæ c. 2. & Platina in eius vita. Alij Innocentio I. vt videtur innui de consecr. dist. 2. c. Pacem. Amalarius de Eccles. off. l. 3. ca. 32. Strabo de rebus Eccl. c. 22. Sed longe ante tempora Innoc. Osculum Pacis dari solebat in Missa, ex traditione Apostolorum: Salutate inuicem in osculo sancto, &c.* 1. Co. 16. Rom. 16.

S.Dionys.de Eccl. hier. c. de commun. Iustinus apologia 2.circa fin. Tertul.de Oratione. S.Greg. Nazianz. orat. 3.de pace.Osculum Pacis porrigere,tempore quo sacramenta celebrãtur,in vsu Ecclesiæ est:sed vereor ne plures ex vobis labiis tantum pacem faciant; cum tamen Christus non ore,sed corde velit proximum salutari.Ita S.Chrysost.l.1. de compunctione cordis.& hom.de perditione Iudæ, ad finem. & hom. 51. ad populum Antioch. S.August. serm.de vig.Paschæ. Obseruandũ tamen est,viros quoad osculum secerni à feminis; vt viri laici laicos,feminæ feminas osculentur. S.Clem. de Constit.Apost.l.8.c.11.propter rationem,quã affert Amalarius l.3.c.32.de Eccl.off. Hodie vero,ne,sub recti specie,aliquid libidinis à diabolo suggeratur,tabula,Christi imaginem,vel sanctorum reliquias continens,offertur singulis osculanda; vt tradit Gabriel in Canone Missæ, lectione 81. Quæ tamen in Missis defunctorum non datur; vt tradit Amalarius leg. 3. de Eccles. off. c. 44. propter varias rationes, quas affert Card.de Turrecremata d. c. Pacem. Nec etiam datur in die Paraseues; neque Sabbato sancto; neq; in officio Passionis Domini. Idem Amalar.l.1.c.13. l.3. c.44.

De Antiphona,quæ Communio dicitur; & Oratione, quæ subsequitur, quæ Postcommunio appellatur.

87 QVIS fuerit auctor, vt hæc Antiphona diceretur in Missa,ignoratur. Certum est autem,quod significat Apostolorum gaudium de Christi re-
Ioan.10. surrrectione, secundum illud: Gauisi sunt discipuli viso Domino, & præ gaudio mirabantur.

Innoc.

Innoc. de sacro alt. myst. l. 6. c. 10. Et hæc Antiphona Communio appellatur, hoc est, gratiarum actio, iuxta illud: Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum. Durandus in Rationali l. 4. c. 56. Postcommunio autem est oratio nouissima, quæ sequitur hanc Antiphonam. In illa precatur Sacerdos pro iis qui Eucharistiam sumpserunt: & significat orationem capitis nostri Iesu Christi, qui pro nobis quotidie interpellat ad Patrem; & quod Apostoli post ascensionem Domini in oratione perseuerauerunt. *Ita Durandus vbi sup. c. 57.* Psal. 21.

De Ite, Missa est: &, benedicamus Dño.

HAC Salutatione monentur adstantes; vt re- 88
cedant; quia missa est Hostia, cui omnis laus, honor, & benedictio, & gloria, ad quem de hoc exilio transire festinandum est celeri cursu sanctoq; mentis excessu. *Stephanus Eduensis de Sacramento altaris c. 18. Aliter interpretatur Micrologus de Eccles. obseru. c. 20. Apud antiquos Patres consuetum fuit dici, Ite in pace; vt videre est apud S. Clemẽtem de Constit. Apost. l. 8. & c. 15. S. Cypr. de spectaculis. In quibusdam Missis dicitur: Benedicamus Domino. vt, peracto S. Sacramento, gratiarum actio cuncta concludat: vt ait S. August. ep. 59. ad Paulinum. S. Amalarius l. 1. de Eccl. off. c. 34. Vtrobiq; populus respondet, Deo gratias. S. Dion. de Eccl. hier. c. 3. S. Chry. hom. 82. sup. Mat. De cuius responsionis cõmendatione vide S.* Bonauent. *opusculo de perfectione vitæ c. 5. ex S. Augustino.*

De benedictione in fine Missæ.

CHRISTVS post vltimum conuiuium disci- 89

pulos, ab eis discessurus in cœlum, benedixit: sicut & Sacerdos populum cum oratione post communionem benedicit; videlicet, iam cito discessurus ab eo. Cui tamen prius, vt ipse discedat, per Ite, missa est, denuntiat: in figuram angelorum, qui
Act. 1. discipulis, discedente Domino ab eis, dixerunt: Viri Galilæi, &c. *Ita Micrologus de Eccles. obseru. c. 20. Concil. Agath. can. 30. de consecr. dist. 5. c. conuenit. & dist. 1. c. missas. Concil. Aurelian. 2. can. 28.*

De Osculo Altaris.

90 AD finem Missæ, & quoties Sacerdos ad populum conuertitur, osculatur Altare. Quod est signum & amoris, & reuerentiæ. Cum autem Altare Christum referat, qui & ipse est Altare Dei, Sacerdos, Altare osculando, meminisse debet desiderij & amoris sponsæ, id est Ecclesiæ, quæ suspi-
Cant. 1. rans dicit: Osculetur me osculo oris sui. *Innoc. de sacro alt. myst. l. 3. c. 14. Micrologus de Eccl. obser. c. 22.*

Auctores de diuinis officiis Missæ.

91 DE his omnibus, & de expositione omnium quæ fiunt in Missa, *vide latius apud S. Thomam opusculo 66. & p. 3. q. 83. S. Dionysium de Eccles. hierar. c. 3. S. Isidorum de Ecclesiasticis officiis, S. Bonauentura opusculo 22. in sacra Missæ mysteria tom. 2. Alcuinum de officiis diuinis, Amalarium Treuerensem de off. l. 3. Rabanum Moguntinũ de institutione Clericorum; Iuonem Carnotẽsem in Sermonibus de rebus Eccles. S. Antoninum in Summa, p. 3. tt. 14. c. 7. §. 3. & Inno. de sacro altaris*

mysterio, Hugonem Cardinalem in Speculo Ecclesiæ, & inf. p. 3. capp. 16. 17. 18. & Gabrielem in Canone Missæ, & Odonem Episcopum Cameracensem, & Cardinalem Petrum Damianum de Dominus vobiscum. De auctoribus autem omnium, quæ fiunt in Missa, *vide Rupertum Abbatem de diuinis officiis l. 2. c. 21.*

De vero autem sacrosanctæ Missæ sacrificio extant, inter alia sanctorum Patrum monumenta, ea quæ sequuntur.

S. Ignat. ep. ad Smyrnæos, & ad Trallianos. S. Irenæus 92
l. 4. aduersus hæreses, c. 32. & 34. S. Martialis ep. ad Burdigalenses. S. Iustinus Martyr Dialogo in Tryphonem. Tertullianus de cultura feminarum. S. Cyprianus de lapsis, & l. 2. ep. 3. S. Hippolytus Martyr de consummatione. Origenes l. 8. contra Celsum. S. Athanasius orat. pro defunctis. S. Gregor. Nazianz. ad Heronem in funere patris. Eusebius l. 1. demonstrationum Euangelicarum, c. 10. l. 5. c. 3. S. Basilius de Spiritu sancto, c. 27. S. Ambrosius in Hexaemero l. 6. & ep. 21. ad Theodosium. S. Hieron. cont. Vigilantiũ, & cont. Iouinianum. S. Epiphanius hæresi 75. & 80. S. Chrysost. l. 3. de Sacerdotio, & super ep. 2. ad Timoth. S. August. l. 2. Retractationum c. 11. & ep. 23. Confessionum l. 9. c. 11. S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagog. 5. & Alexandrinus contra Nestorium. Theodoretus in c. 8. ep. ad Hebr. S. Leo Papa ep. 81. c. 2. S. Gregor. l. 4. Dialogorum, c. 58. S. Damasus l. 4. orthodoxæ fidei, c. 14. Oecumenius super epist. ad Heb. c. 10. Et hæc vltra innumeras Conciliorum traditiones, quas longum nimis esset referre.

Epitheta aliquot, & honorificæ nomenclaturæ, quibus sancti Patres Ecclesiæ Missæ sacrosanctum Sacrificium commendarunt.

MYSTERIVM mysteriorum.

S. Dyon. Sacrosancta, & augustissima mysteria.

Venerandissima mysteria.

Cæleste mysterium.

Sanctæ mysteriorum consecrationes.

Oblatio sanctissimi Sacrificij.

Horrorem afferentia mensæ Christi sacrificia.

Euseb. Deo plenum, & horrorem afferens, & sacrosanctum sacrificium.

Paphil. Incruentum sacrificium.

S. Ioan. Chrys. Mortis Christi celebratio, horrendũ sacrificium.

Ineffabilia Sacramenta.

Sacra mysteria.

Horrenda mysteria.

Celebratio venerandorum mysteriorum.

Mysterium omnium maxime horrendum, verendumque.

Tremenda mysteria,

Tremendum sacrificium.

S. Theodoret. Sacrificium horrore, & reuerentia plenissimum.

Sacrificatio agni Dominici.

Oblatio spiritualis, & mystici sacrificij.

Oblatio diuini doni.

S. Cyrillus. Oblatio diuini, mystici, & salutaris sacrificij.

Sancti, ac viuifici, & incruenti operatio sacrificij.

Alex. Sanctum sacrificium, immaculata hostia.

Tremen-

Tremendum,& impollutum, vitaleq; Sacramentum. S. Leo.
Incruentum sacrificium. S. Io. Dam.
Verum,& singulare sacrificium. Concil. Tridēt.
Tremendum mysterium. Catech. Rom.
Oblatio munda munda,ex Malachia.
Sacramentum pacis & caritatis.

De Vestimentis, Vasisque sacris, & linteis,

§. II.

SVMMARIVM.

SACERDOTES *veteris legis sanctis vestibus induebantur,& qualiter.* 1.2.

Sacræ vestes nouæ legis quid significent in genere,& in specie. 3.4.

Quæ vestes sint necessariæ Missam celebraturo Sacerdoti. 3.4.5.

Illæ autem quales esse debeant,neque alibi,quam in diuinis officiis,induendæ, neque tangendæ ab hominibus non sacratis,à Subdiacono inferioribus. 8.10.

Neq; pallæ sacræ,aut vasa à feminis etiam sacratis contingenda,aut incensum ad altare ponendum. 9.

Quæ fuerint præ vetustate consumptæ,incendantur;& cineres in occulta loca proijciantur. 19.

Calix, & Patena non ex alia materia, quam auri, argenti, aut stanni fiant, quamuis olim ex ligno fuerint. 11.

Sacræ

Sacra Vasa furari cupiens diuinitus punitur.20.
Græcorum Ecclesia habuit alias vestes mysticas.6.
Dalmatica quid.3.
Colobium quid. ibidem.
Orarium quid.7.

1 APPLICABIS Aaron & filios eius ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aqua indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi. *Exod.* 40,29. 31. 35.

Cum ingredienturSacerdotes portas atrij interioris, vestibus lineis induentur: nec ascendet super eos quidquã laneum,&c. Cumq; egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis,in quibus ministrauerant, & reponent ea in gazophylacio sanctuarij; & vestient se vestimentis aliis: & non sanctificabunt populum in vestibus suis,&c.*Ezech.*44.

Vestimenta sacra in genere, & in specie quid significent.

2 VESTES ministrorum Ecclesiæ designant idoneitatem,quæ in eis requiritur ad tractandum diuina.Et,quia quædam sunt, quæ in omnibus requiruntur; quędam,quę in superioribus,quę non ita exiguntur in inferioribus: ideo quædam vestes sunt omnibus ministris communes, quædam autem superiorum tantum; & ideo omnibus ministris competit Amictus humeros tegẽs,quo significatur fortitudo ad diuina officia exequenda,quibus mancipantur; & similiter Alba,quæ significat puri-

puritatem vitæ; & Cingulum, quod significat repressionem carnis. Sed Subdiaconus vltimus habet Manipulum in sinistra, quo significatur extersio minimarum macularum; quia Manipulus est quasi sudarium ad extergendū vultum: ipsi enim primo ad sacra tractanda admittuntur. Habet etiam Tunicam strictam, per quam doctrina Christi significatur. Vnde & in veteri lege in ipsa tintinnabula pendebant; Subdiaconi enim primo admittuntur ad doctrinam nouæ legis annuntiandum. Sed Diaconus habet amplius Stolam in sinistro humero, insignum, quod applicatur ad ministerium in ipsis Sacramentis. Et *a* Dalmaticam, quæ est vestis longa, sic dicta, quia in Dalmatiæ partibus primo eius vsus fuit, ad significādum, quod ipse primo dispensator sacramentorum ponitur: ipse enim sanguinem dispensat; in dispensatione autem largitas requiritur. Sed Sacerdoti Stola in vtroque humero ponitur, vt ostendatur, quod plena potestas dispensandi Sacramenta ei datur, non vt ministro alterius: & ideo Stola descēdit vsq; ad inferiora. Habet enim & Casulā, quæ significat caritatem, quia Sacramentum consecrat caritatis; scilicet Eucharistiam. *S. Thom. sup. 4. Sent. dist. 24. q. 3. art. 3. de quo vide Innoc. 3. de sacro altaris myst. l. 1. ac. 33. & S. Bonau. de præparatione ad Missam, tom. 2. Opusculorū, & Ven. Bedam in Collectaneis, to. 3. c. de septem ordinibus, & Alcuinū de diuinis officiis, cap. de significatione vestimentorum, & Concil. Carthagin. 4. c. 41. Matisconen. 1. c. 6. Toletan. 4. c. 27. Bracharen. 1. c. 27.*

c.27.& 3.Rhemen.c. 23, Anacletum ep. 3. Stephanum ep.1.ad Hilarium. Eusebium de vita Constantini l.3. Tripert.l.5.c.27. Hugonem Card.in Speculo Ecclesiæ,rub.1

a Dalmatica] est vestimentum cum manicis,quæ citra cubitum desinunt in modũ crucis: monens, indutorem suum crucifixum debere esse mundo,iuxta Apostolum dicentẽ: Mihi mũdus crucifixus est,& ego mundo. Gal.6. Hæc vestis subrogata est in locum Colobij,quod erat sine manicis;licet cum aliquali manica referat Cassianus l.1. c.5.vsos illo fuisse Monachos Ægyptios.Cumq; processu temporis nuditas brachiorũ in altari culparetur, inuentus est à S.Siluestro vsus Dalmaticarũ, vt refert Alcuinus de diuinis off.c.de signif.vestimentorum.Et primo quidem Sacerdotes Dalmaticis vtebantur, & aliquando inuenimus S.Grægoriũ illarnm vsu decorandos esse concessisse Episcopum quendã, & Archidiaconum suum,vt patet ex epist.III.l.7.postea vero,cum Casulis vti cœpissent,Dalmaticarum vsus Diaconis cõcessus est, vt tradit Walafridus Strabo de rebus Eccles.c.24.Neq; aliis tunc temporis,quam Rom.Ecclesiæ Diaconis,vt illis scilicet vterentur diebus solemnibus, in signũ lætitiæ, ex Concil.Salegunstadiensi dist.76.c.de ieiunio. Hic autem obiter scire est,non tantum Diaconorum mortuorum feretra tegi Dalmaticis moris fuisse; sed & Romanorum Summorum Pontificum; vt auctor est S.Gregorius l.4. ep.44.ex Syn.Romana c.4.Quod fieri vlterius vetuit,ne honor,qui sacris tantum martyribus ex decreto Eutychiani Papæ impendi consueuit, cuiusq; vitæ meriti hominibus impertiretur.Deinde(vt ad propositum reuertamur) Dalmaticarum,vel Tunicellarum vsus ad Subdiaco-

diaconos vsq; peruenit (cum antea tunicis tantum lineis induti procederent: vt tradit idem Gregorius 7. ep. 63. ad Ioannem Syracusanum) Quas tunicas Subdiaconalia vocare videtur Micrologus de Ecclesiasticis obseruationibus, c. 52. neque verò aliis inferioris ordinis hominibus concessus vsquam reperitur. Vnde semper mihi displicuit hodiernus sacræ huius vestis abusus, quam sine vllo discrimine induunt non modo Clerici in minoribus constituti; sed & laici etiam vxorati, ad altare, vel in processionibus ministrantes. Quod ego nescio quo nomine contra debitam sacris vestibus venerationem subintroductum est. Aduerte etiam alicubi pro Dalmatica Albam nominari, vt in Concil. Carthagin. 4. distinct. 93. c. Diaconus. & in Mogunt. 11. q. 3. c. Episcopus, Presbyter.

Alia Sacerdotalium indumentorũ significatio ex incerto carmine.

Tv, quicumque voles Missam celebrare, Sacerdos,
Sis memor, & tota deuotus mente reuoluas,
Qualia sit Christus pro te certamina passus.
Velatum capite, & derisum signat Amictus;
Linea vestis item quod sit despectus in Alba;
Vincula significant vera, tortaq; Zona Manipli;
Et Stola imago crucis, quã humeris gestauit Iesus.
Cernis Amictu, atq; inde quater tu cernis in Alba
Signa terebrati capitis, manuumque, pedumque.
Purpureæ spectans Casulam vestis memor esto,
Vt rubro fuerit perfusus sanguine Christus:
Cumq; Sacerdotem ad aram cernis properantem,
Tunc voluas animo memori, vt cõscenderit vltro

Calua-

Caluariæ montem, moriturus de cruce pro te.

Hæc carmina ex incerto auctore refert Nicolaus Aurificus de dignitate Clericorum.

Quæ vestimenta debeat habere Sacerdos Missam celebrans.

5 *Vide inf. p. 3. c. 17. ne missas c. nullus Presbyter, n. 20.*

Græcorũ Ecclesia habuit alias vestes mysticas, quæ in Græcorum suppellectili enumerantur.

6 *Vt docet S. Epiphanius hæresi 15. & 16. Scribarum & Pharisæorum.*

Sacerdos vtatur orariis.

7 PRESBYTERI sine intermissione vtãtur orariis, propter differentiam Sacerdotalis dignitatis. *Concil. Mogunt. c. 28.* Cum Sacerdos ad Missarũ solemnia accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus aut Sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus, non aliter accedat quam orario vtroq; humero circumseptus. *Concil. Brachar. 3. c. 3. dist. 23. c. Ecclesiastica.*

b Orarium] *proprie est velum, quo mulieres caput velant, & inde sumitur pro quodã ornamẽto muliebri, vt in Conc. Aurelian. 1. c. 22. de quo 27. q. 1. c. monacho. Est etiã stola sacra, hoc est, indumẽtum, quod solis competit Diaconis, quibus prædicãdi officiũ est delegatũ; & debet gestari in sinistro humero, vt libera maneat dextera, & expeditior ad Sacerdotalis officij ministeriũ, vt in Concil. Toletan. 4. c. 39. dist. 25. c. Vnũ, & d. c. Ecclesiastica.*

stica. Rabanus de institutione Clericorum l. 1. c. 19. Alcuinus de diuin. off. c. quid significent vestimenta. vbi asserit, Orarium dici, eo quod oratoribus, id est, prædicatoribus concedatur, ex prædicto Concil. Tolet. 4. Beda tamen in collectaneis cap. de septem ordinibus, innuit, Orarium ab oratione appellatum. De Orario facit mentionem S. Ambrosius in oratione de obitu Satyri fratris, & Concil. Laodicen. can. 22.

Vestimenta Sacra qualia debent esse; & non alibi, quam in diuinis officiis, induenda; nec tangenda ab hominibus non sacratis.

VESTIMENTA Ecclesiastica, quibus Domino 8
ministratur, & sacrata debent esse & honesta, quibus aliis in vsibus non debent frui, quam in Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis. Quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, nisi à sacratis hominibus; ne vltio, quæ Balthasar Regem percussit, super hæc transgredientes, & talia præsumentes veniat, & corruere eos faciat ad ima. *Stephanus de consecr. dist. 1. c. eod. Iuo p. 2. c. 74. Sixtus Papa, ep. 2. ut refert idem Iuo p. 3. c. 264. eadem dist. 1. c. in sancta. Vide inf. p. 3. c. 18. ne loca, aut vestes.* Dan. 5.

Sacra vasa, & pallæ sacræ à femininis etiam sacratis contingi non debent; nec incensum ad altare poni.

SACRATAS Deo feminas, vel monachas, sacra 9
vasa, vel sacras pallas penes vos contingere, & in-

censum ponere, & circa altaria deferre, perlatum est ad Apostolicam Sedem. Quæ omnia reprehensione & vituperatione plena esse, nulli recte sapientium dubium est: quare per huius Sanctæ Sedis auctoritatem hæc omnia vobis resecare funditus, quantocius poteritis, censemus; &, ne pestis hæc latius diuulgetur, per omnes prouincias abstergi citissime, mandamus. *Soter Papa ep.2.dist.23. c.eod.Iuo p.3.c.2.65.Euseb.can.99.Laodicenum Conc. c.43.& can.100.*

Non licet cuilibet ex lectoribus sacra altaris vasa portare; nec aliis, nisi iis qui fuerint ab Episcopo Subdiaconi ordinati.

10 *Concil.Brachar.1.dist.23.c.non liceat.*

Calix, & Patena ex auro, argento, aut stanno fiant; non ex ære, aut auricalcho; non ex ligno aut vitro.

11 VRBANVS Papa omnia ministeria sacra fecit argentea, &c. *Concil.Triburien.de cons. dist.1.c.Vasa.* Calix domini cum Patena, si non ex auro, omnino tamen ex argento fiat. Si quis autem pauper est, saltem vel stanneum Calicem habeat: De ære, aut ex auricalcho non fiat Calix: quia ob vini virtutem æruginem facit, pariterque vomitum prouocat. Nullus autem in c ligneo, aut vitreo Calice præsumat Missam cantare. *Concil. Rhemen. de cons. dist.1.c. vt Calix. Burchardus l.3.c.96.& 223.*

c In

c In ligneo] *ligneus Calix, & Patenæ ligneæ olim erant vsui in sacris mysteriis. Eum tamen morem abrogauit S. Zepherinus Papa, constituens, vt in Calice vitreo consecratio diuini sanguinis fieret; vt patet in eius actis. S. Hieronymus ep. 4. ad Rusticum, agens de sancto Exuperio: Nihil inquit, illo ditius, qui corpus Domini canistro Vimineo, sanguinem portat in vitro. Postea autem in Concil. Rhemensi vtriusq; vsus abrogatus est, vt hic patet, & in Concil. Triburien. de cons. dist. 1. c. Vasa. Sed multo ante erant in vsu Calices & Patenæ ex auro, vel argento; vt constat ex prædicto Concilio Rhemensi, quod multo ante Triburiense celebratum est.*

Reuerenter Tractandi Calices, sancta velamina, & reliqua ad diuinum cultum pertinentia.

In opere tuo vtilitatem spectauimus Ecclesiarum, vt discant qui ignorant, eruditi testimoniis scripturarum, qua debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deseruire, sacrosq; Calices, & sancta velamina, & cætera, quæ ad cultum Dominicæ pertinent passionis, non quasi inania, & sensu carentia, Sanctimoniam non habere, sed ex cõsortio corporis, & sanguinis Domini sublimi maiestate veneranda. *Ita refertur ex S. Hieronymo ep. ad Theophilum Alexandrinum ante libros Paschales. Ego vero apud illum non reperi.* 12

Corporale non nisi ex lino fiat, & quare.

Corporale, cui superponitur corpus 13

Domini, non aliud quam lineum esse oportet; quoniam Ioseph linteum mundum legitur emisse, vbi corpus Dominicum inuoluit. Nam & linum purum est germen terræ, & Dominus purum & verum corpus habuit; non simulatum. Et sicut linum per multos sudores peruenit ad candorem; ita Iesus Christus multis affectus passionibus migrauit ab hoc sæculo, & ad candorem resurrectionis, atque immortalitatis perductus est. *Alcuinus de diuin. Off. Eccl. de celebr. Missæ. Vide inf. p. 3. c. 17. ne missas. c. consulto omnium. n. 22.*

De eodem: & quod alia materia in corporali lineo non misceatur, nec in altari remaneat, nisi tempore Missæ: & quo modo lauandum.

14 CORPORALE, super quod sacra oblatio immolatur, ex mundissimo linteo sit, nec in eo alterius generis materia pretiosior, aut vilior misceatur, & nunquam super altare maneat, nisi in tempore Missæ; sed aut in sacrario cum libro ponatur, aut cum Calice, aut Patena in mundissimo loco recondatur. Vel quando abluitur à Sacerdote, Diacono, vel Subdiacono primo in Ecclesia, in loco & vase ad hoc præparato abluatur, eo quod ex Dominico corpore & sanguine infectum sit. Post hæc à lauandario in nitido loco ponatur. *Concil. Rhemen. c. 3. Burchardus lib. 3. c. 98. Sacerdotale Rom. l. 1. c. 13.*

Explc

Expleta Missa, Calix cum Patena, & Sacramentorum liber cum vestibus Sacerdotalibus in mundo loco sub sera recondantur.

Idem Concil. Rhemen. c. 5. Burchar. eod. l. 3. c. 97. 15

Pallæ, & Vela altaris sordidata qualiter lauanda.

a PALLA & Velum, quæ in sacrario sordidata 16
fuerint, Diaconi cum humilibus ministris intra Sanctuarium lauent; non eiicientes foras à Sanctuario velamina Dominicæ mensæ, ne forte puluis Domini corporis male decidat, sindone foris delata, & erit hoc operanti peccatum: ideo in Sacrario ministris præcipimus cum diligentia custodire. Pallæ vero in alia pelui lauentur, Vela in alia. *S. Clemens epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini. Vide Pontificale Romanum in ordinatione Subdiaconi.*

a Pallas] *Intellige sindones, & corporalia. Vide infra p. 3. c. 18. num. 4.*

Diligenter emundanda altaris paramenta, & vasa; & honorifice tractanda.

CVRAM habeas diligenter de munditia & ni- 17
tore paramentorum altaris, & sacrorum vasorum; & cum honore & omni diligentia tractetur ille, qui est Angelis & Archangelis tremebundus. *S. Bonau. de præparatione ad Missam c. 4.*

Mundissimis linteis altaria cooperienda.

18 *Vide infra §. sequenti de Ecclesiis, c. observandum, n. 33. & c. Altare sit. n. 40. nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis, teste Innocentio 3. de custod. Eucharist. c. fin. Burchard l. 3. c. 50. l. 3. c. 97.*

Altaris vestimenta sacra, & vasa præ vetustate consumpta incendantur, & cineres in occulta loca proijciantur.

19 ALTARIS Palla, Cathedra, Candelabrum, & Velum, si fuerint vetustate consumpta, incendantur: quia non licet, ea, quæ in Sacrario fuerint male tractari; sed incendio vniuersa tradantur. Cineres quoq; eorũ in Baptisterium inferantur, vbi nullus transitũ habeat, aut in pariete, aut in fossis pauimentorum iactentur; ne introeuntium pedibus inquinentur. S. *Clemens de cons. dist. 1. c. eod.*

Sacra vasa furto subtrahere cupiens diuinitus punitur.

20 NOCTE consurgens Subdiaconus quidam ingressus est basilicam Sanctorum Chrysanthi & Dariæ: deinde, per fenestram ingrediens cellulam, ac per obscuritatem noctis palpans manibus, aliquos de vrceis capit; deinde, egredi cupiens, per totam noctem circumiens, numquam potuit aditum, vnde ingressus fuerat, repe-

reperire. Dato vero die, dum opera sua obtegi conscius sceleris voluit, iuxta illud: Qui male agit, odit lucem, vt non manifestentur opera eius. occultauit se in angulo cellulæ tota die, ne videretur. Sequenti vero nocte, quæsiuit iterum aditum, sed reperire non potuit: sic per trium noctium curricula fecit. Tertio vero die, cum iam fame curciaretur, accessit coram populo ad fenestram; &, relicto argento, confessus opus suum, egressusque est foras cum magna verecundia; nec latuit scelus quod gesserat populos, qui aderant. *Gregor. Turon. l. 1. de glor. Martyrum, c. 38.* Io. 3.

CAPVT IIII.

DE TEMPLIS, VEL ECCLESIIS, COEMETERIIS, ORATORIIS, ET ALTARIBVS; DE CEREIS, AQVA BENEDICTA, IMAGINIBVS, & RELIQVIIS SANCTORVM.

De Templis, vel Ecclesiis, Cœmeteriis, Oratoriis, & Altaribus, §. 1.

SVMMARIVM.

TEMPLA *Deo dicata summopere colenda. 1.*
In illis sacrificandum, non domi: idq; ex traditione Apostolorum. 2. 31. 32. 33.
Orationes ibi factæ gratiores Deo. 3. 4. 5. 17.
Nec habeatur vt Clericus, qui ad illa non venerit ad sacrificium quotidianum. 16.
Qualiter ædificanda, in eisque conuersandum. 6. 7.

Sacer-

Sacerdotum, & laicorum loca ibi distincta. 13. 42. 43. & feminarum. 14.
Quem ambitum habere debeant & Templa, & Capellæ. 7.
Illis adiuncta ædificia laicorum diruantur. 12.
In sacristiis sit locus aptus ad infundendam aquam lotionis rerum sacrarum, sitque ibi pendens vas cum aqua nitida pro lauandis Sacerdotum manibus. 15.
Ad illa confugientes immunes. 8. 9. 10.
Illa violantes qua pœna multandi. 9. 10. 11.
In illis non licet risui, aut vaniloquio vacare, aut alia illicita exercere. 16. 18. 19. Vbi de Iuliano Apostata. 20. 22. 23. 24.
Neque supellectilia recondere. 25.
Neque ab eis quidquam auferre. 4.
Intra Basilicas non omnium corpora defunctorũ sepeliantur. 26. 27
Neque ab illis reijciantur humata, nisi fuerint paganorum, & tumuli eminentes euertantur. 27. 28.
Polluta Ecclesia qualiter, & à quo reconcilianda. 29.
Et qualiter Cœmiteria 30.
De nitore Templi maxime curandum, exemplo Nepotiani. 3.
Altaria maximo honore veneranda, de eorum origine. 34. 35. 36.
Ad illa femina non accedat, neque ministret, sedeat, aut stet intra cancellos. 37. 38.
Vnicum tantum fuit olim altare in vnaquaque Ecclesia. 40.

Ad illa laici ascendere non possunt, neque inter clericos esse, dum Missæ celebrantur. 41. 42. 43.

Sine Sanctorum reliquiis per agros constructa euertenda. 44.

Super altari semper sit Crux, dum Missæ celebrantur, & cerei incensi. 39.

Pastophoria quid. 6.

Ecclesia, Martyrium, Confessio. 7.

Presbyterium. 13.

Basilica. 22.

Dominicum. 22.

Agape. 22.

Cœmiterium. 30.

Sacrarium, Diaconicon, Diaconiæ. 41.

1 CVSTODITE sabbata mea, & pauete ad Sanctuarium meum, ego Dominus. *Leuit. 26.*

2 Caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris; sed in eo, quem elegerit Dominus. *Deut. 12.*

3 Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. Elegi n. & sanctificaui locum istum; vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus, &c. 2. *Paralip. 7.*

4 Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum, & victimæ eorum placebũt mihi super altari meo. quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. *Isa. 56. Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19.*

Venit

Veniet desideratus cunctis gẽtibus:& implebo 5
domum istam gloria. Magna erit gloria domus istius nouissimę plusquam primæ, dicit Dominus exercituum:& in loco isto dabo pacem. *Agg.* 2.

Templum materiale quale in primitiua Ecclesia, in eoque qualiter conuersandum erat.

Tv vero, Episcope, cum Ecclesiam Dei con- 6
uocas, veluti magnę nauis gubernator, iube cum omni scientia cœtus celebrari; præcipiens Diaconis tamquam nautis, vt disponant loca fratribus, &c. Ac primum sit longa domus ad Orientem conuersa, ex vtraq; parte *a* Pastophoria habens ad Orientem, quæ nauis habeat similitudinem. In eius medio sit Episcopi sedes; ad cuius vtrumq; latus sedeant Presbyteri, & Diaconi assistant, succincti & expediti, sine multa veste, &c. Horũ cura laici in altera sedeãt, cum omni quiete, & ordine; mulieres quoq; separatæ sedeant, silentium seruãtes. Medius lector è loco superiori stans legat, &c. Alius Dauid hymnos canat, & populus initia versuum cõcinat, &c. Diaconus attendat in populo, ne quis murmuret, neue cõniueat, vel nutet: oportet enim in Ecclesia accurate, sobrie, vigilanter manere, attentas aures habẽtem ad Domini sermonem, &c. Dicat autẽ, qui assistit Pontifici: *Ne quis cõtra aliquẽ, ne quis in hypocrisi, &c.* Deinde Pontifex, populo precatus pacem, eidẽ benedicat; ac, postquam oblatum fuerit sacrificium, accipiãt singuli

singuli per se ordine Dominicum corpus,& *b* pretiosum sanguinem, gradatim, cum pudore ac timore, tamquam ad Regis corpus, accedētes. Mulieres quoq; velato capite,&c. *S. Clemens de Constit. Apost. l. 2. c. 61. al. 57. & ep. 1. ad Iacobum fratrem Domini. sanctus Anaclet. ep. 2. ad omnes Ecclesias. S. Dionysius, de Eccles. hierarch. c. 3. S. Iacobus in sua Liturgia. Philo Iudæus de vita supplicum. Plinius iunior ep. quadam ad Traianum. S. Iustinus Martyr apolog. 2. pro Christianis.*

a Pastopharia] *erant, quæ hodie Tabernacula, & Sacraria vocamus, in quibus veneranda Sacramenta seruantur: de quibus S. Clemens vbi supra & l. 8. c. 13. de reliquiis sanctæ Eucharistiæ in Pastophoria inferendis. Sunt etiam Pastophoria capsæ, vel armaria, in quibus sacræ vestes vasaque sacra, ad ministerium Ecclesiasticum necessaria, reconduntur. Idem S. Clement. l. 2. cap. 57.*

b Et pretiosum sanguinem] *Hic aduertendum, quod, licet tempore sancti Clementis, & primis illis Christianæ religionis initiis frequens fuerit vtriusque speciei vsus inter laicos; progressu tamen temporis, grauibus, & iustis causis adducta Sancta Mater Ecclesia consuetudinem sub altera tantum specie communicandi approbauit, & pro lege habendam decreuit. Verba sunt Concilij Tridentini Sess. 21. c. 2. Quod ante decretum fuit in Concil. Constantien. Sess. 13.*

Quem

Quem ambitum Ecclesiæ & Capellæ habere debeant: ac de pœna violantium eas.

SICVT antiquitus à Sanctis Patribus statutum 7
est, statuimus, vt maior c Ecclesia per circuitum quadraginta passus habeat; Capellæ vero, vel minores Ecclesiæ, triginta. Qui autem confinia eorum confringere tentauerit, aut personam hominis, vel bona eius subtraxerit, nisi publicus latro est, quousque emendet, & nisi quod rapuerit reddat, excommunicetur. *Nicolaus Papa 17. quæst. 4. cap. eod.*

c Ecclesia] *Græcum nomen est, & significat Congregationem, vel conuentum. Est etiam ipsa domus, in quam ad diuina, vel celebranda, vel discenda conuenit multitudo fidelium, à re, quæ ibi geritur, sumpto vocabulo. Ecclesias autem in memoriam sanctorum Martyrum erectas, memorias Martyrum dici consuetas, testis est S. Augustin. de Ciu. Dei l. 22. c. 10. Martyrium vero significabat totam basilicam Martyribus dicatam; vt patet ex Concil. Chalcedonen. de Martyrio S. Euphemiæ & alibi sæpe. Martyrum enim appellandum esse locum, in quo Martyr sepultus est; vel qui in memoriam Martyrum sit constitutus, testatur S. Isidorus l. 15. Originum, c. 4. & habetur in Codice Theodosiano de sepulcro violato, l. fin. Latini tamen partem illam Ecclesiæ, qua conditæ sunt reliquiæ sub altari, appellant confessionem (quæ idem est apud nos, quæ apud Græcos Martyrium) non ipsam integram Ecclesiam, ex Apostolorum*

lorum traditione; vt habetur Apoc. 4. Vidi sub altari Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habeant.

Confugientes ad Ecclesias gaudere debent immunitate.

8 Eos, qui ad Ecclesiam confugerint, tradi non oportet; sed loci sancti reuerentia, & intercessione defendi. *Concil. Arausican. 1. c. 5. 6. dist. 87. c. eod Epaun. c. 39. Ilerd. c. 8. Aurel. 1. c. 13. vbi quod lex Romana hoc quoq; constituit, Aurel. 4. c. 25. & 5. c. 23.*

De eodem: deque pœna violantium Ecclesias.

9 Si quis de altaribus seruum suum aut debitorem non traditum sibi à Sacerdote, vel ab Ecclesiæ custodibus violenter distraxerit, si honestioris loci persona est, vt primum de eo Iudici fuerit relatum, altari, cui iniuriosus fuit, cogatur exoluere solidos centum: inferioris vero loci persona det solidos tercentum. Quod si non habuerit, vnde persoluat, correptus à Iudice, in conuentu centum flagella suscipiat. *l. 3. tit. 3. l. 9. inter leges Wisigothorum.*

Licet confugientibus ad Ecclesiam triginta passus ab Ecclesię ianuis progredi, vt ad requisitæ naturæ vsum debitis exeant locis.

10 *Concil. Toletan. 12. c. 10.*

Puni-

Punitiones violantium Ecclesias, quas in templorum profanatores Deus exercuit.

Vide aliquot, 2. Machab. 3. Matth. 21. Io. 2. Theodoretum Tripart. l. 6. c. 32. Clithouæum de vita, & moribus Sacerdotum c. 4. 11

Ædificia laicorum, quæ Ecclesiis adiuncta sunt, auferantur, & nulla in atrio Ecclesiæ ponantur, nisi tantum Presbyterorum.

Concil. Salegunstad. c. 12. 12

Sacerdotum, & laicorum loca sint in Ecclesia distincta.

SACERDOTVM aliorumq; Clericorum Ecclesiis seruientium honores à laicorum loco discrete apparere conuenit. Quare nulli laicorum liceat in eo loco, vbi Sacerdotes, & reliqui Clerici consistunt, (quod Presbyterium nuncupatur) quando Missa celebratur, consistere: vt libere, ac honorifice possint sacra officia exercere. *S. Clem. de consec. dist. 1. c. eo. Sexta Synodus c. 64. Concil. Turon. 2. c. 4. de vit. & hon. Cler. c. 1. Burchard. l 3. c. 102. Iuo p. 2. cap. 137.* 13

Feminæ separatæ à viris sedeant in Ecclesia.

SI concluſa est Ecclesia, & vos omnes intus, separentur viri vt sint cum viris, mulieres cum mulierib. ne studiũ salutis sit perditionis occasio. 14

Etsi

Etsi enim pulchrum sit institutum, proximum assidere proximo, sed procul tamen sint affectiones. *S. Cyrillus Hierosolimit. in præfatione ad catecheses illuminatorum. S. Clemens l. 2. de Constit. Apost. c. 57. S. Chrysost. hom. 74. in c. 13. Matth. Philo Iudæus de vita supplicum, describens veterum Christianorum mores.* Id commune, *inquit*, femineum, in quod septimo quoque die conueniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum & mulierum cœtibus. *Vide Micrologum de Eccles. obseruat. c. 9.*

In Sacristijs sit locus aptus ad infundendum aquam lotionis corporalium, & aliorum vasorum, rerumque sacrarum: ibique pendeat vas cum aqua pro lauandis Sacerdotum manibus.

15 IN Sacristiis, siue Secretariis, aut iuxta altare maius, sit locus aptus ad infundendum aquam ablutionis corporalium, & linteorum, ac vasorum, & aliarum rerum sacrarum, ac manuum, postquam sanctum Chrisma, aut oleum catechumenorum, vel infirmorum tractaueritis: Ibique pendeat vas cum aqua munda per lauandis manibus Sacerdotum & aliorum, qui rem sanctam & officium diuinum sunt peracturi; & prope linteum mundum ad eas abstergendum. *Sacerdotale Romanum. l. 1. cap. 13.*

Depo-

Deponatur Clericus, qui ad Ecclesiam non venerit ad sacrificium quotidianum.

Si quis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet 16
Clericus Ecclesię deputatus, si intra ciuitatem fuerit, vel in quolibet loco, in quo Ecclesia est, & quotidianum psallendi officium matutinis, vel vespertinis horis ad Ecclesiam non conuenerit, deponatur à Clero; si tamen castigatus veniam ab Episcopo per satisfactionẽ noluerit promereri. *Mart. Brac. dist. 92. c. eo. Con. Tolet. 1. c. 5. Venet. 1. c. 14.*

Melius oratur in Ecclesia cum fratribus, quam domi priuatè.

DOMI quidem orari potest, sic autem vt in 17
Ecclesia non potest, vbi tãta patrũ multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Non ita Dominũ per te solum orans audieris, vt cum fratribus tuis: hic enim maius aliquid est, puta, vt vnanimitas & consonantia, caritatisque vinculum, & Sacerdotum orationes. *S. Chrysost. hom. 79. ad populum Antioch. t. 4. Eusebius hist. Eccles. l. 2. c. 16. S. Basilius super Psal. 28.*

Qualiter ad Ecclesiam eundum, ibique morandum, & conuersandum.

DECET Domum Domini sanctitudo, decet, 18
vt, cuius in pace factus est locus, eius cultus sit cũ debita veneratione pacificus. Sit itaque ad Ecclesias humilis, & deuotus ingressus, sit in eis quieta cõuersatio, Deo grata, inspicientibus placita. Quę

considerantes non solũ instrũat, sed & reficiat, &c. Præcipue dum aguntur Missarum sacra mysteria, glorioſum illud nomen Iesum quandocunque recolitur, quod vel capitis inclinatione testentur. Attendantur in locis eisdem intentis præcordiis sacra solemnia, deuotis orationibus insistatur, nullus in locis eisdẽ (in quibus cum pace & quiete vota conuenit celebrari) seditionem excitet, conclamationem moueat, impetumue committat. Cessent in locis illis vniuersitatũ, & societatum quarumlibet Concilia, conciones, & publica parlamenta: cessent vana, & multo fortius fœda, & profana colloquia: cessent confabulationes quælibet. Sint postremo quæcunque alia, quæ Diuinum possunt turbare officium, aut oculos diuinæ maiestatis offẽdere, ab ipsis prorsus extranea; ne vbi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi, &c. *Greg. X. de immun. Eccl. c. 2. l. 6.*

Qualiter impius Iulianus præceperit magistratus suos ingredi in tẽpla inanium Deorum, contra abusum hodiernum Christianorum.

19 CAM in templa venerint magistratus, intra ianuas eos nemo præcedat militũ, aut præcedentiũ officiorum? sed qui voluerit subsequatur. Quamprimum enim magistratus solum delubri attigerit, priuatus redditur. *Nicephorus l. 10 c. 22 Tripart. l. 6. c. 29.*

In

In Ecclesiis non licet risui, aut vaniloquio vacare, aliaue illicita exercere.

EIECIT Dominus commercia rerum humanarum de templo illo, in quo diuinas res tantum agi, hostias & oblationes Deo offerri, verba Dei legi, audiri, & decantari præceptum erat, &c. Si ergo Dominus nec illa venũdari volebat in templo, quæ in templo volebat offerri; videlicet propter studium auaritiæ, siue fraudis: (quod proprium solet esse negotiantium facinus) quanta putas animaduersione puniret, si inuenisset aliquos ibi risui, vel vaniloquio vacantes, aut alicuilibet vitio mancipatos. Si enim, quæ alibi libere geri poterant, Dominus in domo sua temporalia negotia geri non patiatur: quanto magis ea, quæ nusquam fieri licet, plus cælestis iræ merentur, si in ædibus Deo sacratis agantur? *Ven. Beda sup. c. 21. Matth.* 20

Non licet in Ecclesia strepere aut fabulas narrare.

NEC verbis, nec alio modo licet in Ecclesia strepere, nec tumultuari; sed, quamdiu in ea orationis causa manetur, fabulæ inanes cauendæ sunt. *Concil. Turon. sub Carolo Magno, c. 38. Salegunstad. c. 9* 21

Non licet in Ecclesiis conuiuia facere, nec profana canere.

NON oportet in Ecclesiis, seu *a* Basilicis, *b* Agapen facere, & intus manducare, vel accubitus 22

sternere; nec choros sæcularium, vel puellarum cantica exercere; nec conuiuium in Ecclesiis præparare: quia scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur. *Concil. Laodic. c. 28. dist. 42. cap.* Mat. 21. *eod. 21. S. Augustinus, & S. Benedictus, vt per Iuonem p. 3. c. 7. & 27. Concil. Antissiodor. c. 9. Carthagin. 3. c. 30. sexta Synodus c. 74. 76. 97. Trident. Sess. 22. ante c. 1. de reform.*

a Basilicis] *Pro Basilica alij vertunt in hoc Concilio Laodic. c. 28. Dominicum. Quo sensus S. Cyprianus, de opere, & eleemosyna. In Dominicum, inquit, sine sacrificio venis? Cuius Nomenclaturæ causam affert Eusebius in oratione de laudibus Constantini, dicens: Ædes sacras, & templa vni omnium Deo, atque vniuersarum rerum Domino, dicanda, consecrandaq; curauit: vnde, & templa, quæ erant ei consecrata, Domini nomẽ obtinuerunt. Quod nomen non ex hominibus, sed ex ipso omnium Domino illis fuit impositum: & propterea Dominica sunt appellata. Vide Walafridium Strabonem de rebus Ecclesiæ, c. 7. Basilicæ autem prius vocabãtur Regum habitacula: vnde & nomen habent. Nunc autem ideo diuina templa Basilicæ nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus, & sacrificia offeruntur. S. Isid. Orig. l. 15. c. 4.*

b Agape,] *Græcis dicitur Dilectio, & Caritas: vnde accipitur pro cœna, ad quã Christiani maxime pauperes adhibebantur, secundum Tertul. in Apologet. & S. Hieron. ad Eustochium de laude virginitatis, ep. 22. Significabatur etiam illo vocabulo quidquid in egenos, & pauperes erogabatur: vt colligitur ex eodem Tertul. libro*

libro ad Martyres, de his quæ in carcere detinebantur, martyrio proximi: de quo videre est Concil. Gangrense c. 11. & Laodicenum, c. 27. dist. 42, c. non oportet, vbi accipi videtur pro conuiuio. Et S. Cyp. l. 3. aduersos Iudæos, c. 3. & S. Iustinum Martyrem apologia 2.

Nemo soluat votum in Ecclesia cantando, bibendo, vel lasciuiendo.

NE quis in Ecclesia c votum suum cantando, bibendo, vel lasciuiendo exsoluat: quia Deus talibus votis irritatur potius, quam placatur. *Con. Aurelian. 2. c. 12.* 23

c Votum suum] *non tollit Concilium vsum votorum in templis soluendorum, aut vigiliarum, quarum est in Ecclesia antiqua deuotio, & omnibus sanctis familiare bonum: vt probat S. Isid. de Eccles. off. l. 1. c. 22. & Rabanus de instit. Cler. l. 2. c. 9. Neq; n. audiẽdi sunt, qui illas improbant, fulti auctoritate S. Augustini, serm. 25. ad fratres Eremi; quippe quem non esse S. Augustini multis argumẽtis comprobatur, nisi forte dicamus, esse sibi contrarium S. Augustinum qui serm 115. de diuersis. & concione ad catechumenos contra Iudæos, tom. 6. & serm. 261. de tempore. vigilias maxime commendat, & ad eas frequendandas suos maxime hortatur. Concordat S. Ambros. in Psal. 109. de festo Pentecostes, & 60. vt dist. 76. ca. nosse. & S. Hieron. contra Vigilantium, tomo 2. ep. 52. Non itaque votorum in Ecclesia soluendorum, aut sacrarum vigiliarum vsus; sed abusus hic prohibetur: & euidentius in Concilio Eliberitano, c. 15. & Antissiodor. c 3. & 5. & Carthag. 4. c. 49. Adde etiam ep. 63. S. Basilij ad Clericos Ecclesiæ Neocæsar.*

& Plinium iuniorem l. 10. *Epistolarum, ad Traianum, de Christianis.*

Nemo in Ecclesia, vel infra atrium, scandalum faciat; aut quemlibet interficere, aut vulnerare conetur.

24 NVLLVS sæcularium nec in Ecclesia, nec infra atrium ipsius Ecclesiæ, qualecumque scandalum, aut simultates excitare præsumat, nec arma trahere, aut quemcumq; ad vulnerandum, vel interficiendum appetere. Quod si fecerit, communione priuetur. *Concil. Cabilon. tempore Eugenij Papæ. 1. c. 17. Aurelian. 3. c. 22.*

Suppellectilia in Ecclesia non recondantur, nisi hostili necessitate cogente.

25 RELINQVI nolumus incorrectum, quod quidam clerici Ecclesias sic exponunt supellectilibus propriis, & etiam alienis, vt potius domus laicæ, quam Dei Basilicæ videantur: non considerantes, quod Dominus non sinebat, vt vas transferretur per tẽplum. Quia vero nos zelus comedit domus Dei, firmiter prohibemus, ne huiusmodi supellectilia in Ecclesiis admittãtur; nisi propter hostiles incursus, aut incẽdia repentina, seu alias necessitates vrgentes, ad eas oporteat habere refugium: sic tamen, vt, necessitate cessante, res in loca pristina reportentur. *Innoc. 3. de custod. Eucharist. c. eod.*

Corpora defunctorum intra Basilicã non sepeliantur, exceptis aliquibus.

26 PLACVIT, vt corpora defunctorum nullo modo intra

do intra basilicam sepeliantur; sed, si necesse est, de foris circa murum Basilicæ sepeliantur, Nam, si firmissimum hoc priuilegium vsq; nunc retinent Galliciæ ciuitates, vt nullo modo intra ambitum murorum cuiuslibet defuncti corpus humetur: quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reuerentia obtinere? *Concil. Brachar. 1. c. 36, secundum lectionem Iuonis p. 3. c. 220. & Cont. de sacrosan. Eccles. l. nemo. iuxta intellectum Alciati, qui pro Humanis corporibus legit, humandis corporibus. Postea vero concessum est, in eis sepeliri Episcopos, Abbates, dignos Presbyteros, & fideles laicos. vt videre est in Concil. Mogunt. 1. c. 52. 13. q. 2. c. nullus de sepulturis. c. fraternitatem.*

De eodem.

NEMO quemlibet mortuum in Ecclesia quasi 27
hæreditario iure, nisi quem Episcopus, aut Presbyter pro qualitate conuersationis, & vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat: nec quisquam ossa cuiuslibet mortui sepulchro suo eijcere, aut sepulturam cuiusdam temerario ausu quoquo modo violare; sed vnumquemq; in loculo sibi à Deo parato, atq; concesso, aduentum sui Iudicis præstolari concedat. *Iuo p. 3. c. 221. ex Concil. Meld. c. 10. Tribur. c. 57.*

Nullius, nisi pagani, corpus ab Ecclesia eijciatur; & tumuli apparentes ad modum pauimenti demoliantur.

CORPORA, quæ in Ecclesiis antiquitus sepulta 28
sunt,

sunt, nequaquam proijciantur, nisi sint paganorum: sed tumuli, qui apparent, profundius in terra mittantur;&, pauimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesiæ reuerentia conseruetur. Vbi vero tanta est multitudo cadauerum, vt hoc facere sit difficile, locus ille pro cœmiterio habeatur, ablato inde altari, & in alio loco constituto, vbi religiosè & pure Deo sacrificium offerri valeat. *Idem Concil. Meld. c. 9. secundum Iuonem. p. 3. c. 213.*

Qualiter, & à quo reconcilietur Ecclesia polluta.

29 ECCLESIIS semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi; nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiusq; semine pollutę fuerint. *Concil. Nic. de cons. dist. 1. cap. eod. dist. 68. c. eo.* Debent autem reconciliari per aquam cum vino & cinere benedictam. *Innoc. 3. de consec. Eccl. vel. alt. c. proposuisti.* Et hoc debet fieri per Episcopum, non per simplicem Sacerdotem: quia est exercitium ordinis, quod delegari non potest inferioris gradus Clericis. *eod. tt. c. aqua.*

Quid de cœmiteriis vbi sepulta fuerint corpora excommunicatorum.

30 *h* COEMITERIA, in quib. excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquæ solenniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consueuit. *Inno. 3. de cons. Eccl. vel alt. c. consuluisti.*

h Cœ-

h Cœmeteria] *illum locum, in quem fidelium corpora sepelienda inferuntur, Cœmeterium dicere christiani consueuerunt; inde ducto vocabulo, quod, sicut diuina Scriptura obitum iustorum somnum dicere solita est: Lazarus amicus noster dormit, &c. Eadem significatione locum illum, vbi sepelirentur, Cœmeterium, hoc est, dormitorium, Ecclesia voluit appellari; vel quia dormientes surrecturos esse non dubitet. S. August. ep.* 122. *Walafrid. Strabo de rebus Eccles. c.* 6. Io. 11.

Non oportet in domibus oblationes ab Episcopis, siue Presbyteris, fieri.

Concil. Laodic. can. 58. *Vide inf. p.* 3. *c.* 17. *ne Missas à cap. nobis periculum n.* 11. *cum seqq.* 31.

Non celebrentur Missæ in oratoriis priuatis ab Episcopo non approbatis, ex traditione Apostolorum.

NON patiantur Episcopi priuatis in domibus, 32
atq; omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tamen cultum dicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda, & visitanda, sanctum Missæ sacrificium à sæcularibus, aut regularibus quibuscumq; peragi; ac nisi prius qui intersint, decenter composita corporis habitu, declarauerint, se mente etiam, ac deuoto cordis affectu, non solum corpore adesse. *Concil. Trident. sess.* 22. *ante c.* 1. *de reform.*

Et hoc ex traditione Apostolorum, vt testatur S. Clemens ep. 3. *de officio Sacerdotum, & Ecclesiarum.*

Neque id fiat certis diebus solemnibus.

33 CLERICI in Natali Domini, Pascha, Epiphania, Ascensione, Pentecoste, natali Sancti Ioannis Baptistæ, & si qui maximi dies in festiuitatibus habentur, Missas in oratoriis peculiaribus sine permissu Episcopi facientes pellantur à communione. *Concil Agath.c.21. Aruern.c.14.*

De obseruatione altaribus debita, & qualiter tractanda.

34 OBSERVANDVM, vt mensa Christi, id est, altare *i* vbi corpus Dominicum consecratur, vbi sanguis eius hauritur, vbi Sanctorum reliquiæ recondantur, vbi preces & vota populi in conspectu Dei Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur; & mundissimis linteis, & pallis diligentissime cooperiatur; nihilq; super eo ponatur, nisi capsæ cum sanctorum reliquiis, & quatuor Euangelia. *Concil. Rhem.c.5. secundum Burchard. l.3.c.97. Iuo p.2.c.132. Innoc. 3. in Conc. gen. de custod. Euch. relinq ui.*

i Vbi corpus Dominicum] *Aliquando inuenimus corpus Dominicũ non super altari, sed super manibus Diaconorum fuisse consecratum: vt videre est apud Theodoretum hist. religios.c.20. Ego vero, inquit, iussi sacra Vasa afferri, & pro altari vsus Diaconorum manibus mysticum, diuinum, & salutare obtuli Sacrificium.*

Lau-

Laudatur Sacerdos quod fuerit sollicitus de nitore templi.

ERAT sollicitus Nepotianus, si niteret altare, si 35
parietes absq; fuligine, si pauimenta tersa, si ianitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundũ, si vasa luculenta; & in omnes cærimonias pia sollicitudo dispositа, non minus, non maius negligebat officium. Vbicumq; eum quæreres, in Ecclesia inuenires. *S. Hieron. epist. 3. ad Heliod.*

De eadem altariũ obseruatione; & quid sint illa, ac de eorum origine.

QVID tam sacrilegum est, quam altaria Dei, in 36
quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, rapere, remouere? Quid enim est Altare, nisi sedes corporis & sanguinis Christi? *Optatus Afer contra Donatistas l. 6. de altarium origine. Vide Walafrid. Strabonem de reb. Eccles. l. 7. c. 1.*

De eodem; & quod ad altaria femina non accedat.

ALTARE sit coopertum mundis linteis, saltem 37
tribus diuersis; ad quod nulla femina accedat, aut calicem tangat, & super altare nil ponatur nisi reliquiæ, ac res sacræ, & pro sacrificio opportunæ. *Socerdotale Rom. l. 1. c. 13.*

Pro-

Prohibendum, vt nulla femina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, siue sedere.

38 *Concil. Nannet. non Moguntinum c. 3. de cohab. cler. & mul. c. 1. Laodic. c. 19. 44. Gelasius Papa ep. 1. c. 28. l. 1. tt. 11. p. 1.*

Semper dum Missa celebratur sit Crux in altari, & cerei.

39 HABEAT Sacerdos Crucem ad altare, cum celebrat: quia in illo mysterio passio Christi repræsentatur in memoriam eius. *S. Th. opusc. 65. c. 1.* & etiam Cereos incensos. *de celebr. Missarum, c. literas.*

Vnicum tantum altare in vnaquaque Ecclesia olim fuisse,

40 *Videtur colligi ex Hormisda Papa de cons. dist. 1. c. nullus, 2.*

Non oportet in sacratos ministros licentiam habere in *k* sacrarium, (quod Græci *l* Diaconium appellant) ingredi, & contingere vasa Dominica, neq; alij, quam Diaconi.

41 *Concil. Laodic. dist. 23. c. eod. 1. & c. non liceat.*

k, l Sacrarium, Diaconium] *Legendum, Diaconicon, quamuis vulgo Diaconium legatur. Vtrumque appellabatur altare, quod ibi Diaconus ministraret Sacerdo-*

cerdoti: illuc enim non nisi Sacerdotibus, & Diaconis ascendere licebat, secundum Concil. Laodic. vbi supra, S. Isid. l. 15. Orig. c. 5. Diaconiæ vero erant loca sacra, vbi Diaconi per singulas regiones vrbis Romæ residentes stipem egentibus ministrabant. de quo extat ep. S. Gregor. 24. lib. 9. ad Ioannem. Aliquando significabantur ea voce collectæ in Ecclesia fieri solitæ; vt colligitur ex Cassiano coll. 18. c. 7. Aliquando dispensatio; siue œconomia rerum ad monasteria pertinentium; vt patet ex eodem Cassiano coll. 25. c. 1. 8. 9.

Quando Missa celebratur diuisus debet esse Clerus à populo.

LAICI secus altare, quando sacra mysteria cele- 42
brantur, stare, vel sedere inter Clericos non præsumant; sed pars illa, quæ cancellis ab altari diuiditur, tantum psallentibus pateat Clericis. Ad orandum vero, & communicandum, laicis, & feminis, sicut mos est, pateant Sancta Sanctorum. *Concil. Mogunt. de vit. & hon. cler. c. 1. Turon. 2. Brachar. 1. can. 31.*

De eodem.

NVLLI omnino qui sit in laicorum numero 43
liceat intra sacrum altare ingredi; ab eo tamen nequaquam prohibita potestate & auctoritate Regia, quando quidem voluerit Creatori dona offerre, ex antiquissima traditione. *Sexta Synodus c. 69. Vide sup. c. 2. § 3. de obedientia. c. diuinum Sacrarium, n. 20. de loco Imperatoris in Ecclesia.*

Alta-

Altaria, quæ passim per agros & per villas, tamquam memoriæ Martyrum, constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis (si fieri potest) euertantur.

44 *Concil. Afric. de cons. dist. 1. c. placuit. Felix Papa 1. epst. 2.*

Si quis à sancta Ecclesia ceram, vel oleum auferat, segregetur.

45 *Canon 72. Apostolorum. Quod non intelligas de furto, quia illud esset manifestum sacrilegium; sed de sola ablatione à templo, etiam si imperij dominium in templo, habeat, aut sit eius minister. Ita notat Theodorus Balsamon.*

De cereis, Aqua benedicta, Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum, §. 11.

SVMMARIVM.

IGNIS *in altari semper ardebit. 1. 4. Cerei & luminaria in Ecclesia quare incendantur, & dum Missæ celebrantur, & dum Eucharistia defertur ad infirmos, & cadauera Christianorum ad Ecclesiam sepelienda. 6. 7. 8. 9. vbi de cereo Paschali.*

Ima-

Imagines Christi, & Sanctorum adorandæ. 2. 3. 13. 14.
Reliquiæ Sanctorum honorandæ. 5. 15. 16.
Qui templum sine illis consecrauerit, deponatur. 16.
Aquæ benedictæ institutio, & effectus. 10. 11. 12.

IGNIS in altari meo semper ardebit. *Leu.* 6. 1

Duos quoq; Cherubim aureos, & productiles facies ex vtraq; parte oraculi. *Exod.* 25. 37. *Num.* 17. 3. *Reg.* 6. 2

Orauit Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyses serpentẽ æneum, & posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur. *Num.* 21. 3

Fecit Salomon Candelabra cum lucernis suis, vt lucerent ante oraculum iuxta ritum, ex auro purissimo, &c. 2. *Paralip.* 4. 4

Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manũ Pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & semicinctia; & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. *Act.* 19. 5

Quare incendantur lumina, & cerei in Ecclesia.

CEREIS & luminibus meridiana luce & Sole rutiliante in templo vtimur, non ad fugandas tenebras; sed ad signum lætitiæ demonstrandum. *S. Hieron. contra Vigilantium.* 6

Cerei

Cerei sint in altari incensi dum Missæ celebrantur.

7 *Honorius 3. de celebr. Missarum, c. litteras.*

Deferri debet Eucharistia ad infirmos semper lumine præcedente.

8 *Idem Honorius eod. tt. c. sane.*

In funeribus Christianorum lumina deferri consueuerunt.

9 *Vt videre est apud S. Greg. Nazianz. orat. 2. contra Iulianum, & 7. in morte fratris. S. Chrysost. hom. 70 ad populum Antioch. Et hoc habuisse originem ab ipsa Ecclesia primitiua, refert Nicephorus Eccles. hist. l. 2. 21. 22. vbi refert, B. Mariam semper Virginem accensis cereis ex hac vita migrasse, & ad tumulum esse deportatam. De Cereo Paschali vide Concil. Toletan. 4. cap. 8.*

De institutione Aquæ benedictæ.

10 OMNIBVS diebus Dominicis quisq; Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia Aquam benedictam faciat in vase nitido, & tanto mysterio conuenienti. De qua populus intrans Ecclesiam aspergatur; & atrium eiusdem Ecclesiæ cum crucibus circumeundo similiter aspergat, & pro animabus ibidem quiescentibus oret. Et qui voluerit in vasculis suis accipiat ex ipsa aqua, & per mansiones, & agros, & vineas, super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, nec non super cibos, & potum suum conspergat. *Burchard. l. 2. c. 52. ex Concil. Nannet.*

De

De eodem.

AQVAM sale conspersam populis benedicimus; 11
vt ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur. Quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandauimus. *S. Alex. Papa epist. 1. ad omnes Orthodoxos de Sacerdotibus non vexandis. de cons. dist. 3. c. eod.*

Cubiculum infirmi aspergendum aqua benedicta.

CVM Sacerdos audierit aliquem infirmari in sua 12
plebe, quam citius ad eum pergat, & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum, & per omne cubiculũ aspergat, cum Antiphona: Asperges me Domine, & Vers. Exurge Deus, &c. *Concil. Nannet. c. 4.*

Imagines Christi & Sanctorum in templis præcipue habendæ, & vbiq; adorandæ, & qualiter.

IMAGINES Christi, Deiparæ Virginis, & alio- 13
rum Sanctorum in templo præsertim habendas, & retinendas, eisq; debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur in esse aliqua in eis diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendę, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ representant;

ita, vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ gerunt ſimilitudinem, veneremur. Id quod Conciliorum, præſertim vero ſecundæ Synodi Nicenæ, decretis contra Imaginum oppugnatores eſt ſancitum. *Concil. Trident. Seſſ. 25. decreto de inuocatione Sanctorum, d. conſ. diſt. 3. c. perlatum. c. venerabiles, de quo vide Conc. Nicen. 2. quod eſt ſeptima Synodus generalis per ſeptem actiones, & Synodum Octauam Conſtantinopolitanam, can. 3. B. Auguſt. l. 1. de conſenſu Euangeliſtarum, c. 10. S. Greg. l. 7. ep. 53. & 109. indictione 2. l. 9. ep. 9. S. Damaſcenum l. 4. Orthodoxæ fidei, c. 17. B. Nicolaum epiſtola 2.*

Adorans Regis imaginem ipſum Regem adorat.

14 IN imagine Regia ſpecies Regis & forma apparet, in Rege imaginis ſpecies: ſine enim omni diſcrepantia vultus Regis in imagine expreſſus eſt, vt, qui videt imaginem, videat in ea Regem; & viciſſim, qui Regem intueatur, agnoſcat, illum ipſum eundem eſſe, qui in imagine repræſentatur. Ceterum, quia in ambobus nulla eſt diſſimilitudo, ſi quis poſt conſpectam imaginem velit Regem videre, huic ad eum modum ita imago loqueretur: Ego & Rex vnum ſumus: ego enim in illo ſum, & ille in me; & quod in me animaduertis, id quoque in eo animaduertas; & quod videris in illo, videris & in me. Qui igitur adorat imaginem, in

in illa adorat ipsum Regem: quippe cum ipsa imago nihil aliud sit, quam Regis forma, ac species. *S. Athanasius serm. 4. contra Arianos.*

Reliquiæ Sanctorum honorandæ.

HONORAMVS reliquias Martyrum, vt eum, cuius sunt Martyres, adoremus. Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit. *S. Hieron. ep. 53. contra Vigilantiũ, & in Trenos. Conc. Trident. Sess. 25. decreto 2. Carthag. 1. c. 2 S. Leo ep. 39. 44. 72. S. August. ep. 103. & de ciuit. Dei l. 22. c. 8. S. Gregor. l. 3. Reg. c. 30. S. Ioann. Damasc. in suis orationibus de imaginibus. Concil. Nic. 2. sub Hadriano Papa 1. act. 3. Apostolicis. Lateran. sub Innocentio c. 62. Cum ex eod.* 15 Mat. 10.

Qui templum consecrauit sine sanctis Reliquiis deponatur.

Septima Synodus c. 7. S. August. contra Manichæum l. 20. c. 21. Felix Papa I. epist. 2. ad Episcopos Galliæ. 16

CAPVT V.

DE SACRAMENTORVM MINISTRATIONE, & ORDINVM EXERCITIO.

SVMMARIVM.

SACRAMENTA *gratis conferenda.* 1.39.40.

Sacramentum Ordinis *confert gratiam.* 7.

Sacerdotibus datur potestas clauium, remittendi, & retinendi peccata, & dispensandi mysteria Dei; & sunt proprij ministri Sacramentorum ipsi soli, excepto Baptismo. 2.3.4.6.

Qui, etiam in mortali existentes, vere conficiũt, & conferunt Sacramenta. 11.12.13.14.15.16.

Anathema est qui dixerit, posse pro libito omitti, aut contemni, aut in nouos alios per quemcumq; Ecclesiæ pastorem mutari ritus ab Ecclesia receptos in solemni Sacramentorum administratione. 5.

Fiducialius aperienda cordis arcana Sacerdoti, quam propriis parentibus. 38.

Sacerdos autem prius peccata propria purget, deinde aliena. 8.9.10.

Qualiter debeat orare ante & post confessionem. 23.

Qualis debeat esse Confessor, *qualemque pœnitentiam debeat imponere.* 17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.31.32.33.34.41.

Qualiter S. Ambrosius se gerebat cum pœnitentibus. 22.

Quali-

Qualiter Eucharistiæ Sacramentum à Sacerdote ministrandum.36.
Et à Diacono, necessitate cogente.37.
Qualiterq; ad infirmos deferendum, eisque ministrandum.29.35.
Et à communicantibus, ore, non manu, sumendum.36.
Sacerdos habere debet vas dignum Eucharistiæ conseruandæ sub sera, super altari, illaq; septimo quoq; die renouanda.42.43.
Sacrum chrisma, & oleum consecratum semper etiam debet esse sub sera.44.
Quibus diebus Sacerdos celebrare tenetur.45.
Id omittens, quot mala operetur.46.
Cubiculum quid sit.23.

SI gratis accepistis, gratis date. *Matth.* 10. 1

Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. *Io.*20. 2

Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. 1. *Cor.*4. 3

Christus reliquit Sacerdotes sui ipsius vicarios, & iudices, cum potestate clauiũ.

DOMINVS noster Iesus Christus, ascensurus ad 4
cælos è terris, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quo, pro potestate clauium, remissionis, ac retentionis peccatorum sententiam pronuntient. *Concil. Trident. Sess.*14. *c.*1. *& can.*1.

Approbatos Ecclesiæ ritus in Sacramentorum administratione non recipientes qualiter anathemati subiaceant.

5 SI quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit. *Idem Concil. Sess. 7. de Sacramentis in genere, can. 13.*

Sacramenta conferri non possunt nisi per ministros Ecclesiæ consecratos, excepto Baptismo.

6 PROPRII dispensatores Sacramentorum sunt ministri Ecclesiæ, per Sacramentum Ordinis consecrati, vt sint medij inter Deum & plebem, diuina populo tradentes: & ideo solis eis competit ex officio Sacramenta ministrare; nec per alium conferri possunt, excepto Baptismo, propter necessitatem. *S. Th. in 4. dist. 7. q. 3. art. 1. de Diaconis. Vide inf. Diaconos 38.*

Sacramentum Ordinis confert gratiam ad congrue dispensandū Sacramenta.

7 SACRAMENTVM Ordinis confert gratiam, quia Dei perfecta sunt opera: & ideo, cui datur spiritualis potestas ad Sacramentum aliquod exequendum, datur gratia ad id congrue exequendum. Et ideo, quia in ordine spiritualis potestas confertur

ad

ad Sacramentorum dispensationem, confertur gratia ad congrue dispensandum. *Idem S. Tho. in 4. dist. 24. art. 3.*

Sacerdos prius propria peccata purget, deinde aliena.

SACERDOS, vt sapiens medicus & perfectus, 8
primum sua peccata diluere sciat; & postea aliena detergere & sanare, & non publicare. *S. August. 3. q. 7. c. eod.*

De eodem.

NECESSE est, vt esse munda studeat manus, quę 9
diluere aliorum sordes curat, ne tacta quæque deteriorus inquinet, si sordida in se mens lutum tenet. *S. Gregor. Pastor. p. 2. c. 2.*

De eodem.

SACERDOS, cui omnis offertur peccator, ante 10
quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit iudicandus, quæ in alio iudicare est promptus; iudicans enim alium, qui est iudicandus, condemnat seipsum. Cognoscat igitur se, & purget in se quod alios videt sibi offerre. Caueat, vt à se proijciat quidquid damnosum in alio reperit, &c. *S. August. de vera & falsa pœnitentia, c. 10. de pœnit. dist. 6. c. Qui vult. Vide infr p. 2. c. 7. §. 1. de doctrina à cap. omnis Sacerdos. num. 45. cum seq.*

Sacerdos, etiam in peccato mortali, vere conficit, & confert Sacramenta.

SI quis dixerit ministrũ in peccato mortali exi- 11
stentẽ, (dũmodo omnia essentialia, quæ ad Sacra-

mentum conficiendum, aut conferendum pertinent, seruauerit) non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit. *Conc. Trident. sess.* 7. c. 12.

De eodem.

82 DOCET sancta Synodus, etiam Sacerdotes qui peccato mortali tenentur per virtutem Spiritus sancti in ordine collatam, tamquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere; eosq; praue sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt, &c. *Idem Concil. Sess.* 14. c. 5. & 6. & *can.* 10.

De eodem.

83 SACRA Ecclesia, hortus deliciarum, & spiritualis est paradisus, charismatum videlicet supernorum irriguus. Ponamus ergo, vt mali Sacerdotes quodammodo vt lapides sint canales: in lapideis autem canalibus aqua nil germinat, donec per eos decurrens in fæcūdas scareolas fundat. Licet enim plures reprobos Sacerdotes seriatim temporum vices attulerint; videlicet, vt & cōsecrantes, & consecrati æque reperiantur indigni; fons tamen ille viuus non restringitur, quoniam vsq; ad finem sæculi per nemus Ecclesiæ perfluit. Per Sacerdotes siquidē Baptismus & chrisma tribuitur, & omne Ecclesiastici Sacramēti mysterium exhibetur, &c. sed absit, vt mihi obesse valeat minister malus, vbi proculdubio bonus est Dominus: aut malitiosus pręco, vbi beneuolus est iudex, &c. Ministris plane exterior cōsecrationis ordo tribuitur, sed soli Domino

mino ipsius cõsecrationis gratia reseruatur. Vnde ipse dicit in Exodo: Ego Dominus, qui sanctifico vos. Si igitur Dominus est, qui sanctificat, cur timendum, ne plectibilis cuiusdam serui reatus obsistat? *Card. Petrus Damianus in suo Gratissimo, c.12.* *Exo, 31.*

De eodem.

QVICVMQVE Sacerdotes, etsi dispares sunt merito, pares tamen sunt officio: nec potest denegari pro merito, quod debetur officio. Alioqui non staret Sacerdotium, si maius, aut minus fieret, seu variaretur secundum humanorum varietatem meritorum; essentque pene tot Sacerdotia quot homines. *Leo Papa 9. contra Michaëlem Constantinopolitanum c. 34. sanctus Nilus in Nomocanone.* 14

De eodem.

VT sit quisque verus Sacerdos, oportet, vt non solum Sacramento, sed etiam iustitia induatur, sicut scriptum est: Sacerdotes tui induantur iustitia. Qui autem solo Sacramento Sacerdos est, sicut fuit Pontifex Cayphas, persecutor vnius & verissimi Sacerdotis, quamuis ipse non sit verax, quod tamen dat, verum est; si non det suum, sed Dei, &c. Memento ergo Sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quo illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint, &c. *S. August. 1.q.1.c.Dominus, & tract. 6. in Ioannem. dist. 19. c. secundum.* 15 *Psa. 131.*

De eodem.

16 NVLLO detrimento is qui suscipit afficitur, et iam si is qui tribuit indignus esse videatur; neque incontaminata mysteria conspurcantur, etiam Sacerdos omnes mortales improbitate superet. *Isid. Pelus. l. 3. ep. 340. l. 1. ep. 120. l. 2. ep. 37. S. August. q. 1. c. dictum est. de quo vide sup. c. 2. §. 3. de obed. à ca non merita personarum, n. 40. & inf. p. 2. c. 7. §. 1. doctrina à cap. lixiuium. num. 75.*

Sacerdos confessionibus audiendis praefectus qualis.

17 SVMMA vigilantia, acerrimaque in omnes potes circumspectione operam dato, ut aliquem tibi Sacerdotem inuenias, quem in omnibus deinceps dilectæ tibi vitæ studiis certissimum ducem sequare; ciusmodique qui rectum iter ad Deum volentibus pergere sciat commonstrare, qui ornatus virtutibus sit, cuius vniuersæ totius ipsius vitæ actiones testimonio sint, caritatem in eo erga Deum inesse, qui diuinarum literarum scientiam habeat, virum integrum, nec ulli distractioni indulgentem, ab auaritia abhorrentem, minime libenter gerendis se negotijs admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minime iracundum, iniuriarum immemorem, natura propensum ad eos docendos qui ad ipsum accedant, quem gloria inanis non inflet, superbia non extollat, adulatio non frangat, seuerum, atque constantem, cui denique nihil sit præstantius honore Dei.

Dei. S. *Basilius serm. de abdicatione sæculi optime. S. Bernardus ad fratres de Monte Dei : Elige tibi tu ipse hominem, &c. S. Bonau. de puritate conscientiæ c. 16. & l. 2. Pharetræ c. 13. Vide inf. eod. cap. non eodem, num. 31.*

De eodem.

MAGNOPERE necessarium iudicamus, vt Sacerdos, qui à confessionibus est, sit integer, eruditus, ac silentij tenax. Alioqui, si ad quæstum intentus sit, si ad malum sollicitet, si curiosior explorator sit, si pertinacibus blandiatur, si intricatam conscientiam extricare nesciat, si deniq; vel ebriosus, vel iracundus, vel leuis, secreti minime tenax, dissipandis magis, quam pascendis ouibus videbitur idoneus. *Concil. Colonienſe. c. 33.* 18

De eodem.

OPORTET, qui facultatem absoluendi, & ligandi à Deo receperunt peccati qualitatem speculentur, peccatoris promptitudinem ad reuersionem, &c. non enim simplex est peccati morbus, sed varius, & multiformis, &c. Oportet attente rimari, qualiter affectus sit qui peccauit; an ad salutem inclinet, an contra moribus, quibus assueuit, familiariter aduersus se ægritudinem prouocet inspicere, &c. *Sexta Synodus can. 102. quem vide.* 19

De eodem.

SEXCENTIS oculis Sacerdos inspiciat habitum peccatoris, &c. *S. Chryſ. l. 2. de Sacerdotio.* 20

De

De eodem: ac de reuelatione peccatorum non facienda.

21 SACERDOS sit discretus & cautus, vt mos periti medici in fundat vinũ & oleum vulneribus sauciatis, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati. Ex quibus prudenter intelliget, quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad saluandum ęgrotum. Caueat autem omnino, ne verbo, vel signo, aut alio quouis modo, aliquatenus prodat peccatorem; sed, si prudentiori consilio indiguerit illud absque vlla expressione personæ caute requirat. Quoniam, qui peccatum, &c. *vt inf. p. 3. c. 16. ne sacramentum c. caueat nu. 5. & c. Sacerdos nu. 4. & p. 2. c. 7. §. 2. de delectione, & scientia. c. caueat spiritualis Iudex. num. 5. Innoc. 3. de pœnit. & remiss. c. omnis. S. Leo ep. 80. de panit. dist. 6. c. Sacerdos. Sexta Synodus can. 102. Concil. Wormac. c. 7.*

Qualiter S. Ambrosius se gerebat cum pœnitentibus.

22 BEATVS Ambrosius ita solitus est flere, dum in confessione peccata alicuius audiret, vt etiam peccatorem confitentem in lacrymas deduceret: lapsus enim alienos, vt suos deflebat. Qua de re precari Dominum ipse in hæc verba solebat: Ego sciebam, quod non eram dignus vocari Episcopus, quoniam dederam me sæculo huic; sed gra-

tia

tia tua sum id, quod sum, & sum quidem minimus omnium Episcoporum, & infimus merito. Tamen, quia & ego laborē aliquem pro Ecclesia tua sancta suscepi, hunc fructum tuere; ne, quem perditum vocasti ad Sacerdotium, eum Sacerdotem perire patiaris. Ac primum, vt cōdolere norimus peccantibus affectu intimo. Hæc enim summa virtus, quia scriptum est: Et non gaudebis super filiis Iuda in die perditionis eorum; Et ne magna loquaris in die tribulationis eorum. sed, quotiescunque peccatum alicuius lapsi exponitur, compatiar, nec superbe increpem, sed lugeam, & defleam; vt, dum alium fleo, me ipsum defleam dicens: Iustificata est magis Thamar, quam ego. *Paulinus in vita S. Ambrosij. Idem. Ambr. l. 2. de pœnit. c. 8.*

Abd. 1.

Gen. 38.

Quid faciendum Sacerdotibus ante & postquam audiunt peccata confitentium.

QVANDO Presbyteri audiunt confessiones, humiliare se debent; & cum tristitia, gemitu, lacrymisque orare non solum pro suis delictis, sed etiam pro fratris casu. Ait enim Apostolus: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Cum ergo venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri peccata sua, mandet ei Sacerdos, vt expectet modicum, donec intret Ecclesiam, aut in *a* cubiculum suum ad orationem: si autem locus non est aptus ad hoc, in cor-

23

1. Co. 2.

in corde suo dicat hanc orationem: Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, v condigne tibi possim gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fe cisti officij Sacerdotalis, & me exiguũ humilem que mediatorem constituisti ad orandum, & a intercedendum ad Dominum Iesum Christum filium tuum pro peccatis, & ad pœnitentiam reuertentibus. Ideoque dominator Domine, qu omnes homines vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut conuertantur, & viuant, suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt: vt des illis spiritum compunctionis, vt resipiscant à Diaboli laqueis, à quibus adstricti tenentur, & ad te per condignam satisfactionem reuertantur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Iesum Christum, &c. Post confessionem vero dicat hanc orationem: Omnipotens & misericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti, succurre lapsis, miserere confessis; vt quos delictorum catena constringit, magnitudo tuæ pietatis absoluat. Per Dominum nostrum, &c. *S. Augusti. l. v per Burchardum l. 19. c. 2. cum seqq. vbi late de modo audiendi confessiones. De quo etiam S. Bonau. in Confessionali, & Ioan. Gerson eodem tractatu.*

a Cubiculum) *Idem fuit apud antiquos, quod apud nos est Oratorium, iuxta illud Matthæi 6. Intra cubicu-*

cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum. Ita reperitur apud S. Paulinum ep. 12. ad Seuerum, in qua describens templum extructum, hæc habet verba: Cubicula intra porticus quaterna longis basilicæ lateribus inserta secretis orantium, vel in lege Domini meditantium, &c. Eodem sensu dicti sunt à cubiculo Cubicularij in actis S. Leonis Papæ, ubi dicitur constituisse super sepulcrum Apostolorum ex Clero Romano custodes, qui dicuntur Cubicularij.

De eodem.

DILIGENS inquisitor & subtilis inuestigator 24
sapienter, & quasi astute interroget à peccatore, quod forte ignorat, vel verecundia velit occultare. Cognito itaque crimine varietates eius non dubitet inuestigare, & locum, & tempus, &c. Quibus cognitis, adsit beneuolus, paratus erigere, & secum onus portare. Habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate. Adiuuet confitentẽ in orando, eleemosynas dando, & cætera bona pro eo faciendo; semper eum iuuet leniendo, consolando, spem promittendo: &, cum opus fuerit, etiam increpando, &c. *Idem S. August. de pœnit. dist. 6. c. 1. S. Bonau. vbi sup. de interrogat. p. 1.*

De eodem: ac de pœnitentia imponenda.

DVM pœnitens confitetur Sacerdos, se ex- 25
hibeat beneuolum, affabilem, & humanum; vt pœnitens non impediatur in confessione sua ex austeritate Sacerdotis: & audita confessione con-

confortet ipsum, vtendo diuersis experimentis ad sanandum ægrotum, nunc leuando, & consolando per spem veniæ & gaudium æternæ vitæ postea terrendo per pœnas æternas & incendii gehennæ, ostendendo sicut videret expedire, & faciat Sacerdos quoddam temperamentum et misericordia, & seueritate, vt pœnitentia non sit nimis dissoluta, nec nimis rigida, &c. *dist.* 45. *sunt namque.* Tutius tamen est ponere minorem debito, quam maiorem: quia melius excusatur apud Deum propter multã misericordiam, quam per nimiam seueritatem. 26. *q.* 7. *c. Alligant.* Qui talis defectus suppletur in purgatorio. *dist.* 25. *cap. qualis. S. Th. opusc.* 6. 5. *c.* 4. *S. Bona. vbi sup. p.* 4.

De eodem.

26 SI erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem succumbere pœnitentem? *S. chrysost. super cap.* 2. *Matth. hom.* 43.

Qualiter imponenda pœnitentia peccatorum.

27 DEBENT Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares & conuenientes satisfactiones iniungere; ne, si forte peccatis conniueant, & indulgentius cum pœniten-

nitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delectis iniungendo, aliorũ peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorũ vindictam, & castigationem: nam claues Sacerdotum non ad soluendum tantum, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui patres & credunt, & adocent, &c. *Concil. Trident. Sess.* 14. *c.* 8. *Nicephorus Cartophylax de ligandi & soluendi potestate, ad Theodosium monachum. S. August. de pœnitent. dist.* 5. *c. consideret.*

De eodem.

MENSVRAM temporis in agenda pœnitentia ideo non satis aperte prefigunt canones pro vnoquoque crimine, vt de singulis dicant, qualiter vnumquodque emendandum sit; sed magis in arbitrio Sacerdotis relinquendum statuunt. Quia apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris; nec abstinentia tantum ciborum, quam mortificatio vitiorum. Propter quod ipsa tempora pœnitentiæ pro fide, & conuersatione pœnitentium abbreuianda, præcipiunt, & pro negligentia prolatanda. *S. Hieron. de pœnit. dist.* 1. *c. eod.* 26. *q.* 7. *c. tempora. c. de his vero. c. pœnitentibus.* 28

De eodem, circa infirmos.

AB infirmis in periculo mortis positis per Presbyteros pura inquirenda est confessio peccatorum; 29

torum: non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ; sed innoteſcenda, & cum amicorum orationibus, & eleemoſynarum ſtudijs pondus pœnitentiæ ſubleuandum; &, ſi forte migrauerint, ne obligati à communione & conſortio veniæ fiant alieni. *Theodorus in Pœnitentiali 26.q.7.c.1.*

De eodem: & qualiter tribuenda communio pœnitentibus.

30 NONNVLLI ideo poſcunt pœnitentiam, vt ſtatim ſibi communionem reddi velint. Hi non tam ſoluere ſe cupiunt, quam Sacerdotem ligare: ſuam enim conſcientiam non exuunt, Sacerdotis indu-
Mat.7. unt. Præceptum eſt; Nolite ſanctum dare canibus; neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos, hoc eſt, immundis ſpiritibus ſacræ communionis non impertienda conſortia. *S. Ambroſ. de pœnit. diſt.1.c.10. S. Bonauent. in Confeſſionali de uſu clauium. partic.3.*

Non eodem modo tractandi omnes pœnitentes, & quibus virtutibus ornatus debeat eſſe Confeſſor.

31 NON eodem modo ab eo qui præeſt tractandi ſunt omnes; cum ne medici quidem ſit eadem medicamenta ægrotis omnibus propinare, neque gubernatoris eundem tenere curſum ventis reflantibus. Deinde cogitate, qualem eum eſſe deceat, qui tantæ tempeſtati, tot procellis & fluctibus obſiſtere oporteat. nam & grauem eum eſſe decet,

& non

& non insolentem,& formidabilem, placabilem, & imperiosum, & sociabilem,& incorruptum, & obseruantem & humilem, & inuictum, & hilarẽ & mansuetum, qui hæc facile certamina confecturus sit. Itaque homo candidissimus,& cordatus cauere debet,ne vel ipse aduletur alijs,vel adulari sibi alios patiatur,vt nec arrogans sit,nec adulator;sed ideo quod nimium est in vtroque malo caueat.Itaque liber sit, ne ad contumaciam declinet,aut seruilem in modum se abijciat. *Suidas in vita S.Chrysost.Vide sup. eod.c.summa vigilantia.n.17. cum seqq.*

De eodem.

SI vna omnes ægritudine mentium laborarent 32
ac paribus animorum morbis affecti nihil ab inuicem discreparent, aut sustineri omnes necesse esset,aut argui. Nunc vero propterea portandi sunt alij,alij castigandi;quia pro qualitate peccantium modus quoque diuersus est præceptorum. Et vtique ita dissimilia sunt peccatis adhibenda remedia, sicut ex dissimilibus causis veniunt ipsa peccata,&c. *S. Prosper de Vita contempl.l.2.c.1.*

Confessor sedeat in loco manifesto; & dũ pœnitentes purgare nititur,caueat, ne ipse inquinetur.

SACERDOS,qui Angelus Domini exercituum 33
dicitur,non tenebrarũ,sed lucis Angelũ se ostendat,sedens pro confessionibus audiendis in loco manifesto, & omni suscipione carente, vbi videri possit ab omnibus,& nõ audiri. Sollicitus etiã sit,

ne, dum confitentem foris à sordibus purgat, ipse ex his, quæ audit, per voluntariam delectationem interius sordidetur: debet enim esse vt nobilis manus quæ alium lauans lauatur, mundans mundatur; non vt lixiuia vilis, quæ alia mundificans inquinatur. *S. Bonau. de vsu clauium. c. 1. p. 1. & 2.*

De eodem.

34 ANCHORAM cum anchora. n. 34. & Magna diligentia. *n. 33. Vt inf. p. 2. c. 4. §. 1. de Prudentia.*

Sacerdos instruat plebem, vt reuerenter adoret Sacramentum; & qualiter ad infirmos deferendum.

35 SACERDOS instruat plebem suam frequenter, vt, cum in celebratione Missæ eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet, idem faciens, cum eam defert Presbyter ad infirmum. Quam in decenti habitu super posito mundo velamine ferat, & referat manifeste, ac honorifice ante pectus cũ omni reuerentia, ac timore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ; vt ex hoc apud omnes fides, & deuotio augeatur, &c, *Honorius 3. de celebr. miss. c. sane.*

Qualiter ministrari debeat Eucharistiæ Sacramentum.

36 HABEAT Sacerdos orarium, siue stolam, quando communicat aliquem, &c. & debet *b* in porrectione Sacramenti Eucharistiæ facere signũ crucis cum ipsa hostia in facie recipientis, dicens: Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi con-

conseruet,& custodiat te in vitam æternam. Cum vero porrigit Calicem dicit: In nomine Domini nostri Iesu Christi.quia ibi est purum vinum,cum aqua; & non sanguis *S.Th.opusc.* 65. *c.* 4.

b In porrectione Sacraměti,] *Aduerte hic,obiter mittendam esse Eucharistiam in os accipientis, non ponendă in manibus, vt laicis olim exhibebatur: vt videre est apud S. Cyrillum Hierosolym. catechesi mystag.*5. *vbi, Accedens, ait, ad communionem non expansis manuũ volis, neque cum dsiunctis digitis, sed sinistram velut sedem quandam subijcias dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concaua manu suscipe corpus Christi, dicens, Amen. Idem innuit Nicephorus histor. Eccles. l.* 6. *c.* 9. *l.* 12. *c.* 41. *Id enim antiquum est, vt docet Ecclesiæ consuetudo recepta, & patet ex Concil. Antisiodor. c.*36. *& Rothomag. can.* 2. *apud Burchardum l.* 3. *c.*76.

Diaconus necessitate cogente poterit Eucharistiam ministrare.

DIACONVS præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi, si necessitas cogit, iussus eroget. 37
Concil. Carthagin. 4. *c.*38 *dist.*93. *c. præsente. c. Diaconos Concil. Arelat.* 2. *can.*15. Si autem necessitas euenerit,& Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœnitentem ad sanctam communionem; quia est Sacramentum necessitatis, sicut baptismus,& pœnitentia. *S.Th.opusc.*65. *c.*5. *Pœnitentiale Roman. dist.*93. *c. eod. S. Clemens de Constit. Apost. l.*8. *c.*28. *S. Cyprianus serm. de lapsis. Quia, si esset copia*

Presbyteri, non posset Diaconus Christi corpus porrigere. ex Concil. Nic can. 14. de cons. dist. 2. cap. peruenit ad nos. Niceph. hist. Eccles. l. 6. c. 6.

Fiducialius aperienda cordis arcana Sacerdotibus, quam ipsis parentibus.

38 MAIOR tibi fiducia sit in Sacerdote, qui te in Deo genuit, quam in illis, à quibus corpore procreatus es. Audacter ostende illi quæ sunt recondita: animi arcana tamquam occulta vulnera medico retege. Ipse & honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit. Filiorum decore magis mouentur parentes, quam ipsi filii: nam vt filiorum gloria ad parentes pertinet, sic etiam dedecus & turpitudo. *S. Greg. Nyss. in eos, qui alios durius iudicant, ad fin.*

Nihil exigendum pro collatione Sacramentorum.

39 SPONTANEA & sincera voluntate porrige Sacramenta, nihil petendo, nihil expectando, nihil de promisso desiderando: sed, si tibi datur, iuste recipis, iuste possidere potes. *S. Augu. ep. 37. ad fratres Eremi. S. Isidorus, & Concil Mogunt. 1. dist. 23. cap. his igitur. vbi Sacramenta Ecclesiastica dicuntur beneficia medicinæ Dei.*

De eodem.

40 QVI celebrat, vel prædicat, vel baptizat vt inde lucrum acquirat, bonis cœlestibus de facto se priuat. *Idem S. Augustin. ibidem de quo vide inf. p. 2. c. 6. §. fin. de decimis. & p. 3. c. 8. ne sit turpis lucri cupidus, maxime cap. discutiamus. n. 29. & quæ ibi.*

Qua-

Qualiter administrari debeat Sacramentum Pœnitentiæ.

Vide apud S. Bonau. tom. 2. opusculum, quod Confessionale dicitur, & alia vide inf. p. 3. c. 16. Ne Sacramenta, &c. 41

Habeat Sacerdos vas dignum Sacramẽto Eucharistiæ conseruando, semperque sub sera sit super altari, & septimo quoque die nouiter consecretur.

OMNIS Presbyter habeat pyxidem, aut vas tanto Sacramento dignum, vbi corpus Domini cum diligentia recondatur ad viaticum recedentibus de sæculo, &c. semperque sit super altare obserata propter mures, & nefarios homines. De septimo in septimum mutetur semper, id est, à Presbytero illa sumatur, & alia, quæ eodem die consecrata est, in loco eius subrogetur; ne forte diutius obseruata macida (quod absit) fiat. *Concil. Turon. 1. vt per Iuon. p. 2. c. 19. Turon. 2. c. 2.* 42

De eodem.

NE propter incuriam Sacerdotum diuina indignatio grauius exardescat, districte præcipiendo mandamus, quatenus à Sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo, & signato semper honorifice collocata deuote, ac fideliter conseruetur. *Honorius 3. de celebr. miss. c. sane.* 43

Sacrum chrisma, & oleum consecratum semper sit sub sera.

Obseruandum, ut sacrum chrisma & oleum

consecratum semper sub sera sit; ne illud, vnde Christo incorporamur, & unde omnes fideles sanctificantur, vnde Reges, & Secerdotes inunguntur aliquis infidelis, aut immundus tangat; aut aliquis perfidus ad Dei iudicium subuertendum subripiat. *Sacerdotale Rom. ex concil. Turon. c. 3. Innoc. 3 de custod. Eucharistiæ c. 1.*

Presbyteri celebrent saltem Dominicis & festis, & Curati pluries si necesse fuerit.

45 CVRET Episcopus, vt Presbyteri saltem diebus Dominicis & festis solemnibus (si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt muneri suo satisfaciant) Missas celebrent. *Concil. Trident. Sess. 23. c. 14.*

Sacerdos sine impedimento non sacrificans quot bonis Ecclesiam, se, & alios priuet.

46 *Vide sup. c. 3. §. 1. de sacrificii oblatione, cap. cum Sacerdos est absque mortali peccato, num. 32.*

CAP.

CAPVT VI.

DE HORIS CANONICIS, ET CANTV ECCLESIASTICO:

DE DOMINICÆ DIEI ET ALIORVM FESTORVM, ET FERIARVM OBSERVATIONE, ET ORIGINE.

De Horis Canonicis, & Cantu Ecclesiastico, §. 1.

SVMMARIVM.

SEPTEM *horæ Canonicæ tam diurnæ, quam nocturnæ.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. 12. 16.
Earum vsus, & significatio. 18.
Preces à Domino sumpserunt originem. 14.
Antiquus orandi mos Christianorum. 15.
Horarum interualla, & varietas vtilis, & necessaria. 7.
Quali habitu in chorum intrandum. 19.
Et ibi qualiter officium recitandum. 20. 21.
Processionum origo. 23.

Melius in Ecclesia cum fratribus oratur, quam priuati domi. 24.
De horis priuate dicendis. 25.26.27.28.
Ne dicantur de ambulando. 26.
Ne simul omnes. 39.
Ne tantum ore, sed corde. 29.30.31.32.33.
Sacerdotes semper & sine intermissione orare debent & qualiter id intelligendum; & plorare, & pro populo contra dæmones intercedere tenentur, 10.34
Et esse Deo grati. 36.38.39. (36.37.
Cantus Ecclesiastici, & varia instrumenta musica. 7. 8.11.13.
Eius origo. 40.
Effectus, & laus. 42.43.
Et antiquitas. 44.
Et auctores. 45.
Alterna Psalmorum decantatio vnde. 40.
Synaxis quid. 16.

1 VESPERE, & mane, & merridie narrabo, & annuntiabo: & exaudiet vocem meam. *Psa.* 54.
2 In matutinis meditabor in te. *Psal.* 62.
3 Mane oratio præueniet te. *Psal.* 87.
4 Media nocte surgebam ad confitendum tibi. *Psal.* 118.
5 Septies in die laudem dixi tibi. *Ibidem.*
6 Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. *Psal.* 140.
7 Cantate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra. *Psal.* 149.

Lauda-

Laudate dominum in ſono tubæ, laudate eum in 8
pſalterio,& cithara,&c. *Pſal.* 150.

Feneſtris apertis in cenaculo ſuo Daniel contra Ie- 9
ruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua,& adorabat,confitebaturq; coram Deo ſuo,ſicut & ante facere conſueuerat. *Dan.6.Sacramento ſcilicet Trinitatis,quæ in nouiſſimis temporibus manifeſtari habebat. S. Cypr. de oratione* Dominica,*ad finem.*

Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes:& 10
dicent,&c.*Ioel.*2.

Et hymno dicto, exierunt in Montem oliueti. 11
*Matth.*26.

De Hora diei tertia *Act.*2. de nona *Act.*3. 12

Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in 13
omni ſapientia docentes,& commonentes voſmetipſos,pſalmis,hymnis,& canticis ſpiritualibus,in gratia cãtantes in cordibus veſtris Deo. *Coloſſ.*3.

Preces Eccleſiaſticæ vnde ſumpſerint originem.

Precibvs Deum deprecari Chriſtus nobis & 14
cõpoſuit,& conſtituit. Cum ergo quærerent Apoſtoli Domino ſupplicare, & neſcirent quomodo deprecarentur,dixerunt Chriſto; Domine doce nos orare,id eſt,compone nobis preces. Statim Dominus de libro iuris cæleſtis docuit,quomodo orarent,& quomodo à Domino impetrarent. Ex hoc perducta eſt cõſuetudo Eccleſię Dominũ precibus expoſcere contra ægritudines animæ, & vti *Luc.* 11.

preci-

precibus instar earum, quas constituit Christus, quasque primum Græci cœperunt componere, quibus Domino supplicaretur. *S. Isid. de off. l. 1. c. 9.*

Antiquus orandi mos Christianorum.

15 QVOTIDIE bis precari solent Christiani, mane, & sub vesperam, oriente Sole, petentes diem vere felicem, vtq; mentes eorum cœlesti repleantur lumine; occidente vero, vt anima exonerata sensibus in totum, moleque rerum sensibilium veritatem vestiget in consistorio domestico. *Philo Iud. l. de vita contemplatiua. Tertul. in Apologt. & c. 2. ex Plinio. l. 10. epist. 79.*

De Horis diurnis.

16 ORIENS Sol videat librum in manibus tuis: post tertiam *a* synaxes conficies: sexta hora absolues deprecationes tuas, cum Psalmis, ploratu, & supplicationibus: nona hora sursum in hymnis, & glorificationibus eris. *S. Athanasius de virginitate.*

a Synaxes] *erat conuentus celebris, vel congregatio, in qua Sacerdotes, vel monachi ad orandum, vel ad sacrosancta mysteria celebranda, vel ad audiendam sacram aliquam exhortationem conueniebant. Ea vox à Latinis varie vsurpatur, Collecta, Conuentus, Congregatio, Conuenticulum, Celebritas, Solemnitas; vt videas passim apud Cassianum, maxime l. 2. c. 10. Sunt etiam Synaxes communiones fieri ordinatæ ab Apostolis quarta, & prosabbato, & Dominica teste S. Epiphanio l. 3. contra hæreses tom. 2. hæresi 80. ad fin.*

Hora-

Horarum interualla, & varietas necessaria.

VTILIS, meo quidem iudicio, hæc in orationibus, & Psalmorum decantationibus, quæ certis temporibus fiunt, diuersitas est, atque varietas, ob eam causam, quod in perpetua similitudine, & æqualitate rerum, animo nescio quomodo torpedo quædam oboritur, atq; tædium, eaque re aliud agens ad futiles, & vagas cogitationes aberrat. In vicissitudine autem atque varietate, cum psalmodiæ, tum singularum horarum orationis, & studium ipsum renouatur, & attentio instauratur. *S. Basilius in regul. fusioribus, interrogat. 37.* 17

De sacrarum Horarum vsu, & significatione.

PRECES vestras facite diluculo, tertia hora, sexta, nona, vespere, & in galli cantu. Diluculo, gratias agentes, quoniam illuminauit nos Dominus expulsa nocte, & inducto die: tertia quoniam illa hora Dominus sententiam Pilati accepit: sexta, quoniam tunc crucifixus est: nona, quoniam omnia commota sunt crucifixo Domino perhorrentia impiorum audaciam, & non ferentia ignominiam Domini: vespere, gratias agentes, quod dedit nobis noctem diurnorum laborum requietem: in galli cantu, quoniam illo tempore nuntiatur aduentus diei ad exercenda opera lucis. *S. Clemens de Constit. Apostol. l. 8. c. 34. Vide S. Basilium in reg. fusior. interrog. 36. & serm. 1. de instit. monachorum* 18

rum. S. Athanas. l. de virginitate, vel de meditatione. & *Hieron. ep. 7. 8. 22. 27. 48. & in c. 6. Daniel. S. Chrysost.* *hom. 59. ad populum Antioch. Cassian. l. 2. c. 2. lib. 3. c. 3.* *S. Antonin. p. 3. tt. 13. cap. 4. Concil. Aquisgran. sub Ludouico Pio, cap. 126. cum. seqq. Plin. lib. 10. ep. 79. ad* *Traianum.*

Quali habitu in Chorum intrandum.

19 HORAS canonicas dicturi, cum tunica talari, ac superpelliceis mundis, vltra medias tibias longis, iuxta temporum ac regionum diuersitatem, Ecclesias ingrediantur. *Concil. Basil. Sess. 21.*

Horæ canonicæ, & Officium diuinũ qualiter in choro recitandum, & quibus de causis institutum.

20 CLERICOS, quibus diuini Officij celebrandi cura incumbit, sedulo commonendos, & per Prælatos digna mandamus animaduersione compellendos, vt non vocis tantum modulatione, sed deuotione cordis debitũ suæ seruitutis pensum absoluant, & ad diuina officia peragenda corpore pariter, & mẽte se cõponant; quo simul & Deo gratum cultum exhibere, & populo consideranti deuotionem augere valeant. Nemo in Choro aliis psallentibus seorsum legere aliquid, aut suas horas canonicas orare, aut fabulari, aut aliis leuitatibus intendere permittatur: negligentes vero legere horas canonicas si deprehensi fuerint, per Prælatos subtractione portionis fructuum, in eleemo-

synas

synas pauperum, aut alios pios vsus conuertendæ, puniantur. *Concil. Mogunt. c. 53. Et quibus de causis officium diuinum fuerit institutum, vide apud S. Bonu. de sex alis Seraphim. c. 8.*

De eodem; ac de pausa in medio versiculi Psalmorum.

STATVIT sancta Synodus, vt in cunctis cathe- 21
dralibus & collegiatis Ecclesiis, horis debitis, signis congrua pulsatione præmissis, laudes diuinæ per singulas horas non cursim, aut festinanter, sed tractim, & cum pausa decenti, præsertim in medio versiculi Psalmorum, debitam faciendo inter solemne, ac feriale officium differentiam, reuerenter ab omnibus persoluantur, &c. *Concil. Hildesem. c. 36. Concil. Basil. Sess. 21. c. 3.*

De origine processionum per Ecclesias vel extra.

PROCESSIONES in Dominico die primus insti- 22
tuit S. Agapitus Papa. *vt refert Martinus Polonus in Supputationibus anni 537. sed multo ante tempora S. Agapiti constat fideles consueuisse procedentes publico conuentu fundere ad Deum preces, vt constat ex Tertulliano, ad vxorem l. 2. c. 4. ex S. Hieron. ep. 7. 12. 22. S. Basilio ep. 63. Concil. Laodic. c. 17. Vide etiam Rupertum l. 7. de diuinis off. c. 21.*

De origine Litaniarum, seu Rogationum.

ROGATIONES, seu Litanias ante Ascensionem 23
Domi-

Domini placuit celebrari; ita, vt præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ Ascensionis solemnitate soluatur. Per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur: quo triduo omnes abstineant, & Quadragesimalibus cibis vtantur. Concil. Aurelian. de cons. dist. 3. c. eod. Mogunt. c. 32. 33.

Vetustissimam Ecclesiæ consuetudinem esse, Litanias peragere, certissimum est; vt patet ex S. Basilio ep. 63. ad Neocæsarienses, & ex S. Augustini serm. 173. de tempore in vigil. Ascensionis. sed, a quo primum fuerint institutæ, non satis liquet. Licet enim vulgo credatur, S. Gregor. illarum fuisse auctorem, id tamen verum non est. neque enim ipse primus illas inuenit, sed ad S. Petri Basilicam eas, quas Maiores vocamus, indixit festo die S. Marci Euangelistæ: vt videre est in Constitutione eius, data 4. Kal. Septembris l. 11. c. 2. Quem etiam, vrgente aliqua necessitate, non tantum Romæ, sed aliis etiam in locis, non tantum semel in anno, sed quater & quinquies illas celebrari præcepisse, constat ex epist. 76. l. 7. indictione 2. ad Castorium, ex epist. 45. l. 9. & alibi sæpe. Litanias vero, quas Minores vocamus, triduo ante diem Ascensionis instituit primus S. Mamertus Episcopus Viennensis, vt refert Burchardus l. 13. c. 7. Quarum videlicet Minorum institutio antiquior est, vtpote quæ tempore S. Simplicij Papæ, & Zenonis Imperatoris fuerint inuentæ, centum circiter & viginti annos ante tempora S. Gregorij Magni, & Mauritij Imperatoris, vbi Maiores institutæ fuerunt.

Meli-

Melius oratur in Ecclesia cum fratribus quam domi priuate.

DOMI quidem orari potest,&c. *Vt supra, c. 4. de templis.§.1.num.17.* 24

De septem Horis canonicis priuate dicendis.

PRESBYTER, mane matutinali officio expleto, 25
pensum seruitutis suæ, videlicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamq; persoluat; ita tamen, vt horis cõpetentibus iuxta possibilitatem, aut à se, aut à scholaribus, publice compleãtur,&c. Propheta dicente: Septies in die laudem dixi tibi. *Psa.118.* Quia septenarius numerus à nobis impletur, si Matutinali, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, & Completorij tempore nostræ seruitutis officia persoluamus. Nam de nocturnis vigiliis idem Propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergo his temporibus laudes Creatori nostro super iudicia suæ iustitiæ referamus. *Concil. Agath. al. Nannet. c. 60. secundum Burchard. l. 2. c. 104. de celebr. Miss. cap. 1. dist. 91. c. eod. Tertull. l. 2. ad vxorem. S. Iustinus martyr apol. 2. pro Christianis. Clemens. Alex. l. Stromatum contra Hæreticorum væsaniam. Concil. Laodic. c. 18. Hildesem. c. 38.*

Ne dicantur Horæ deambulando.

NEQVA occasione in diuersa rapti desint offi- 26
cio suo clerici, districtius prohibemus, ne deambulando horas dicant, sed in locum aliquem orationi aptum tantisper concedant; vt mentis euagatio,

gatio, quæ ex tumultuaria deambulatione nasci solet, fructum orationis intercipiat. *Concil. Treuer. c. de horis canonicis.*

Horæ canonicæ qualiter dicendæ.

27 ADMONET sancta Synodus Sacerdotes, si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, vt non in gutture, vel inter dentes, seu deglutiendo, aut Syncopando dictiones, nec colloquia, vel risus intermiscendo, siue soli, siue associati, diuinum, nocturnumque officium reuerenter, verbisq; distinctis peragant; ac tali in loco, vnde à deuotione non retrahantur, ad quam se disponere, ac præparare debent, iuxta id, quod scriptum est: Ante orationem præpara animam tuam, ne sis quasi qui tentat Deum. *Concil. Hildesem. c. 38. Aquisgr. c. 131. 132. Innoc. 3. in Conc. gen. de celebr. Miss. c. dolentes.*

Eccl. 18.

De eodem.

28 MONEO vos, dilectissimi, pure, ac strenue diuinis interesse laudibus. Strenue quidem, vt sicut reuerenter, ita & alacriter Domino assistatis non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, aut remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes; sed virili, vt dignum est, sonitu, & affectu voces Sancti Spiritus depromentes. *S. Bonau. l. 4. Pharetræ c. 21. ex S. Bernardo.*

Non

Non verbis tantum, sed corde orandum.

NON mediocriter errant, qui bono magno 29
præferunt mediocre bonum. nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui vel ieiunium caritati, aut vigilias præfert sensus integritati, vt propter abstinentiam immoderatam, atque indiscretam Psalmorum, vel officiorum decantationem, aut amentiæ, aut tristitiæ notam incurrat? Numquid multitudine verborum flecti Deus, vt homo, potest? Non enim verbis tantum, sed corde orandus est Deus. Melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, & spirituali hilaritate, quam totius Psalterij modulatio cum anxietate cordis, & tristitia, &c. *S. Hieron. de cons. dist. 5. c. eod.*

De eodem.

ORANDI pertinacia ita demum meretur esse 30
fructifera, si, quod ore precamur, hoc etiam mẽte meditemur; neque alio clamor labiorum, quam cogitationum scindatur intuitus. &c. Ore quidem orantes, sed mente foris vagantes, omni se orationis fructu priuant, putantes à Deo precem exaudiri, quam nec ipsi, qui fundunt, audiunt. *Ven Beda super Matth. c. 15. S. Basilius hom. in Martyrem Iulittam, quæ est. 5. inter varias.*

De eodem.

IMMOLANTES hostiã laudis, iungamus sensum 31

verbis, affectum sensui, exultationem effectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatem humilitati; quo liberis purgatæ mentis passibus procedamus, & excedamus per inusitatas quasdam affectiones spirituales lætitiam in iubileis amœnitatibus, in lumine Dei, in suauitate, in Spiritu sancto. *S. Bern. sup. Cant. serm.* 1.

De eodem.

32 NIHIL aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis. Nec solas dico vitandas cogitationes vanas, & otiosas: vitendæ sunt & illæ dumtaxat illa hora, & illo loco, quas officiales fratres pro communi necessitate, quasi necessario, frequenter admittere compelluntur. *S. Bonau. in Pharetra l. 4. c. 31. ex eodem S. Bern. sup. Cant.*

De eodem.

33 QVANDO stamus ad orationem, fratres dilectissimi, inuigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio carnalis hominis, & sæcularis abscedat; nec quicquam tunc animus aliud, quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem præfatione prę̨missa parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda; & dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, se nihil aliud, quam Dominum, cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis venire patiatur. *S. Cypr. serm. 6. de orat. Dominic. de cons. dist. 1. c. eod. Vide inf. p. 2. c. 8. §. 5. silentio cap. Fidelium, n. 18. & cap. clamor. n. 19.*

Sem-

Semper & sine intermissione orat, qui orandi tempora non intermittit, & Canonicas horas obseruat.

DICEBAT Iesus, quoniam oportet semper ora- 34
re, & non deficere; & Apostolus; Sine intermis- *Luc. 18.*
sione orate. Quis autẽ potest ita semper orare, & *1. Th. 5.*
sine intermissione precibus insistere, vt nec alimẽta sumendi, aut dormiendi tempus habeat? Aut ergo dicendum est, eum semper orare, & non deficere, qui Canonicis horis quotidie iuxta ritum Ecclesiasticæ traditionis psalmodiis, precibusque consuetis Dominum laudare, & rogare non desistit; & hoc esse, quod Psalmista dicebat: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Aut certe omnia, quæ iustus secundum Deum gerit, & dicit, orationem esse reputanda, &c. *Ven. Beda, in c. 18. Lucæ. Ita S. Augustin. l. 6. de Hæresibus, hæresi 57. S. Anselmus in c. 5. epist. 1. ad Thessalon. S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 14. ad 4. Vide inf. c. 7. §. 1. de orationis puritate. c. siue comeditis. n. 35. cum seqq.* *Psal. 33.*

De punitione cuiusdam Episcopi Colonienſis, quod omnes horas simul recitaret.

CLERICVS Colonienſis Ecclesiæ vadum flumi- 35
nis transibat, & ecce beatus Seuerinus, eiusdem Ecclesiæ nuper Episcopus, equi eius habenas apprehendit, cumq; ille in stuporem versus, & graviter admiratus, cur illic tam clarus & tam celebris

famæ vir moraretur, inquireret: Da mihi, ait, manum tuam, & quæ circa me sunt non auditu, sed tactu disce. Cumq; datam manum fluctibus impressisset, tantus eam ardor absorbuit, vt vndique carnes eius dissolutæ diffluerent, & ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem clericus, cum nomẽ, inquit, tuum in tanta benedictione sit apud nos, & fama tua consonis totius Ecclesiæ præconiis celebretur, cur te pestilens hæc virago distringit, tantoq; incẽdio cruciaris? Ad quem Sanctus Episcopus, Nil aliud, ait, in me mansit vltione plectendũ, præter hoc tantum, quia, dum in aula Regia cõstitutus, Imperialibus me cõsiliis vehementer implicui, canonicæ Synaxis officia per distincta horarũ spatia non persolui. Mane quippe simul omnia caoceruans tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabam: ob hanc itaq; negligentiam horarũ ardoris huius fero supplicium, &c. *Cardinalis Petrus Damianus ep. 13. ad Desiderium Abbatem, de quibusdam miraculis.*

Sacerdos orare tenetur pro populo, & pro superandis hostibus inuisibilibus.

36 IPSI Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedũt, quia suis precibus ea delent, atq; consumũt: qui quanto digniores fuerint, tanto facilius in necessitatibus, pro quibus clamãt, exaudiuntur. *Alex. 1. q. 1. c. eod. & c. sacrosancta.* Oret Sacerdos Ecclesiæ indesinenter, vt vincat populus, qui sub ipso est hostes inuisibiles Amalechitas, qui

qui sunt dæmones, impugnantes eos, qui pie volunt viuere in Christo. *S.Hieron.dist.36.c.siquis. Vide inf.p.2.c.1.§.1.de sanctitate. cap.Sacerdotibus,n.10.*

Sacerdotes præsunt orationibus Ecclesiæ, vt populi preces cum suis in cælum euehant.

PRÆSVNT Sacerdotes orationibus nostris ob eam rem, vt populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ, simul in cælum euehantur. *S.Chrysost. de incomprehensibili Dei natura, & ad populum Antioch.hom.79.de oratione.* 37.

Gratus debet esse Deo Sacerdos, qui orat pro populo, & qui solitus sit impetrare quod postulat.

SOLLICITE formidandum est, ne, qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim liquido nouimus, quia, cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur, &c. *S. Gregor. in Pastor. p.1.c.11. dist. 491.c.1.3.q.7.c. in grauibus.* Et sit talis, qui orationis vsu & experimento iam didicit, quod obtinere à Domino quæ poposcerit possit. *Idem S.Gregor.ibid.c.10.* 38

Emendatiorem esse conuenit populo, quem necesse est orare pro populo.

Hormisda Papa dist.61.c. non negamus. Vide inf.p.2.c.1.§.1.de sanctitate cap.cum qui,n.13. 39

De origine Cantus Ecclesiastici, & quare introductus.

40 PSALLERE vsum esse primum post Moysen Dauid Prophetam in magno mysterio, prodit Ecclesia: hic enim à pueritia in hoc munus à Deo specialiter electus, & cantorum princeps, Psalmorumq; thesaurus esse promeruit. Cuius Psalterium idcirco cum melodia cantilenarũ suauium ab Ecclesia frequẽtatur, quo facilius animi ad compunctionem flectantur. *b* Primitiua autem Ecclesia ita psallebat, vt modico flexu vocis faceret psallentem resonari ita, vt pronuntianti vicinior esset, quam psallenti. Propter carnales autem in Ecclesia, non propter spirituales, cõsuetudo est instituta canendi; vt qui à verbis non compunguntur, suauitate modulaminis moueantur, &c. *S. Isid. l. 1. de off. c. 5.*

b Primitiua] *Hoc, quod Isidorus dicit de primitiua Ecclesia, S. August. l. 10. Confessionum c. 33. dat Sancto Athanasio.*

A quibus sumpsit initiũ alterna Psalmorum decantatio.

41 MIRABILIS illa societas, id est, Flauianus & Diodorus Sacerdotali ministerio nondum potiti populis tamen admodum placentes, noctibus, ac diebus cunctos ad pietatis zelum armabant: isti namq; primi in duas partes choros psallẽtium diuidentes, ex successione Dauidicam melodiam cantare docuerunt. Et hoc in Antiochia primitus fieri

fieri cœpit, & disperſum ad terminos totius orbis vſque peruenit. *Theodoretus l.5. Tripart. c.12. Idem fere inuenies apud S. Baſilium epiſt. 63.*

De effectu, & laude Cantus.

ALIQVANDO amplius mihi videor honoris eis 42
tribuere, quam decet, dum ipſis ſanctis dictis religioſius & ardentius ſentio moueri animos noſtros in flammam pietatis cum ita cantantur, & omnes affectus ſpiritus noſtri pro ſuaui diuerſitate habere proprios modos in voce, atque cantu, quorum neſcio qua occulta familiaritate excitantur, &c. Et magis adducor, cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſia, vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat. *S. Auguſt. l.10. Confeſſ. c.33. & ep.119. de ritibus Eccleſiæ, c.18.*

De eodem.

QVANTVM fleui in hymnis & canticis tuis, ſua- 43
uis ſonitus Eccleſiæ tuæ vocibus acriter commotus? Nam voces illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. *Idem S. Auguſt. l. 9. Confeſs. c.6.*

De antiquitate Cantus Chriſtianorum.

SOLITI ſunt Chriſtiani ſtatuto die ante lucem 44
conuenire, carmenque Chriſto dicere ſecum in-

uicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere; sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, &c. *Plinius iunior. lib. 10. epistolarum ad Traianum ep. 79. Vide S. Dionys. de Eccles. hierarch. c. 2. Tertull. in Apologetico cap. 30. S. Basilium ad clericos Neocæsarienses. S. Gregor. Nazian. in oratione Synodali. Ven. Bedam hom. infra octauas Epiphaniæ. S. Isidorum Etymolog. 34. Cassianum l. 2. c. 10. 12. Philonem Iudæum de Vita theorica supplicum. Euseb. l. 2. Eccles. hist. c. 17. S. Thom. 2. 2. q. 91. art. 2.*

De auctoribus Cantus Ecclesiastici.

45 CANTVS Ecclesiastici fuerunt auctores varii: præcipuus fuit Sanctus Gregorius, *vt refert VVala-frid. Strabo de rebus Ecclesiast. c. 22. Et Berno Augiensis Abbas de quibusdam rebus ad Missæ officium pertinentibus cap. 1.* Hunc cantū postea ad meliorem concentum reduxit S. Leo Papa secundus, Musicis valde eruditis. Antiphonas primi Græci composuerunt, *Auctore S. Isidoro de off. lib. 1. cap. 7.* Hos imitatus S. Ambrosius, Latinos excogitauit hymnos, *vt refert Euseb. hist. Eccles. lib. 1. cap. 18. Tripart. lib. 5. cap. 32.* Quibus S. Hilarius plures addidit, Prudentius etiã, & Sedulius. Responsoria ab Italis reperta sunt, sic dicta, quod, vno canente, chorus consonando respondebat. *S. Isidorus vbi sup. cap. 8. Cassianus l. 2. c. 20.* Organi consonantiam in Ecclesia ordinauit, & Ecclesiasticam regulam composuit Vitalianus Papa, maximus diuini cultus obseruator.

tor, Cuius instrumenti melodia qualiter sit temperanda, *extat Decretum Concilij Colonienſis, de officio & vita Clericorum, cap.* 15. Vbi Organorum, inquit, melodia in templis sic adhibebitur, ne lasciuiam magis, quã deuotionem, excitet; neue, præter hymnos diuinos, cantica spiritualia, quidquam resonet, ac repręsentet.

De Dominicæ diei, & aliorum festorum, & feriarum obseruatione, & origine

§. II.

SVMMARIVM.

DIEBVS *festis nihil operis faciendum, sed feriandum, & iubilandum. & quare* 1. 2. 3.
Quibus studiis vacandum in eis. 9.
A quibus abstinendum 10.
Christianorum festa ab ipsis Apostolis, vel à plenariis Conciliis instituta 4. *Et quare* 5. 6.
De Dominicæ diei, *& aliarum festiuitatum obseruantia* 7.
Apostolorum, & Martyrum festiuitates celebrandæ, & quare, & qualiter. 8.
Feriarum cultus, & origo. 11.

MEMENTO, ut diem Sabbati sanctifices. Sex 1
diebus operaberis, & facies omnia opera tua: Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui

tui est. Non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intra portas tuas. *Exodi* 20.31, *Leuit.* 23. *Deut.* 5.

2 Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere, & nolite flere, &c. 2. *Esd.* 8.

3 Vacate, & videte quoniã ego sum Deus. *Psal.* 45

Festa Christianorum ab Apostolis instituta vel à plenariis Conciliis.

4 ILLA, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenariis Conciliis (quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas) commendata, atque statuta retineri: sicuti quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus sancti anniuersaria solemnitate celebrantur. Et, si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa, quacumque se diffundit Ecclesia. *S. Augustinus ep.* 118. *dist.* 12. *c. eod. Quod etiam colligitur ex S. Ignatio ep. ad Philippenses, ibi, Dies festos nolite inhonorare.*

Dies festi cur instituti.

5 DEO dona eius in nobis, nosque ipsos vouemus, & reddimus: ei beneficiorum eius solemnitatibus festis, & diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam; ne volumine temporum ingrata subre-

subrepat obliuio: ei sacrificamus hostiam humilitatis, & laudis in ara cordis, igne feruidæ caritatis. *Idem. S. Aug. de Ciu Dei. l. 10. cap. 4.*

De eodem.

OMNES festiuitates pro varietate regionum, 6
diuersaque in honorem Martyrum tempora ideo à viris prudentibus instituta sunt, ne forte rara congregatio populi fidem minueret in Christo. Propterea ergo dies aliqui constituti sunt, vt in vnum omnes pariter conuenirent, vt è conspectu mutuo & fides crescat, & lætitia maior oriatur. S. *Isidorus de Eccles. off. l. 1. c. 35. S. Hieron. in c. 4. ep. ad Galatas. Rabanus de instit. clericorum l. 2. c. 45.*

Dominicis diebus feriandum, & quare.

DOMINICO die à labore terreno cessandum est, 7
atque omni modo orationibus insistendum, vt, si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem septimum, qui est resurrectionis Dominicæ, precibus expietur. S. *Greg. l. 11. ep. 3. ad ciues Romanos. Concil. Moguntinum sub Carolo can. 36. 37. S. Bonau. in Pharet. l. 2. c. 45. S. Clemens de constitut. Apost. l. 5. cap. 19. l. 7. c. 31. 37.* De obseruantia huius diei Dominicæ, & aliarum festiuitatum per annum, *vide Concil. Matiscon. 1. c. 1. & 2. c. 1. 4. Agath. can. 21. 47. Cabilon. c. 18. Trib. c. 35. Brachar. 1. c. 4. S. Fabian. Papam ep. fin. Burchardum l. 2. c. 81. cum seq. Photium in Nomocanone tt. 7. c. 4. Gregorium 9. de feriis, c. conquestus, de consecrat. dist. 3. c. 1. S. Leonem ep. 79. dist. 75. c. quod die.*

Apo-

Apostolorum, & Martyrum festiuitates celebrandæ, & quare, & qualiter.

8 FESTIVITATES Apostolorum, seu in honorem Martyrum solemnitates antiqui Patres in venerationis mysterio celebrari sanxerunt, vel ad excitandam imitationem, vel vt meritis eorum consociemur, atque orationibus adiuuemur; ita tamen, vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum offeramus, quamuis in memorijs Martyrum cõstituamus altaria, &c. *S. Isid. de Eccles. off. l. 1. c. 34. S. Augustl. 2. contra Manichæum c. 21. l. 8. de Ciu. Dei c. 27. Rabanus de instit cler. c. 43. Felix Papa ep. 2. ad Episcopos Galliæ.*

Quibus studijs vacandum diebus festis.

9 OBSERVEMVS diem Dominicam, fratres, & sanctificemus illam, sicut antiquis præceptum est de sabbato, dicente Legislatore: A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra. Videamus, ne otium nostrum vanum sit; sed à vespera diei Sabbati vsque ad vesperam Diei Dominicæ, sequestrati à rurali opere, & ab omni negotio soli diuino cultui vacemus. Sic quoque sanctificamus rite Sabbatum Domini, dicente Domino: Omne opus non facietis in eo. Veniat ergo cuicumque possibile sit ad vespertinam, atq; nocturnam celebrationem, & oret ibi in conuentu Ecclesiæ pro peccatis suis Deum. Qui vero hoc non possit, saltem in domo sua oret, & non negligat Deo soluere votũ, ac reddere pensum seruitutis. In die vero

Exo, 20. Leu, 25.

nullus

nullus se à sacra Missarum celebratione separet, neq; otiosus quis domi remaneat ceteris ad Ecclesiam pergentibus, neque in venatione se occupet, & diabolico mancipetur officio, circumuagando campos & siluas clamorem & cachinnum ore exaltans, non gemitum, nec orationis verba ex intimo pectore ad Deum proferens. *S. Augusti. serm. 251. de temp. S. Bonau. in speulo disciplinæ. c. 6.*

A quibus rebus abstinendum diebus festis.

STATVIMVS, secundum quod in lege Dominus 10
mandauit, vt opera seruilia diebus Dominicis nō agantur, vt nec viri ruralia exerceant, nec in vinea colenda, nec in campis arando, vel metendo, vel fenum secando, vel sepem ponendo, vel in siluis stirpardo, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec ad placita conueniant, nec mercatus fiat, nec venationes exerceantur. *Concil. apud S. Medardum. c. 5. secundum Iuon. p. 4. c. 17. & Burchard. l. 2. c. 82. licet ibi non reperiatur. Vide Concil. Paris. lib. 1. cap. 50.*

De feriarum cultu, & origine.

FERIAS habere Clerũ primus Papa Siluester do- 11
cuit, cui Deo soli vacãti numquam militi, vel negotiationem liceat exercere mundanam, dicente Psalmographo: Vacate, & videte quoniã ego sum Deus. item q; Apostolo; Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus. Et primum quidem diem, qua & lux in principio facta est, & Christi est resur-

Psa. 45.
2. Ti. 2.

resurrectio celebrata, Dominicum nuncupauit. Quod illi nomen iam primis Ecclesiæ temporibus fuisse inditum, testatur S. Ioannes, qui dicit in Apocalypsi: Fui in Spiritu in die Dominico. Deinde secundam feriam, tertiam feriam, quartam, quintam, & sextam de suo adnectens, Sabbatum ex vetere scriptura retinuit. *Ven. Beda de temporum ratione c. 6. de temporibus c. 4. de ratione computi c. 5. Rabanus de instit. cler. l. 2. c. 46.*

Apo. 14.

Aduerte, quod hæc nomenclatura Feriarum non recens à S. Siluestro primum excogitata est: nam ab antiquioribus Ecclesiasticis scriptoribus reperitur vsurpata. Nam Tertullianus contra Psychicos c. 8. frequenter meminit de quarta, & sexta feria, & c. 14. & contra Iudæos c. 4. & S. Hieronymus ad Algasiam ep. 141. explicans illud Apostoli; Nemo vos iudicet in parte diei festi. Vt alios, inquit, dies festos putent, alios non festos: nobis enim, qui in Christum credimus resurgentem, iugis, & æterna festiuitas est.

CAPVT VII.

DE ORATIONIS PVRITATE ET VIRTVTE: DE LACRYMIS SACERDOTVM: DE GENVFLEXIONIBVS, MANVVM ELEVATIONIBVS, ET PECTORIS TVNSIONIBVS, IN ORATIONE.

De Orationis puritate, & virtute, §. 1.

SVMMARIVM.

ORATIO *iusti multum valet apud Deum.* 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 15. 19.
Ea qualis esse debeat. 30. 31. 32. 33. 34. 38.
Eius commendatio, epitheta, & affectus. 39. 40.
Sacerdos tenetur orare, pro populo intercedere, & in lege Domini meditari. §. 12. 16. 17. 18. 19. 29.
Et semper orare. 35. 36. 38.
Maxime quibusdam temporibus. 37.

Qualiter ad orationem accedendum, in eaque manendum. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

A gratiarum actione oratio incipienda. 26.

Ante petitionem lacrymandum. 27.

In oratione seruanda animi tranquillitas. 28.

In ea maxima adhibenda diligentia, quia Dæmones nimium orantibus insidiantur. 28. 29. 30.

Orationis Dominicæ commendatio. 41, 42.

1 REDDE viro suo vxorem, quia Propheta est: & orabit pro te, (Abraham) & viues. *Gen.* 20.

2 Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalech, *Exod.* 17.

3 Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me, vt iracatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam. *Exod* 32. *Ostendit hic Dominus se precibus Sanctorum posse retineri. S. Hyeron. sub. Ezechielem. c.* 27.

4 Et rogante pro eis Sacerdote, propitius erit eius Dominus, &c. Rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato eius, & remittetur ei. *Leu.* 4.

5 Absit à me hoc peccatum (intellige Samuelem Sacerdotē) in Dominum, vt cessem orare pro vobis. 1. *Reg.* 12.

6 Et dixit vt disperderet eos: si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius, &c. *Psal.* 105.

7 Properans homo sine querela deprecari pro populis proferens seruitutis suæ scutum orationē, &

& per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus. *Sap.* 18. *num.* 16. *Dei potentiam iusti Sacerdotis preces impediunt. S. Hieron. ad Gaudentium. ep.* 12.

Surrexit Elias Propheta, quasi ignis, & verbũ ipsius quasi facula ardebat, &c. verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cælo ignem terræ. sic amplificatus est Elias in mirabil. suis. *Eccles.* 48. 8

Non est qui inuocet nomen tuum; qui consurgat, & teneat te: abscondisti faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostrę. *Isai.* 64 9

Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi. *Ierem.* 7. 10

Et si Prophetę sunt, & est verbum Domini in eis: occurrant Domino exercituum, vt non veniant vasa, &c. *Ierem.* 27. 11

Consurge, lauda in nocte in principio vigilarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectũ Domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum. *Tren.* 2. 12

Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murũ pro domo Israël, vt staretis in prœlio in die Domini. *Ezech.* 13. 13

Et quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret opposito contra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inueni. Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos *Ezech.* 22. 14

15 Cumque summus Sacerdos exoraret, ijdem iuue-
nes eisdem vestibus amicti, astantes Heliodo-
ro, dixerunt: Oniæ Sacerdoti gratias age: nam
propter eum Dominus tibi vitam donauit, 2.
Machab. 3.

16 Galeam salutis assumite, per omnem orationem,
& obsecrationem orantes omni tempore in
spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia,
& obsecratione pro omnibus Sanctis. *Ephes.* 6.

17 Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum a-
ctione, *Colos.* 4.

18 Obsecro primum omnium fieri obsecrationes,
orationes, postulationes, gratiarum actiones
pro omnibus hominibus, &c. 1. *Timoth.* 2. *Vide S.*
August. ep. 59. *ad Paulinum.*

19 Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ec-
clesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo
in nomine Domini: & oratio fidei saluabit in-
firmum, &c. Orate pro inuicem vt saluemini:
multum enim valet deprecatio iusti assidua.
Iac. 5.

Meditatio in lege Domini Sacerdoti ne-cessaria.

20 Cvi lex meditatio est, huic præsto sunt miseri-
cordiæ, vt viuat in æternum. Quo modo enim
quis beatus esse potest sine miseratione diuina?
Psal. 1. Beatus autem, qui in lege Domini meditatur die
ac nocte. Sed, qui meditatur in lege, eruditur in
lege; &, quem lex erudierit, Dominus erudit, qui

locutus

locutus est legem: ideoque scriptum est: Beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Discamus ergo & nos in lege Domini meditari: non auocemur sæcularibus illecebris, nō occupemur impedimentis, sed semper ad legem simus attenti: scriptum est enim: Os iusti meditabitur sapientiam, &c. Hoc in veteri testamento. Audi & in nouo dicentem. Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Et maxime hanc meditationem Sacerdotibus necessariam ostendit, ad Titum scribens, quia debet Episcopus amplecti eū, qui secundum doctrinam est, fidelium sermonē, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contra dicunt, arguere. Quod vtique intentæ, atq; sollicitæ meditationis est, non perfunctoriæ lectionis. &, ad Timotheum scribens, ait: Attende, &c. *S. Ambros. super Ps. 118. serm. 10.*

Psal. 98.

Psal. 36. Rom. 1.

Tit. 1.

1. Ti. 4.

Qualiter ad orationem accedendum, in eaque manendum.

STA in orationis prece tremens, nec aliter, quā reus Iudici assistens; vt & interiori, & exteriori habitu fauorem iusti Iudicis concilies. *S. Io. Climacus gradu 7. de luctu gaudij opifice. S. Basilius in admonitione ad filium spiritualem.*

21

De eodem.

QVISQVIS Deum adit, multo cum gaudio, multoque rursus cum tremore id facere oportet. Tremore quidem, dum metuimus, ne videamur indigni, qui Deum precibus alloquamur; rursus

22

gaudio repleamur, reputantes honoris magnitudinem, quod Deus mortalium genus tanta ac tali sua cura dignatus sit, ut assiduo diuino colloquio frui liceat: per quod etiam illud assequimur, vt & mortales & temporarij esse desinamus; natura quidē mortales, sed colloquio, conuictuq;, quem agimus, cum Deo ad immortalem vitam transeuntes, &c. *S. Ioh. Chrysost. l. 1. de orando Deum.*

De eodem.

23 QVID aliud cogitare debet Sacerdos intrans
Psal. 41 ad orationem, quam propheticum illud: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei? Omnino si quidem oportet nos curiam intrare cœlestem orationis tempore; illam vtique curiam, in qua Rex Regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili, & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Quanta erga cum reuerentia, quanta timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens, & repens ranuncula vilis? Quam tremebundus, quam supplex; quam denique humilis, & sollicitus, & toto intentus animo maiestati gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio iustorum, & congregatione assistat oportet miser homuncio? in cunctis igitur actionibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipue in oratione, &c. *S. Bernard. de 4. modis orandi.*

De eodem.

24 SI quis coram aliquo Principe stat, & ipsum alloquitur,

loquitur, magno cum metu ſtat, & cum corporis extrinſecus, tum mentis etiam intrinſecus attentos oculos tenet periculi metu: quanto tandem maiore cum metu, trepidationeque cenſendum eſt oportere vos ſtare in conſpectu Dei, tota mente in vnum illum intenta, neq; vſquam alio? cum ipſe non hominis partem illam modo, quæ foris apparet, vt homines faciunt; ſed illam etiam, quæ intus occulta oculorum aſpectum fallit, clariſſime peruideat? &c. *S. Baſil. c. 2. de inſtit. monaſt.*

De eodem.

In ſola religioſa cogitatione totus debet ſpiri- 25
tus occupari, ne mens diuiſa effectum nequeat impetrare, quem poſtulat. *Caſſiod. ſuper Pſal.* 118.

Non petendum in orationis principio, ſed à gratiarum actione incipiendum.

Cvm oras nolito confeſtim ad orationem ac- 26
cedere. Quod ſi hoc nõ facis, indicio es ipſe de voluntate tua, te ſcilicet, quod neceſſitate vrgeris, Deo preces adhibere. Quare, quandocunque inſtituis orare, omnia, teq; adeo ipſum relinquito, & & ab eius glorificatione exorditor, qui omnia cõdidit: cumque in eo ſatis fueris commoratus, non mente vaga, neque huc, illucue temere deerrante, neq; (vt Græcorum mos eſt) fabulas garriens; ſed de ſanctis literis carpens, quę dicas, dic: Gratias ago tibi domine propter incredibilẽ clementiam, & in

ferendis hominum culpis facilitatem tuam; qui peccantem me quotidie patientia tua sustines, & ad resipiendum omnibus nobis potestatem facis, &c. *S. Basilius vbi sup. cap. 2. de constit. monast, S. Cyprianus de oratione Dominica, S. Ambros. lib. 6. de Sacramentis cap. 5. S. Bona. in speculo discip. cap. 6. particul. 2.*

Lacrymandum ante petitionem.

27 VTERE lacrymis ad recte orandum, antequam quidquam petas: oratione enim lacrymantis magnopere dominus delectatur, *S. Nilus c. 6. de oratione, S. Bonau. in Regno vitiorum c. 7. & in speculo disciplinæ, cap. 6 particula 2. Vide inf. §. 2. de lacrymis, cap. Numquam est sine gemitu orandum. num. 16.*

Seruanda animi ttanquillitas orationis tempore.

28 SEMPER quidem seruandus est quietus animus, atque ab omni perturbatione liber; sed attentius tamen, cum Domino psallimus: studet enim maxime Dæmones perturbationibus animã nostram impedire, atque demoliri. *S. Climacus gradu 4. de obedientia.*

Orationis tempore diligentius, quam alio, dæmones insidiantur nobis, vt ab illa nos subducant.

29 CAVE diligenter, ne cogitationi illi animi tui assẽtiare, quæ ab orationis canone nondũ peracto auellere te studeat. Habent enim morem hunc dæmones, vt faciendæ orationis temporibus per spe-

ſpecioſam ſcilicet aliquam laudabilis cauſæ alicuius ſimulationem nobis ſedulo auctores ſint, vt ab ea nos ſubduçamus; vt, quam ſalutem afferre nobis intelligant, ab ea nos probabiliter abduçant, &c. *S. Baſilius ſerm. de abdicatione ſæcul. S. Iſidorus de ſummo bono, l. 3. c. 7. S. Gregor. l. 10. Moral. c. 17. 18. ſup. cap. præcedenti proximo.*

De eodem: oratio quoque non ſit nimis timida, temeraria, nec tepida; ſed fidelis, humilis, & feruens.

ORATIO, quanto eſt efficacior, ſi fiat vt debet, 30
tanto callidius impediri ab aduerſario ſolet. Interdum enim grauiter impeditur oratio à puſillanimitate ſpiritus, & immoderato timore. Hoc autem tunc ſolet fieri, cum ſic cogitat homo propriam infirmitatem, vt non conuertat oculos ad diuinam benignitatẽ. Abyſſus enim abyſſum inuocat, abyſſus luminoſa abyſſum tenebroſam, abyſſus miſericordiæ abyſſum miſeriæ, &c. Sed, ſicut periculum eſt, ſi fuerit oratio nimis timida, ſic è contrario non minus, immo & maius periculum eſt, ſi ſit oratio tepida, & non ex noua affectione procedens, &c. Quæ vero fidelis, & humilis, & feruens oratio fuerit, cælum ſine dubio penetrabit. Vnde certum eſt, quod vacua redire non poterit. *S. Bernard. ſerm. 4. de Quadrageſima.*

Oratio Sacerdotis ſit inimicis terribilis.

TIMEAT orationem tuam, qui admonitionem 31
contempſit. Cui iraſceris Sacerdos, Deum ſibi

iratum, non hominem putet, &c. *Idem Bernard. de consid. l. 4. ad fin.*

Importunitas, quę in nostra potestate sita est, oranti necessaria.

32 VT concedamus, nos omnibus destitutos virtutibus, &c. tamen vel importunitatem, quæ omni volenti suppeditat, habere possumus. Per quam etiam solam daturam se Dominus quidquid oratus fuerit, repromittit, &c. Idcirco, si cunctæ nos ex auditionũ causæ omnino deficiant, saltem animet importunitatis instantia, quæ absque vlla vel meriti, vel laboris difficultate in cuiusque volentis sita est potestate. *Cassianus coll. 9. c. 33. S. Gregor. l. 11. epist. 2.*

De eodem.

33 ORATIO perseuerans iungit Deo, atq; ita gaudens assistere se Domino gloriatur. Adhærens autem anima mea Domino, incipit securitatem habere, & libertatem, nec pauores sustinet timoris. Suscepta anima tanto patrocinio dextere Dei, quo modo poterit noceri ab aliqua potestate? &c. *S. August. ser. 230. de tempore.*

Deus vult rogari, cogi, & quadam importunitate vinci.

34 IDEO tibi dicitur: Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire quem rogas, esto

Mat. 11.

rap-

raptor, vt regnũ cœlorũ accipias: esto violentus, vt vim etiam ipsis inferas cœlis. Quid hac rapina locupletius? Quid hac glorioſius violentia? Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur; proximus non læditur, sed iuuatur; peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona violentia, qua non quæritur lucrũ cito periturum, sed regnum acquiritur sine fine manſurum. *S. Gregor. in Psal. 6. Pœnitentiæ.*

Semper orandum.

SIVE comeditis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Accumbens mensæ, ora: esitans panem, Largitori gratiam rependito: suffulciens, firmansq; infirmas corporis vires cibo, eius fac memineris, qui hoc te dono impertiuit ad inserendam cordi tuo lætitiam, & ad multiplicium infirmitatũ non mediocre solamen. Nulla tibi est sumendi edulij necessitas? Caue, ne prætereat eius memoria, cuius liberali beneficio ventrem explesti. Tunicam indueris? Gratias agito benigno datori. Amiciris pallio? Fac in te augescat interior in Deum caritas, qui integumenta largitus est hiemi æstatique accommoda, quibus & vita conseruetur, & obtegatur turpitudo. Tibi ne dies expletus abiit? Illi referto gratiam, qui Solem quidem nobis nihil tale commeritis indulsit, in diurnæ operationis ministerium: ignem vero contulit illustrandæ nocti, vtque subseruiat reliquis vitæ commoditatibus, &c. 35 1. Co. 10.

S. Ba-

S. Basilius hom. in Martyrem Iulittam, quæst. 5. inter varias.

De eodem.

36 ORATIO nos Deo crebra commendat. Si enim Psa. 118. Propheta dicit: Septies in die laudem dixi tibi, qui Mat. 26 regni erat necessitatibus occupatus, quid nos facere oportet, qui legimus: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem? Certe solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, cum è somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumpserimus, & hora incensi, cum denique cubitum pergimus. Sed etiam in ipso cubili volo Psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice, vel cum euigilaueris, vel antequam corpus sopor irriget; vt te in ipso quietis exordio rerum sæcularium cura liberum diuina meditantem somnus inueniat, &c. *S. Ambros. l. 3. de virginibus. Vide sup. c. 6. §. 1. de horis canonicis, cap. dicebat. Iesus, n.* 35.

Quibus temporibus quotidie orandum.

37 OPORTET & stratis relictis diuino cultu præuenire Solis exortum, & cum ad mensam accedimus, & cum nos ad nocturnam quietem recipimus. Quin potius oportet singulis horis vnam precationem offerre Deo, vt orandi cursus diei cursum æquet. Ceterum hiberno tempore decet etiam noctis maximam partem precibus impendere, ac flexis genibus multo cum tremore instare deprecationi, hoc ipso nos beatos existimantes, quod

quòd Dei cultui vacamus. Dic mihi, qua fronte Solem intueberis, nisi prius adoraueris eum, qui tibi tantum bonorum largitur, ac suppeditat? Qua spe trades teipsum nocturno tempori, qualibus cum in somnijs putas tibi rem fore, nisi teipsum præmunieris orando, sed incustoditus ad somnum accesseris? Nimirum, &c. S. *Chrysl. l. 1. de orando Deum.*

Magna à se peti vult Deus.

REGNVM cælorum pete tantummodo, & ne- 38
cessitatibus corporis tui ipse, vt dixit, prouidebit. Munificentissimus est enim idem, & augustissimus Rex noster, & indigne fert, quandocumque quis exiguum à se aliquid petit; quandocumque quis nostrum de rebus minime ipsi conuenientibus rogat. Noli igitur tibi illum oratione tua iratum facere; sed ea petito tibi, quæ digna sunt & Rege, & Deo. Hæc autem petens ab eo, ne prius recesseris, quam quæ petis impetraueris. *S. Basil. de constit. monast. c. 2.*

Orationis commendatio, epitheta, & effectus.

MAGNA arma sunt preces, magna securitas, 39
magnus thesaurus, magnus portus, refugij locus, modo sobrij, & vndequaque mente nostra collecta, inimicoque nostræ salutis nullo aditu permisso, Dominum adeamus. Scit enim hostis noster, &c. *S. Chrysost. hom. 30. in Genes. quam lege Effectus*

Ctus orationis varios vide apud S. Bonau. de proceſſu 7. Relig. c. 9. cum ſequentibus.

De eodem.

40 ORATIO ſancta, columna ſanctarum virtutum, deitatis ſcala, viduarum maritus, Angelorum cognata, fundamentum fidei, monachorum corona, coniugatorum leuamen. Beatus qui te amat, beatior qui te frequentat: beatus qui te adſtringit, ſed beatior qui in te perſeuerat: beatus qui tecum lacrymas fundit, quoniam holocauſtum ſanctum Deo & immaculatum offerre non dubitamus. *S. Auguſt. ſerm. 22. ad fratres in eremo. Vide Caſſianum collat. 9. & 10.*

De oratione Dominica.

41 COMPENDIIS paucorum verborum quot attinguntur edicta Prophetarum, Euangeliorum, Apoſtolorum, ſermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta, quot ſimul expunguntur officia Dei: honor in patre, fides, teſtimonium in nomine, oblatio obſequij in voluntate, commemoratio ſpei in regno, petitio vitæ in pane exomologeſis debitorum in deprecatione, ſollicitudo tentationum in poſtulatione tutelæ. Quid mirum? Deus ſolus docere potuit, vt ſe vellet orari. Ab ipſo igitur ordinata religio orationis, & de ſpiritu ipſius, iam tunc cum ex ore diuino ferretur, animata ſuo priuilegio, aſcendit in cælum, commendans patri, quæ filius docuit. *Tertullianus de oratione in Anacephalæoſi.*

De

De eadem.

QVAMLIBET alia verba dicamus, quæ affectus orantis vel præcedendo format, vt clareat, vel consequendo attendit, vt crescat, nihil aliud dicimus, quam quod in Dominica oratione positum est, si recte & congruenter oramus. *S. Augustin. ep. 121. ad Probam, vbi cap. 11. breuiter explicat orationem Dominicam, & in Enchiridio vltra medium. De eius expositione vide etiam S. Cyrillum. catechesi mystag. 5. & S. Cyprianum de oratione Dominica. S. Hieron. l. 3. contra Pelagianos. S. Gregorium Nyssenum per quinque homilias. & S. Bernardum serm 6. de Quadragesima. Cassianum coll. 9. c. 17. Concil. Toletan. 4. cap. 9. & S. Bonau. de Processu 7. Relig. c. 4.* 42

De Lacrymis Sacerdotum

§. II.

SVMMARIVM.

ASSIDVE *lacrymæ in oculis Sanctorum, & Sacerdotum. 1. 2. 3. 5. 16.*

Eorum enim sunt arma. 6.

Ideo semper cum lacrymis orandum. 16.

Qui non sentit præsentia mala, nec desiderat futura bona, qui non luget. 17.

Lacrymis anima illuminatur, & fiduciam concipit. 18.

Ideo diligenter conseruandæ, & quæ sint veræ. 19.

Pro

Pro peccatis populi effundendæ. 7. 8. 15.
Maxime inter audiendas confessiones, exemplo S. Ambrosij. 9.
Quia sunt peccatorum spongiæ. 15.
Et Angelorum lætitia nostra suspiria. 11.
Et sunt beati, nec facile peccabunt, qui lugent. 12. 13. 14.
Qualiter S. Augustinus flebat inter audienda diuina officia. 10.

1 LABORAVI in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo. *Psal. 6.*

2 Cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. *Psal. 101.*

3 Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei. *Ierem. 9.*

4 Attingite vos, & plangite Sacerdotes, vlulate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei: quoniam interijt de domo Dei vestri sacrificium, & libatio. *Ioël. 1.*

5 Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent, &c. *Ioël. 2.*

Lacrymæ sunt Sacerdotis arma, & munimenta.

6 DOLERE potero, potero flere, potero gemere aduersus arma, milites Gothos quoque. Lacrymæ mea arma sunt: talia enim munimenta sunt Sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere, &c.

S. Am-

S. Ambros. post epist. 32. l. 5. in oratione contra Auxentium 23. q. 8. c. Conuenior. §. quid ergo.

Sacerdotes boni deflere debent peccata populi.

BONI Sacerdotes populi debent delicta deflere,& totos se planctibus tradere, imitantes Ieremiam Prophetam, dicentem: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarũ; & plorabo die ac nocte interfectos populi mei. tamquã propria igitur delicta,plebis peccata Sacerdos flere debet; sed affectu compatiendi, non accusatione commissi. *S. Isido. de sum. bono l. 3. c. 46.* 7 *Ier. 9.*

Sacerdotes sancti quotidie flere debent.

CVM Sancti semetipsos sentiunt terrenæ cogitationis pondere prægrauatos, ab illa mentis puritate decidere, & inuitos, immo vero etiam nescientes, in legem peccati, mortisque traduci; atque (vt cætera prætermittam) bonis quidem, ac iustis, sed tamen terrenis à conspectu Dei operibus auocari, habent profecto, pro quibus ad Deum iugiter ingemiscant;habent,pro quibus in veritate humiliati,atque compuncti,non verbis tantum,sed affectu semetipsos pronuntient peccatores: & veniam pro omnibus, quæ quotidie superati fragilitate carnis incurrunt, & gratiam Dei iugiter postulantes,veras pœnitentiæ lacrymas indesinenter effundant,&c. Et ideo quotidianis suspirijs sancti omnes pro hac substantiæ suæ fra- 8

gilitate compuncti, dum cogitationum varietates & conscientiæ suæ latebras, ac penetralia perscrutantur, suppliciter clamant: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, &c. *Cassianus coll.23.c.20.iuncto c.17.*

Psa.142

Idem faciendum inter audiendas confessiones.

9 *Quando Presbyteri audiunt confessiones, vt sup.c.5.de Sacramentorum ministratione,n.25. vt faciebat S. Ambrosius,ibidem num.22.cap.Beatus Ambrosius.*

Qualiter flebat S. Augustin. inter audiendum Diuina officia in Ecclesia.

10 *Vide sup.c.6.de Horis canonicis.* §.1.*cap. Quantum fleui,num.44.*

Seminemus hominibus bonum exemplum per aperta opera, seminemus Angelis gaudium magnum per occulta suspira.

11 *S.Bernard.serm.30.*

Beati qui lugent.

12 BEATVS Sacerdos, qui studiose & considerate luctum quærit, & lacrymas in hac vita, tamquam pretiosas margaritas, fundit in conspectu Dei. *S. Nilus de oratione c.63.*

De

De eodem.

Beatus, cuius anima, velut arbor nuper sata, crebris gemitibus ac lacrymis, tamquam opportunis auris & aquis fouetur, & irrigatur: & qui bonas cogitationum plantas precationibus & lacrymis fouet, & irrigat, vt fructus Deo gratos ferat. *Idem S. Nilus c. 67. Ibidem.* 13

Qui lacrymas fundit non facile peccabit.

Sacerdos, qui luctum amplectitur, haud facile peccabit: &, qui cordis vacat compunctioni, non cogitat malum. Ex compunctione nascitur fletus, in fletu autem à malis temperamus. S. *Ephraëm de vita spirituali c. 49.* 14

Spongia peccatorum tuorum, & populi, lacrymæ tuæ sint. Grandis earum virtus, &c.

S. Chrysost. super Psal. 50. 15

Semper orandum cum lacrymis.

Nvmqvam est sine gemitu orandum. Nam peccatorum recordatio mærorem gignit: dum enim oramus, ad memoriam culpam reducimus, & magis tunc reos nos esse cognoscimus. Ideoque, cum Deo assistimus, gemere & flere debemus, reminiscentes, quam grauia sunt scelera, quæ commisimus, quamq; dira inferni supplicia, quæ timemus. *S. Isid. de summo bono l. 3. c. 7. Vide sup. c. 7. §. 1. de orationis puritate, cap. Vtere Lacrymis, num. 27.* 16

Qui non luget, nec sentit præsentia mala, nec desiderat futura bona.

17 SI non plangis, plane non sentis animæ vulnera, conscientiæ læsionem; sed nec futura satis gaudia concupiscis, si non quotidie postules ea cum lacrymis. *S. Bonau. in Pharetra l. 2. c. 18. ex S. Bernardo. serm. 3. de quadragesima.*

In lacrymis anima illuminatur, & fiduciam concipit.

18 TVNC anima illuminatur, quandō ad lacrymas compungitur, &c. Lacrymæ apud Deum semper nobis dant fiduciam magnam, &c. *Idem S. Bernard. in modo bene Viuendi, serm. 9.*

Spontaneæ lacrymæ sedulo conseruandæ, & quæ sint veræ.

19 QVOTIES anima, nil etiam curantibus, vel studiose operantibus nobis, in lacrymas vi secretæ compunctionis excitata, in solo fletu requieuerit, curramus sollicite. Dominus enim non vocatus aduenit, spongiamq; diuini amoris & refrigerij piarum lacrymarum aquam nobis clemens porrigit, quibus deleantur scelera chirographi nostri. Serua eam, vt pupillā oculi tui, donec spōte abeat. Longa enim maior est huiusmodi compunctionis vis, quam eius, quam studio nostro, & labore acquisiuimus, &c. Solet adulterina compunctio elationem gignere; ea vero, quæ laudabilis, & probata

bata est, consolationem, &c. Noli antequam perfecte emunderis, lacrymarum tuarum imbribus credere: neq; enim habet fidem vinum statim è torcularibus expressum, &c. Sane absq; metu ruinæ est, qui ex mortis, scelerumq; memoria genas suas viuentium aquarum perpetuis imbribus rigat, &c. *S. Io. Climacus de luctu gaudij opifice, gradu 7.*

De genuflexionibus, manuum eleuationibus, & pectoris tunsionibus in oratione, §. III.

SVMMARIVM.

SANCTI veteris, & noui Testamenti, inter orandum genua flectebant, & manus in cœlum leuabant. 1. 2. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12.

Etiam ipse Dominus. 3.

Genua autem non flectuntur diebus Resurrectionis, nec Dominicis, & quare. 12.

Manuum eleuatio, quid notet. 13. 14.

Pectoris tunsio, quid. 9. 15. 16.

FACTVM est, cum complesset Salomon orans Dominum omnem orationem, surrexit de conspectu altaris Domini: vtrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum. 3. *Reg.* 8. 1

2 Flexis genibus Salomon cõtra vniuersam multitudinem Israël, & palmis in cælum leuatis, ait: Domine Deus Israël, &c. 2. *Paralip.* 6.

3 Auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis: & positis genibus orabat. *Luc.* 22.

4 Eiectis omnibus foras Petrus ponens genua orauit. *Act.* 9. 20. 21. *Is.* 45. *Rom.* 14. *Philipp.* 2.

5 Cumq; leuaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. *Exod.* 17. *De cuius rei significatione vide S. Isidorum in Exod. c.* 25.

6 Clamaui ad te Domine, tota die expandi ad te manus meas. *Psal.* 87.

7 Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. *Tren.* 3. *Cor cum manibus leuat, qui orationem cum opere subleuat. S. Isid. de summo bono l.* 3. *c.* 7.

8 Volo vos orare in omni loco, leuantes puras manus coram Domino. 1. *Tim.* 2.

9 Publicanus à longe stans percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. *Luc.* 18.

Genuflexionibus Deum placari.

10 QVANDO non geniculationibus, & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ? &c. *Tertullianus ad Speculam, de fuga in persecutione.*

Oran-

Orandum genibus flexis omni tempore, præterquam Dominicis, & Resurrectionis diebus.

SCIENDVM, quod, exceptis diebus Dominicis, 11
& illis solemnitatibus, quibus sancta & vniuersalis Ecclesia ob recordationem Dominicæ Resurrectionis solet stando orare, fixis in terram genibus, suppliciter clementiam nobis profuturam, nostrorum q; criminum indulgentiam deposcendam esse. Cuius rei in Euangelio ipse Dominus dedit exemplum. Sed & Stephanum Martyrem, & Apostolum Paulum eadē fecisse liber Actuū Apostolorum testis est. Ex quibus intelligi datur, oportere Christianū humiliter in terram prosterni, ne forte illi dicatur: Cur superbis terra, & cinis? *Conc. Turon. c. 37. Burchardus l. 3. c. 235. l. 13. c. 9. S. Basil. l. 3. aduersus Eunomium, & serm. 27. de Spiritu sancto. Epiphanius l. 3. aduersus hæreses. Ven. Beda serm. inf. oct. Ascens. dist. 30. c. siquis Presbyter.*

Luc. 22.
Act. 7. 9
20. 21.

De eodem: & quid indicet genuum flexio.

SED & genua in his Resurrectionis Dominicæ 12
diebus in oratione iuxta morem minime flectimus: quia genuum inflexio pœnitentiæ, & luctus indicium est. Quod etiam obseruandum in omnibus Dominicis diebus, propter eiusdē Resurrectionis, vel Dominicæ, vel nostræ Sacramenta Patres instituerūt. *Ven. Beda ser. inf. oct. Ascens. Conc. Nicænū*

de conſ. diſt. 3. c. quoniam. Sexta Synodus c. 90. Caſſianus coll. 21. c. 11. 20. Martinus Bracharenſis Epiſcopus diſt. 30. c. ſi quis Presbyter. S. Baſilius ſerm. 27. de Spiritu ſancto.

Manuum eleuatio, quid indicet.

13 SI in priſtinam actionis vitam (quantum Dominus vos cuſtodire dignabitur) redire non valetis, manus veſtras in ſublime porrigentes, oſtendite: quia magis cœleſtia, quam terrena diligatis, & veſtra iam conuerſatio in cœlis eſt. *S. Eligius hom. 8. in die Cœnæ Domini ad publice pœnitentes, in Appendice Bibliothecæ Sanctorum Patrum.*

De eodem: ex naturali paruulorum inſtinctu.

14 CVM manus fuerit in ſublime expaſſa per ſecretam operum diſtinctionem, tunc mentis noſtræ perſpicacitas acriores reſumit vires, id quod Iſraël dicitur. Proinde obſerua, hic non eſſe dictum: Cum eleuaueritis manus veſtras, ſed, Cum extenderitis. Si quidem eleuat, qui cæleſtia quærit: extendit autem, & qui indignus eſt corporalis ſubſidij. Cum igitur extenſio manuum identidem fiat ab ipſis infantibus per affectum erga nutrices, aut matres, hiſce verbis declarat vim affectiuam eorũ, qui preces effundebant. *S. Baſil. ſuper c. 1. Iſaiæ.* Eleuare manus, hoc eſt, opera & actus eleuare ad Deum, & non habere actus deorſum deiectos, & humi iacentes, ſed eo placitos, & ad cœlum

cœlum erectos. Eleuat ergo manus, qui thesaurizat in cœlum, &c. *Origenes hom.* 11. *in* c. 17. *Exod.*

Pectoris tunsio quid notet.

CONFITENDO, puniendo peccata tua, quid aliud significat pectorum tunsio, nisi forte putamus ossa nostra aliquid peccasse, cum cædimus & tundimus pectus? sed significamus vos cor conterere, vt à Domino dirigatur. *S. Augusti. super Ps.* 246. *& ser.* 80. 36. *de verbis Domini, &* 48. *de tempore.* Tunsio pectoris, obtritio cordis. *Idem Ps.* 31. *Enarrat.* 2. 15

De eodem.

PECTVS percutimus, signantes, quod nequiter egimus, displicere nobis: ac ideo, antequam Deus feriat, id nos in nobis ipsis ferire; & antequam extrema relatio veniat, commissum pœnitentia digna punire. *Nicolaus.* 1. *cum responsis ad consulta Bulgar. cap.* 54. 16

CAPVT VIII.

DE CÆREMONIIS IN GENERE.

SVMMARIVM.

BENEDICVNTVR *à Domino Cæremonias obseruantes.* 1.

In custodiendis illis cura multa adhibenda. 2.3.

Ab ipsis Apostolis Cæremoniæ externæ emanarunt, & quare inuentæ. 4. 5. 6.

Multarum Cæremoniarum significatio nobis obscura. 7.

Illæ tamen, quantumlibet ignotæ, venerandæ. 8.

Qui receptos Ecclesiæ Catholicæ ritus in Sacramentorum administratione contempserit anathema sit. 9.

1 BENEDICENTVR in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meę, & custodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias legesque seruauerit. *Gen.* 26.

2 Obserua custodias Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, vt custodias cæremonias eius, & præcepta, &c. 3. *Reg.* 2.

3 Filii hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de vniuersis cæremoniis Domus Domini, &c.

Sacer-

Sacerdotes autem & Leuitæ filij Sadoc, qui custodierunt cæremonias sanctuarij mei, cum errarent filij Israël à me, ipsi accedent ad me vt ministrent mihi: & stabunt in conspectu meo, &c. *Ezech.* 44.

Ab ipsis Apostolis cæremoniæ externæ emanarunt, & quare inuentæ.

NECESSARIO primi illi Sacerdotalis muneris 4
duces, cum ex summa, supersubstantialique Deitate ipsi sancti muneris plenitudinem percepissent, & idipsum deinceps proferre, & propagare à diuina bonitate missi essent, ipsique (vt qui transissent in Deum) posteros ad diuina prouehere affatim cuperent, visibilibus signis cœlestia Sacramenta texerunt, varietateq; ac multitudine, quod vnicum est collectum, tradiderunt; & in humanis imaginibus res diuinas, materialibusque figuris spiritualium maiestatem; atque in iis, quæ nobis sunt familiaria, summa illa & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis, iuxta quod sacræ definiunt leges, nobis tradiderunt. Non modo profanæ multitudinis causa, cui ne ipsa quidem fas est signa contingere; verum ob id quoque, quod hæc nostra sacratissima functio significatiua est, plenaque, vt dixi, signis, pro modo & ratione captus nostri, indigetque visibilibus figuris, quibus veluti adminiculis ad eorum augustiorem intellgentiam subuehamur. *S. Dionys. de Eccles. Hier. c. 1. post medium. Concil. Trident. Sess. 22. c. 5. S. Aug. contra Manich. lib. 19. c. 11.*

Quare

Quare diuina per similitudines visibiles tradantur.

5 DIVINA hominibus manifestari non possunt nisi sub aliquibus similitudinibus sensibilibus: ipsę autem similitudines magis mouent animum, quando non solum verbo exprimuntur, sed etiam sensui offeruntur. Et ideo diuina traduntur in scripturis non solum per similitudines verbo expressas, sicut patet in metaphoricis locutionibus, sed etiam per similitudines rerum, quæ visui proponuntur; quod pertinet ad præcepta cærimonialia. *S. Thom. 12. q. 99. art. 3. ad 3. ex eodem S. Dionysio.*

De eodem, ex Apostolica traditione.

6 CVM natura hominum ea sit, vt non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, vt scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronuntientur, instituit. Cæremonias item adhibuit, vt mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica doctrina, & traditione, quo & maiestas tanti sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. *Concil. Trident sess. 22. c. 5. S. August. de lib. arb. c. 10.*

Multa-

Multarum cæremoniarum, & rituum significatio nobis obscura.

PLVRIMA ex his, quæ ignoramus, causas habent 7
dignissimas nobis quidem ignotas, verum præstantioribus ordinibus cognitas. Complura item summas illas, altissimasque substantias latent, solique sapientissimæ, ac sapientiæ doctori, diuinitati nota sunt. *S. Dionysius. de Eccles. hierarch. cap. 1. & fin.*

Cęremoniæ, & signa etiam ignota veneranda: & quid in illis.

SVB signo servit, qui operatur. ac veneratur ali- 8
quam rem significantem, nesciens, quid significet, Qui vero aut operatur, aut veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim, significationemq; intelligit, non hoc veneratur, quod videtur, & transit, sed illud potius, quo talia cuncta referenda sunt. Qui autem non intelligit, quid significet signum; & tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur seruitute. Melius est autem, vel primi incognitis, sed vtilibus signis, quam inutiliter ea interpretando a iugo seruitutis eductam ceruicem laqueis erroris inserere. *S. Augustinus de doctrina Christiana lib. 3. cap. 9. Orig. hom. 5. in Num.*

Qui

Qui ritus Ecclesiæ approbatos in Sacramentorum administratione contempserit, &c. anathema sit.

9 *Vt supra cap. 5. de Sacramentorum administratione, cap. si quis dixerit n. 5.*

PARS SECVNDA.

DE MORIBVS, AC VITA SACERDOTIS EX APOSTOLI PRÆSCRIPTO: DEQVE EIVS EXTERIORI ET INTERIORI HOMINE COMPONENDO.

CAPVT I.

DE IRREPREHENSIBILITATE ET SANCTITATE SACERDOTVM: DEQ. INTENTIONIS EORVM PVRITATE, ET FINE.

De Irreprehensibilitate, & Sanctitate Sacerdotum, §. 1.

SVMMARIVM.

SACERDOTES *debent esse sancti, irreprehensibiles, & sine macula.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *& quare* 11.

Qualis debet esse eorum sanctitas, & puritas. 12. 13. 14 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.

Eorum varia epitheta. 9. 10. 21.

Qualiter orare debeant pro populo. 10.

Quales ad id esse debeant. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.

Sacerdotis est facere, & docere 32.

Docere autem debet seipsum prius, deinde alios. 35.

Sacerdotis, Monachi, & Solitarij differentia. 34. 35.

Per-

Perfecti viri descriptio.36.

Sacerdotalis vitæ epitome.39.

SANCTIFICABOR in iis qui appropinquant mihi. *Leu.* 10.21. 1

Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos. *Leu.*19. 2

Homo de semine tuo, qui habuerit maculam, nõ offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius. *Leu.* 21. 3

Sancti erunt Deo suo Sacerdotes, & non polluent nomen eius: incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt. *Leu.*21. 4

Elegit Sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei. 1. *Machab.*4. 5

In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile: vt is, qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. *Tit.*2. 6

Irreprehensibilis debet esse Sacerdos.

AVGVSTA quidem, ac veneranda res, accessuq; difficilis, Sacerdotium est, & sine vlla reprehensionis labe consectanda. *S. Isidorus Pelusiota. lib.*1. *ep.*156. 7

De eodem.

OPORTET Sacerdotes & ministros, qui altari & sacrificijs inseruiunt, integros atque immaculatos esse, cum Dominus dicat: Homo, in quo fuerit macula & vitium, non accedat offerre dona Deo. *S. Cyp. l. 2. ep. 1.* 8

Sacerdos debet esse sine crimine, vt Episcopus; & eius multa Epitheta.

9 FRATRES charissimi, oportet manum mundam esse, quę polluti vasis debet maculas purgare; ne polluta deterius possit inquinare, cum sordida sordidum tractat. Propterea, Sacerdotes altissimi Dei, vobis dicitur: Mundamini, qui fertis vasa Do-
Esa. 52. mini. Vos enim estis, qui vasa Domini ferre debetis, quibus datum est nosse mysterium Regni Dei.
Luc. 8. Vos estis sal terræ, lux mũdi, lucerna accensa, ciuitas in monte posita, columnæ templi, lignũ scientiæ in medio Paradysi positũ, patroni, & rectores Ecclesiæ, Angelorum, & Paradysi ciues, Prophetarum filij, Patriarcharũ cognati, Apostolorum successores. Mundamini ergo, vt digne cum Patribus possitis ferre vasa Domini: vasa non solum aurea, & argentea, sed etiam illa, pro quibus redimendis mori Dominus dignatus est. Propterea attendat charitas vestra, quales esse debetis, vt digne vasa domini portare possitis. ait enim Apos-
Tit. 1. tolus: Oportet Episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem, &c. Hæc non solũ ego Episcopus seruare debeo, sed & vos vna mecum Sacerdotes, Deo auxiliante, seruare debetis. Per omnia sine crimine, sicut Episcopum, ita iubet esse Presbyterum, id est, irreprehensibilem; vt non quærat vxores, non diuitias, non honorem, &c. *S. Augusti. serm. 36. ad Presbyteros, inter sermones ad fratres Eremi.*

Alia

Alia Sacerdotum Epitheta, & qualiter orant pro populo.

SACERDOTIBVS propriè animarum curandarum sollicitudo commissa est, qui, pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes, pro peccatis omnium, velut pro suis, infatigabiliter supplicant Deo. Qui velut quidam Aaron incensum contriti cordis & humiliati spiritus offerētes, quo placatur Deus, auertunt iram futuræ animaduersionis à populo: qui per Dei gratiam fiunt diuinæ voluntatis indices, Ecclesiarū Christi post Apostolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, prauę doctrinę hostes, omnibus bonis amabiles, & male sibi conscijs etiam ipso visu terribiles, vindices oppressorū, patres in fide Catholica regeneratorū, prædicatores cælestiū, primi phalanges inuisibiliū pręliorū, exempla bonorū operum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipsi sunt Ecclesiæ decus, in quibus amplius fulget Ecclesia: ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium: ipsi ianuæ ciuitatis æternæ, per quos omnes, qui credunt in Christum, ingrediuntur ad Christum: ipsi ianitores, quibus claues datæ sunt regni cœlorum: ipsi etiam dispensatores Regiæ domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni diuiduntur gradus & officia singulorum. Hi sunt, qui non ambiendo, sed spiritaliter viuendo Sacerdotiū meruerunt; quiq; non fauoris humani suffragio, sed diuino munere sublimati, nihil sibi de præstantia 10.

sui principatus adplaudunt: quos non inflammat honor acceptus, sed exercet labor impositus: qui non excellentiam suam cogitant prouecti, sed sarcinam; nec gloriantur de officij dignitate, sed sudant potius constituti sub onere. Tales diuina Scriptura Speculatores appellat, qui speculantur actus omnium; & qualiter vnusquisque cum suis in domo, qualiter in ciuitate cum ciuibus viuat, intentione religiosæ curiositatis explorant. Quos bonos probauerint, honorando confirmant: quos deprehenderint vitiosos, arguentes emandant; aut, si emendari noluerint, equanimiter portant, habituri vberrimum fructum, aut de sua districtione, si correcti profecerint, aut de sua patientia, etiam si illi, quos sustinent, emendari noluerint *S. Prosper de vita contempl. l. 2. c. 2.*

Quare Sacerdos debeat esse sine macula.

11 O Sacerdotes, si anima cuiuslibet iusti sedes est
Isa. 11. Dei, multo magis sedes, & templum Dei vos esse debetis mundum & immaculatum. Si sepulcrum eius glorioſum est, in quo corpus eius iacuit exanime, glorioſiora & digniora esse debent corpo-
Luc. 11. ra vestra, quæ qui à mortuis suscitatus est quotidie inhabitare dignatur. Si beatus est venter, qui nouē
Psal. 118 mensibus Christum portauit; & beata debent esse corda vestra, in quibus sibi hospitium quotidie eligit filius Dei. Si beata sunt vbera, quæ paruulus suxit; ita debet esse os beatū, quod carnem eius sumit, & sanguinem sugit. Carnes ergo vestras cum

timore

timore eius configite,& vobis diligenter prouidete,ne lingua loquendo, quæ vocat de cælo filium Dei,contra Dominum loquatur: & ne manus, quæ intinguntur sanguine Christi, polluantur sanguine peccati. *S. Augusti. serm.37. ad fratres Eremi.*

Qualis esse debeat puritas Sacerdotum.

NECESSE est Sacerdotem sic esse purum, vt si 12
in ipsis cælis collocatus inter ipsas cæli virtutes medius staret. *S.Chrysost.de Sacerdotio.l.3.*

De eodem.

EVM, qui pro ciuitate tota, immo qui pro vni- 13
uerso terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque est apud Deum, vt hominum omnium, non viuentiũ modo,sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat,qualem, quæso, esse oportet? Equidem neque Mosis, neque Eliæ fiduciam fore vmquam satis putauerim ad supplicationem huiusmodi peragendam. Quandoquidem quasi mundus illi vniuersus concreditus, atque adeo omnium sit pater,sic ad Deum ipse accedit,deprecans,quidquid bellorum vbique est extingui,turbas solui,atque in horũ locum pacem, ac felicem rerum statum succedere:denique celerem malorum vnicuique imminentium qua priuatim, qua publice, defunctionem postulans. Porro illum ipsum oportet tanto omnibus in rebus ijs præstare,pro quibus intercedit, quanto par est, vt subditos Præfectus excedat. Cum autem ille & spiritum

sanctum inuocauerit, sacrificiumq; illud horrore, & reuerentia pleniſſimum perfecerit, communi omnium Domino manibus aſſidue pertractato, quæro ex te, quoto illũ in ordine collocabimus? quantam ab eo integritatem exigemus? quantam Religionem? Conſidera, quales manus illas adminiſtrantes eſſe oportet? qualem linguam, quæ verba illa effundit? qua deniq; re non puriorem, ſanctioremue eſſe conueniat animam, quæ tantũ illum, tanquam dignum ſpiritum reciperit? *Idem S. Chryſ. de Sacerd. l. 6. Vide inf. Emendatiorem n. 25.*

De eodem.

14 SACERDOTIS animum Solaribus radiis puriorem eſſe oportet, vt ne quando Spiritus ſanctus deſolatum illum relinquat: vt dicere illi liceat: Viuo equidem, non amplius ego, viuit autem in me
Gal. 2. Chriſtus. Nam, ſi qui eremum inhabitant, quique procul tum ab vrbe, tum à foro, tum à tumultibus illinc enaſcentibus ſecuri libereq; viuunt, deniq; qui perpetua corporis tranquillitate perfruuntur, toto vitæ illius præſidio fidere nolunt, quin immo infinitas quoq; alias addunt cuſtodias, vndiq; ſeipſos circumſepientes, magna adeo cum diligẽtia & dicere, & facere omnia adlaborantes, vt cum libertate, ac puritate quadã ſincera, quantũ humanus captus ferre poteſt, ad Dei conſpectũ accedere poſſint. Quantam putas Sacerdotẽ præſtare debere tum vim, tum potentiã, vt animã ſuam ipſius ab omni vindicet fœditate, & ſpiritualẽ pulchritudinem illæſam, atque incolumem ſeruet? Etenim

multo

multo maior vitæ integritas huic, quam illis necessaria est. Cui porrò integritas maior necessaria est, huic certè, pluribusq; quàm illi iidem casibus obnoxius esse cogitur, qui eum conspurcare possunt, nisi continentem sobrietatem, ac vehemens admodum studium adhibens, animũ imperuium impenitrabilemq; præstiterit. *Idem S. Chrysost. ibid. & similitudine 62. Cassian. l. 12. c. 15. & Collat. 23. c. 7. 8. 9. 10. 17. 20. 21. S. Gregor. Nazian. in Apol. Vide inf. c. 9. § 2. de oneribus, Monachorum quidem n. 23.*

De eodem.

LVMINIS instar vniuersum orbem illustrantis Sacerdotis animum splendescere oportet. *Idem S. Chrysost. ibidem.* 15

De eodem.

ET lauabat vestimenta sua. Si in figura tãta obseruantia, quanta in veritate? Disce, Sacerdos, atq; Leuita, quid sit lauare vestimenta tua, vt mundũ corpus celebrandis exhibeas Sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorũ prohibebatur accedere ad hostiã suam, tu illotus mente pariter & corpore audes pro aliis supplicare, audesq; pro aliis ministare? *S. Ambrosius lib. 1. de off. cap. 30.* 16 *Exo. 19.*

De eodem.

SVMMA vigilantia, acerrimaq; in omnes partes animi circumspectione operam dato, &c. *vt supra c. 5. de sacram. ministr. n. 17.* 17

De eodem.

18 QVOTVS quisque est, qui, si ad amussim seipsum
1. Ti. 3. ad Pauli normam dirigens; & ad regulas, quas de
Tit. 1. Episcopis, Presbyterisq; constituit; nempe, vt sint sobrii, & prudentes, non percussores, non temulenti, sed docendi periti, irreprehensibiles, atque huiusmodi, vt nullæ eos improborum calumniæ attingere queant, non sese à normæ rectitudine per multum abesse comperiet? Quid ea commemorem, quæ Iesus discipulis suis, cum eos ad prædicationem legeret, præscribit? Quorum (ne singula explicem) hæc summa est, vt virtute tales existant, atq; ita expediti, & moderati, atq; (vt vno verbo dicam) cœlestes, vt non minus eorum vitæ probitate, & morum elegantia, quam doctrina Euangelium propagetur. *S. Gregor. Nazianzen. in Apologet.*

De eodem.

20 Docet per ea quæ sequuntur historia, non humanam rem quandam, sed diuinam esse Sacerdo-
Nu. 17. tiũ; & docet hoc modo: Virgas ab vnaquaq; tribu accepit Moyses, eas illarum, qui dederunt, nominibus inscribit, ac tabernaculo apposuit: firmiter enim credebat, quod miraculo quodam per virgam, quam vnusquisque attulit, desuper Sacerdos manifestaretur. Quo facto aliorum quidem virgæ sicut erant permanserunt, sed destinati diuinitus Sacerdotis virga non extrinseca humilitate, sed virtute Dei immissa radices propagauit, ramos emisit, & floribus exornata demũ fructũ produxit

Fructus

Fructus erat nux. Quare grauiter castigati quieuerunt. Sed vide, quo modo vndique peregrinata historiæ diuinæ prouidentia nos docet. Hoc enim fructu, quem Aaronis virga ediderat, qualis esse debeat Sacerdotis vita, monemur: aspera enim, & continens, duraq; debet exterius esse, intus autem & in occulto suaue quoddam edulium continere. Quod tunc manifestatur, cum maturum fuerit, & corruptus fuerit stipticus, ac circumfusus cortex, & lignea nuclei testa defracta. Quare, si Sacerdotis examinaueris vitam, &c. *Vt inf. p. 3. c. 2 de grauibus peccatis, Si Sacerdotis, n. 57. S. Gregor. Nyssenus de vita Mosis.*

De eodem.

SI Sacerdotes sancti multos ad Deum sancte 21
viuendo, & prædicando conuertunt; si nihil ex imperio, sed omnia humiliter agant, ac se communes eis, quibus sunt præpositi, studio sanctæ dilectionis exhibeant; si infirmitates carnaliter viuentium fratrum modo verborum salubrium medicaminibus curent, modo, quas incurabiles iudicant, patientiæ virtute sustineant; si moribus, ac prædicationibus suis non suam, sed Christi gloriam quærant; nec verba ac facta sua in pretium fauoris conciliando miserabiliter perdant, sed quidquid sibi sacerdotaliter viuentibus, atque docentibus honoris impendunt, Deo semper adscribant; si non inflentur otiosis occurrentium salutationibus, sed grauentur, nec honorari se, sed

onerari fauentium sibi laudibus credant; si consolentur afflictos, pascant egenos, vestiant nudos, redimant captiuos, suscipiant peregrinos; si errantibus viâ salutis ostendant, desperatis spem veniæ consequendæ permittant, currentes impellant, remorantes accendant, & quidquid ad officium suum pertinet, constanter exerceant: Quis sic erit alienus à fide, vt dubitet tales contemplatiuæ esse participes, quorum exemplo simul ac verbo plures fiunt cælestium regnorum cohæredes? Isti sunt ministri verbi Dei, adiutores Dei, oraculum Spiritus sancti. Per tales Deus placatur populo, populus instruitur Deo. Isti sunt Apostolorum Domini successores, qui Ecclesias, quas illi editis mirabilibus fundauerunt, mirabiliter Apostolicis præditi virtutibus regunt, qui fidem Catholicam aut disputationibus, aut (si ita necessitas expoſcat) membrorum suorum laceratione defendunt, pro qua totis viribus retinenda, amissis facultatibus suis, etiam mori parati sunt. fidelium Catholicorum virtutibus crescunt, qui per eos Deo auctore proficiunt; & Deo suo irreparabiliter adhærentes, in quo sibi credunt solida, ac permansura bona reposita, mundi huius gaudia fugitiua fastidiunt. *S. Prosper de vita contempl. c. 25.*

De eodem.

22 QVIDQVID de omnibus dictum est, magis absque dubio ad eos pertinet, qui exemplo esse hominibus debent, & quos vtiq; tanto antestare cæteris

teris oportet deuotione, quanto anteſtant omnibus dignitate. Nihil eſt enim turpius quam excellentem eſſe quemlibet culmine, & deſpicabilem vtilitate. Quid eſt enim principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine? aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto? Et ideo cunctos, qui ſacri altaris ſuggeſtu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu, &c. Vnde eſt, quod eis Saluator ipſe in Euangelio non, vt cæteris, voluntariũ, ſed imperatiuum officium perfectionis indicit. Quid enim eum laico illi adoleſcenti dixiſſe legimus? Si vis perfectus eſſe, vende quæ habes, & da pauperibus. Quibus autem miniſtris ſuis? Nolite, inquit, poſſidere aurũ, neq; argentũ, neq; pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neque virgam. Videte, quanta ſit in vtroq; hoc ſermone Dei diuerſitas. Laico dico dixit: Si vis. Miniſtro autem: Nolo poſſideas, &c. *Saluianus Maſſilienſis l. 2. ad Eccleſiam Catholicam.*

Mat. 19

Mat. 10

De eodem.

SACERDOS, qui holocauſtum offert, vnuſquiſque perfecte ſapiens intelligitur, qui Sacerdotium perfectionis exemplum eſt. Propter quod & Regale Sacerdotium populus fidelis appellatur, vtpote legem perfectam Euangelij ſuſcipiens. *Iſychius in Leuit. l. 2. cap. 1.* 23

De

De eodem.

24 TALES esse debent Sacerdotes, vt & Deo sint grati, & hominibus sint accepti. *Innoc.3.de sacro altaris mysterio l.1.c.9.*

Qualis esse debeat, qui pro aliis intercedit.

25 EMENDATIOREM esse conuenit populo, quem necesse est orare pro populo. *Hormisda Papa dist.61. c.non negamus. Vide sup. Eum qui pro ciuitate, n.13.*

De eodem.

26 SOLERTER se quisque metiatur, ne locum regiminis assumere audeat, si in se adhuc vitium damnabiliter regnat, ne is, quem crimen deprauat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum. *S.Gregor. in Pastor. p.1.c.11.*

De eodem.

27 QVI in erudiendis, atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est, vt in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Primitus quippe rector semetipsum corrigat, qui alios ad bene viuendum admonere debet; ita, vt in omnibus semetipsum formam viuendi præbeat, cunctosq; ad bonum opus doctrina, & opere prouocet, &c. *S. Isidorus de off. l.2.de Sacerdotibus.*

De eodem, ex S. Francisco.

28 QVANTA res sit Sacerdotium, in eo ostendit S. Franciscus, quod se indignum illo iudicans num-

numquam promoueri sit passus, soloq; Diaconatus officio contentus, quoad vixit, fuit. Cogitent nunc Sacerdotes, quales eos deceat perfectio, si Franciscus suam non sufficere credidit. *M. Marulus l. 3. c. 15. de dictis & factis memorabilibus.*

De eodem.

SIT Sacerdos necesse est cogitatione mundus, 29
actione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam in interiorum sollicitudine non relinquens. *Concil. Aquisgran. sub Lodouico. Prou. c. 9. ex S. Greg. p. 2. Pastoral. c. 5. 6. 7.*

De eodem.

NIHIL est, quod alios magis ad pietatem, & 30
Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt. Cum enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciuntur, in eos tamquã speculum reliqui oculos conijciunt, ex iisq; sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresq; suos componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil nisi graue, moderatum, ac religione plenum præseferant. Leuia etiam delicta,

licta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem, *Concil. Trident. Sess. 22. c. 1. de reform.*

De eodem.

31 OPTANDVM est, vt hi qui Episcopale ministeriũ suscipiunt, quæ suæ sunt partes, agnoscant, &c. Admonet Sancta Synodus Episcopos omnes, vt secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant. In primis vero ita mores suos omnes componant, vt reliqui ab eis fragilitatis, modestiæ, continẽtiæ, ac (quæ nos Deo tantopere commendat) humilitatis sanctæ exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginiensi non solum iubet, vt Episcopi modesta suppellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat, &c. Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem in quibuscumq;, beneficia Ecclesiastica tam sæcularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione, obseruari decernit. *Idem Concil. Trident. Sess. 25. c. 1. de reform. Concil. Carthagin. 4. c. 15. dist. 45. c. Episcopus. Toletan. 4. c. 7. 15. dist. 44. Pro reuerentia. Rhemense. c. 17. Africanum. c. 6.*

Carthag. 4. c. 15.

Sacer-

Sacerdotis est facere, & docere.

PRESBYTERI officium cælestem quandam vi- 32
tam requirit, &c. *Vt sup. p. 1. c. 2. §. 1. de off. Sacerdotum, n. 22.*

Prius seipsum doceat Sacerdos, deinde alios.

SI sapis, Sacerdos, concham te exhibeas, & non 33
canalem, &c. *Vt inf. c. 7. §. 1. de doctrina, n. 36.*

Differentia Sacerdotalis, & Monachalis officij.

HÆC duo in attentiore Christianorum deuo- 34
tione præstantiora esse quis ambigat, Clericorum officia, & Monachorum instituta? Ista ad comitatem, & moralitatem disciplina, illa ad abstinentiam assuefacta, atq; patientiam: hæc velut in quodam theatro, illa in secreto: spectatur ista, illa absconditur, &c. *S. Ambros. l. 10. ep. 82.*

Sacerdos sanctior esse debet illis, qui ad montes confugiunt.

Eos, qui Sacerdotum munere funguntur, san- 35
ctiores, ac puriores illis esse oportet, qui ad montes se contulerunt. Siquidem illi, & sui, & plebis; hi autem, sui dumtaxat curam gerunt. Atque illi in huiusmodi dignitatis fastigio collocati sunt, omnesque vitam eorum perscrutantur, & explorant: hi autem in spelunca sedent, aut sua vulnera curantes, aut vitia obtegentes, aut etiam coronas sibi ipsis texentes. *S. Isid. Pelus. l. 2. ep. 284.*

Per-

Perfecti viri descriptio.

36 SIGNA proficientis sunt, neminem reprehendere, neminem laudare, neminem culpare, neminem accusare, nihil de seipso prædicare, quasi aliquis sit, aut aliquid sciat. Cum in aliqua re impeditus fuerit, aut prohibitus, seipsum accusat; si ab aliquo laudatur, secum ipse deridet laudatorem; si reprehenditur, non defendit se, sed ritu infirmorum circuit, metuens, ne statum illum conuellat prius, quam is confirmetur. Omne desiderium à se dependens habet; auersationem ad ea sola, quæ naturæ eorum repugnant quæ nobis parent, transtulit: appetitione ad omnia remissa vtitur: siue stolidus, siue indoctus habeatur, non curat. Denique, vt inimicum, & insidiatorem seipsum obseruat. *Epictetus in Enchiridio, c. 72.*

Sacerdotalis vitæ epitome.

Incerti auctoris.

37 SACERDOS debet esse
Christi alumnus,
A peccatis segregatus,
Rector, non Raptor,
Speculator, non Spiculator,
Dispensator, non Dissipator,
Pius in iudicio,
Iustus in concilio,
Deuotus in choro,
Stabilis in Ecclesia,
Sobrius in mensa,
Prudens in lætitia,
Purus in conscientia,
Assiduus in oratione,
Humilis in congregatione,
Virilis in contritione,
Patiens in aduersitate,
Lenis in prosperitate,
Diues in virtutibus,
Expeditus in actibus,
Sapiens in sermone,
Verax in prædicatione.

De

De Intentionis puritate, & fine. §. II.

SVMMARIVM.

PVRITAS cordis à Deo petenda. 1.
Malum non suspicatur. 2.
In quo consistit. 5. 7. 8.
Intentio est lucerna actionis. 3.
In ea virtutes subsistunt. 16.
Quæ si in principio est praua, medium, & finem inquinat. 6.
Sollicite purificanda in conspectu Dei, qui oculos figit in eam. 9. 10. 12. 13.
Et solus amari sine socio debet. 11.
Omnia ad eius gloriam facienda. 4.
Nihili faciendæ laudes, aut vituperia hominum. 14. 15.

COR mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. *Psal.* 50. 1

Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. *Prou.* 10. vel saluus erit. *Prou.* 28. 2

Lucerna corporis tui est oculus tuus. *Matth. 6.* *Oculus est intentio, corpus actio. S. Gregor. Moral. l. 28. c. 6.* 3

Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. 1. *Cor.* 10. 4

Puritas intentionis in quo consistat.

PVRITAS intentionis in duobus consistit; in 5

quærenda videlicet gloria Dei, & vtilitate proximi vt in omnibus actibus suis nihil Sacerdos quærat, sed tantum Dei honorem, aut saltem proximorum, aut vtrumque. *S. Bernard. ep. 42.*

Si praua intentione aliquid inchoatur, medium & finis à Dæmone possidentur.

6 Si semel cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas, & terminus ab hoste callido secure possidetur: quoniam totam arborem sibi fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vulnerauit. Summa ergo cura vigilandum, ne vel bonis operibus seruiens mens reproba intentione polluatur. *S. Gregor. Moral. l. 1. c. 20.*

Finis prælaturæ spiritualis quis.

7 Hic est spiritualis omnis præfecturæ finis, nimirum, priuata vtilitate neglecta, aliorum commodis inseruire. *S. Gregor Nazianz. in Apologetico.*

De eodem.

8 Vnctionis fructus est, cultus diuinæ hæreditatis. Ille ergo officium vnctionis exequitur, qui sola quærit lucra animarum. Super hæreditate quippe Domini in principem se vnctum meminit, qui hoc solum de terrena dignitate quærit, quod per suum ministerium Christus quæsiuit. *S. Gregor. c. 4. super l. 1. Reg. c. 9.*

Quan-

Quantam cordis puritatem Dei oculis parare semper debeamus.

OMNI custodia cordis nostri sunt latebræ primitus expiandæ. Quod enim Iudæi in corporis puritate assequi cupiunt, nos debemus etiam in arcanis conscientiæ possidere, in qua Dominus arbiter, atque agonotheta residens, pugnam cursus & certaminis nostri iugiter spectat: vt ea, quæ in propatulo horremus admittere, ne intrinsecus quidem coalescere incauta cogitatione patiamur, &c. *Cassianus l. 6. c. 9. & 21. l. 5. c. 15. collat. 1. c. 7. S. Bonau. de reform. mentis c. 10. Vide inf. c. 8. §. 3. de humilitate, a cap. Quanto magis, n. 20.*

Sollicite inspicienda est mentis intentio in actionibus.

PLERVMQVE virtus, cum indiscrete tenetur, amittitur; cumq; discrete intermittitur, plus tenetur, &c. sed curandum sollicite est, vt, cum quis susceptum negotium cum virtutis cessatione dispensat, semetipsum prius in radice cordis inspiciat; ne sibi per hoc aliquid auarus appetat, sibi per hoc soli timidus parcat, & eo fiat prauum, quod in opere sequitur, quo non ex recta cogitationis intentione generatur. Vnde bene in Euangelio Veritas dicit: Lucerna corporis tui est oculus tuus, &c. *S. Gregor. Moral. l. 28. c. 6.* *Mat. 6.*

Minus te, Domine, amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.

11 *S. Auguſt. l. 10. Confeſſ. c. 29.*

Deus intentionem reſpicit.

12 DEVS verba ex corde penſat, ideo Phariſæum ſua opera narrantem deijcit, Ezechiam eadem commemorantem ſtabilit. *S. Gregor. Moral. l. 12. c. 15. l. 22. c. 8.*

Intentio examinanda in vltimo iudicio.

13 NON quid, ſed propter quid facimus, in illa vltima examinatione quærendum eſt. *S. Proſper de vita contempl. l. 3. c. 14.*

Sacerdos ſolum Deum reſpicere debet, nihil pendens laudes, aut vituperia hominum.

14 QVI aliorum edocendorum prouinciam ſuſceperit, is ne de aliorum laudibus dependeat, neue ab aliis animum deſpondeat. Quin, orationes hoc conſilio meditatus, vt Deo omnipotenti gratæ, acceptæq; ſint, hunc vnum ſibi ſtatuat canonem, ac terminum optimi illarum opificij, non etiam plauſus, ac laudationes. Laudatur is ab hominibus? laudes ne reiiciat. Laudes ab auditoribus illi negantur? eas ne ambiat, neu negatis indoleat. Abundans enim illi fuerit laborum ſolatium, idq; omnium certe maximum, ſi ſibi ipſe conſcius eſſe potuerit, ad hanc ſe rationem, doctrinam, eloquentiamq; ſuam compoſuiſſe, atq; adaptaſſe, vt Deo illa placens, acceptaq; fiat. *S. Chryſoſt. de Sacerdotio.*

dotio l. 5. Vide inf. c. 4. §. 2. de constantia, à cap. non carebis. n. 11. *& c. 8. §. 6. de temporalium contemptu. S. Greg. Moral. l. 6. ep. 14. l. 8. epist. 45. l. 9. ep. 39. & sup. §. proximo, cap. signa, n. 36. S. Bonauen. de inform. nouitiorum. p. 2. c.* 10.

De eodem.

QVI nimium attendit ad voces hominum, nihil recte faciet, iuxta illud: Qui obseruat ventum, numquam seminat; &, qui obseruat nubes, non metet. *S. Thom. super illud Matth.* 11. *Ecce homo potator vini.* 15 Eccle. 11.

Virtutes in intentione subsistunt.

SICVT fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur, sic vita nostra in virtutibus; virtutes autem in intima intentione subsistunt. *S. Greg. Moral. l.* 28. c. 6. 16

CAPVT II.

DE SOBRIETATE, ET TEMPERANTIA, DE SVPELLECTILI, CIBIS, ET CONVIVIIS SACERDOTVM: DE IEIVNIO, VSV CINERVM, ET CILICII: DE BENEDICTIONE MENSÆ, AD EAMQVE LECTIONE: DE SOMNO, VIGILIA, ET QVOTIDIANO CONSCIENTIÆ EXAMINE.

De Sobrietate, & Temperantia, Supellectili, Cibis, & Conuiuiis Sacerdotum. §. 1.

SVMMARIVM.

SOBRIETATEM *amplecti debent Principes Ecclesiæ & Sacerdotes, quia non est regnum Dei esca & potus.* 1. 2. 4. 5. 10.

Maxime

Maxime oraturi, vel celebraturi: quia sobrietas est omnium virtutum mater, sicut ebrietas vitiorum.7.

Victu & vestitu contenti esse debent. 3.26. secundum morem prouinciæ.24.25.

Et modica supellectili, & mensa.27.28. & quibusdam cibis.33.34.35.

Quia Sacerdos est temperantiæ typus.6.

Et ideo debet mãducare vt æger propter necessitatẽ, nec nisi propter eã, aut hospites, lautioribus cibis vesci.8.

Quos tamen ad edendum, vel bibendum vrgere non debet, & qualiter. 9.10.11.

In mensa munditia adhibenda.20.

Sacerdotis conuiuia qualia. 17.18. & in eis qualiter se debeat gerere.21.

Et qui illis interesse, quiq; ab illis abesse debeant.9.

Per ea sæpe corriguntur, qui alias corrigi non potuerunt.19.

Sumente autem corpore cibum suum, mens quoq; suum non negligat, & qualiter.15.21.

Quid etiã post prandium faciendũ.22. Quid post cenam. 36.

Quæ tamen sobria, & frugalis esse debet. ibidem.

Conuiuijs laicorum, & potentium non facile Sacerdos interfit. 23.

De omnibus cibis, qui apponuntur mensæ, gustandum cum gratiarum actione, ad Gloriam Dei. 12.13.14.

Non tamen appetenter sumendi, etiãsi viles sint; quibus tamẽ, & lautioribus parce, & sobrie vescendũ.29.30

Quia tam vilium, quam delicatorum satietas & crapula animæ & corpori damnũ inferunt.10.16.31.32.

1 ABIICIAMVS opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sic vt in die honeste ambulemus; non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. *Rom.* 13.

2 Non est regnum Dei, esca, & potus; sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto. *Rom.* 14.

3 Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationē, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem, &c. 1. *Tim.* 6.

4 Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. 1. *Petr.* 5.

Principes Ecclesiæ debent esse sobrij, exemplo Christi pauperis, & esurientis.

5 Ecclesiæ Principes, qui deliciis affluunt, & inter epulas atque lasciuias pudicitiam se seruare credunt, propheticus sermo describit, quod eijciendi sunt de spatiosis domibus, lautisque conuiuiis, & multo labore epulis conquisitis. Et, si vis scire, quo eijciendi sunt propter malas cogitationes, & opera sua, Euangeliū lege: In tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium. An non confusio, & ignominia est, Iesum crucifixū, magistrum pau-

Mich. 2

perem,

perem,& esurientem, fartis prædicare corporibus, & ieiunorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre ? Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed conuersationem quoque, & abstinentiam amplectamur. *S. Hier. ad cap. 2. Michæ. dist. 55. cap. eod.*

Sacerdos temperantiæ typus.

QVONIAM temperantiæ typum Sacerdotem esse oportet, &, vt illud hominum genus sincerum permaneat, nulla contumelia præbens occasionem conuiciari volentibus, propterea diuinus Apostolus iubet, Dei ministrum testimonium habere bonum ab extraneis, vt non in opprobriũ incidat, & in laqueum diaboli. *Theodoretus de quæst. in Leuit. quæst. 4.* 6 1. Ti. 3.

Sacerdos sit sobrius maxime oraturus, aut sacrificaturus.

VVLT sermo diuinus sobrios esse Domini Sacerdotes, vtpote qui accedentes ad altare Dei orare pro populo debeant, & pro alienis interuenire delictis, qui portionem in terra non habeant, sed ipse Dominus portio eorum sit. Vult ergo, istos, quibus Dominus portio est, sobrios esse, ieiunos, vigilantes in omni tempore, maxime autem, cum ad exorandum Dominum, & sacrificandum in conspectu eius altaribus præsto sunt. Sobrietas enim, omnium virtutum mater est : sicut è con- 7 Num. 2

trario ebrietas, omnium vitiorum, &c. *S. Cyrillus in Leuit. cap. 7.*

Manducet Sacerdos, vt æger, propter necessitatem, nec ipsi propter eam, aut hospites, lautioribus cibis vescatur.

8 SICVT æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet Sacerdos accedere, nequaquam scilicet in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens. Ille autem plene huiusmodi vitium superat, qui in sumendis dapibus non solum parsimoniam tenet, vt scilicet refectionem corporis semper esuries imperet; verum etiam accuratiores simul, & lautiores epulas, excepta corporis infirmitate, & hospitium susceptione, contempsit. *S. Augustinus de conflictu virtutum & vitiorum. Vide inf. n. 13.*

Sacerdos non vrgeat conuiuias ad comedendum, aut bibendum; & qui eius conuiuiis adesse, ab eisque abesse debeant.

9 OPORTET moderatis epulis contentum esse Sacerdotem, suosq; conuiuas ad comedendum, & bibendum non vrgere, quin potius sobrietatis præbeat exemplum. Remoueantur ab eis conuiuio cuncta turpitudinum argumenta, non ludicra spectacula, non fatuorũ stultiloquia, non scurrilum admittantur præstigia: adsint peregrini, & pauperes,

pauperes, & debiles, qui de Sacerdotali mensa Christum benedicentes benedictionem percipiant. *Eusebius Papa decreto* 40. *cap.* 10. *Eutychianus Papa cap. fin. Concil. Carthagin.* 4. *c.* 15. *Rhem. c.* 17. 8.

Sacerdos abstineat à crapula, neque alios ad potus æquales inuitet.

Vide inf. p. 3. *c.* 4. *Ne sit vinolentus, num.* 12. 10

Sacerdotes se inuicem inhonestis conuiuiis non grauent, nec plus quam ter bibant.

QVANDO Presbyteri per candelas simul conueniunt, post peractum diuinum ministerium, ad necessariam collationem, non quasi ad plenam refectionem, sed quasi ad prandium, ibi ad tabulas resideant: ne per talia inhonesta conuiuia se inuicem grauent, quia indecens est, & onerosum. Sæpe etiam tarde ad Ecclesiam redeuntes, maius damnum de reprehensione consequuntur; (quod de grauedine mutua contrahunt) quam lucrum ibi faciant, &c. Et ideo, peractis omnibus quæ volunt, panem cum caritate in domo fratris sui simul cum fratribus frangant, & singuli singulos bibere faciant, & maxime vltra tertiam vicem poculum non contingant. *Concil. Nannet. dist.* 44. *cap. eod.* 11

Gustandum de omnibus quæ apponuntur cum gratiarum actione.

NE similes efficiamur inimicorũ Dei, qui cauteriatam habent conscientiam suam, ac propterea abstinent 12 *1. Cor. 9.* *2. Ti. 4.*

abstinent à cibis, quos Deus creauit ad sumendũ cum gratiarum actione fidelibus: singula (si quando tempus inciderit) attingenda nobis sunt, quatenus iis, qui nos cernunt, ostendamus omnia esse munda mundis; & nihil reijciendum, quod cum gratiarũ actione percipiatur. Sanctificatur enim per Verbum Dei, & orationem. Videndum est tamen &c. *S. Basilius in reg. fus. interrog.* 18. Sic apposita quæque libabat Nepotianus Presbyter, vt & superstitionem fugeret, & continentiam seruaret. *S. Hieron. ep. 3. ad Heliodorum.*

Qualiter ad gloriam Dei manducandum.

13 MANDVCAT quis & bibit ad gloriã Dei, quando diuinorum beneficiorum erga se memoriam conseruat, & eiusmodi animi affectionem retinet, quæ ex compositione etiam corporis declaretur; vt non tamquam securus omnino manducet, sed vt qui inspectorem habet Deum. Et quando in sumendo cibo illud sibi propositum habet, vt non tamquam ventris mancipium, propter voluptatem manducet, sed tamquam operarius Dei, vt in operibus iis, quæ sunt ex mandato Christi, exequendis esse firmior possit. *Idem S. Basilius in reg. breu. interrog.* 196. *Vide inf.* §. 3. *Quando Presbyteri, n.* 7.

Siue manducans, siue bibens, semper & vbique oret Sacerdos.

Vide

Vide sup. p. 1. c. 7. §. 1. de orationis puritate, cap. 14 Siue comeditis, n. 35.

Nequaquam totus manduces, sed corpore tuo suam refectionem procurante, mens suam non negligat.

S. Bernard. ad fratres de monte Dei. 15

Non manducandum ita, vt corpori damnum inferamus, quod per ciborum nimietatem comparatur.

Non cohæret hoc, vt, cum tuendi corporis causa escas assumamus, per easdem ipsas ei rursum bellum inferamus; impedimentoque simus, quo minus præcepta Dei exequi possit. *S. Basilius in reg. fus. interrog.* 19. Legimus enim, quosdam articulari & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos, conualuisse. *S. Hieron. dist. 5. de consecra. c. legimus.* 16

Conuiuia Sacerdotum qualia; & frequenter cum fratribus, maxime pauperibus, facienda.

Conuivia Sacerdotum tunc veraciter ex caritate prodeunt, cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, nec inanes sæcularium in eis negotiorum fabulæ; sed verba lectionis sacræ audiuntur: & cum non plus corpori, quam necesse est, seruitur; sed sola eius infir- 17

infirmitas reficitur, vt ad vsum exercendæ virtutis habeatur. Hæc si vos in vestris conuiuis agitis, abstinentium fateor magistri estis. *S. Gregor. ep. 37. lib. 2. dist. 44. cap. eod. & Vide inf. c. 6. §. 1. de hospitalitate caritatis recipiendæ. n. 8. cum seqq.*

De eodem.

18 NIHIL vilitatis, nihil immodestiæ admittit Sacerdotum conuiuium: non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur: editur, quantum esurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis est vtile: ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, vt qui sciunt Dominũ audire. Post aquam manualem, vt lumina, & quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere. Hinc probatur, quomodo biberit. Æque oratio conuiuium dirimit. Inde discedit ur ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, vt qui non tam cenam cenauerint, quam disciplinam. *Tertullianus in Apolog. & c. 39.*

Sæpe corriguntur per conuiuia qui non corriguntur per disciplinam.

19 PLERVMQVE contingit, vt, quos correctio disciplinę tardos facit ad percipiendam veritatis normam, conuiuiorum sedulitas, & admonitio blanda ad viam perducat iustitiæ. *S. Gregor. 3. ep. 4.*

Mun-

Munditia in mensa adhibenda, & elegantia.

ADHIBENDA in mensa necessario vbiq; mun- 20
ditia est, atque elegantia; ita tamen, vt nusquam extra fines nostros egrediamur. *S. Basilius in regul. fus. interrog.* 20.

Qualiter in mensa se debeat gerere Sacerdos.

Vide inf. c. 2. *§.* 4. *de gestu, risu, &c. cap. paulatim. n.* 21
36. *c. vbi posita. n.* 38. *& qualiter in conuiuio. c. cum aliquid n.* 37.

Post prandium parumper quiescendum.

Vide inf. §. 4. *de somno, & vigilia, cap. post pran-* 22
dium. n. 13.

Sacerdos non facile interfit conuiuiis, maxime sæcularium & potentiorum.

CONVIVIA sibi vitanda sunt sęcularium, & ma- 23
xime eorum, qui honoribus tument. Turpe est, ante fores Sacerdotis Christi crucifixi, & pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum & milites excubare, Iudicemque Prouinciæ melius apud te prandere, quam in palatio, &c. Consolatores nos potius in męroribus suis, quã conuiuas in prosperis, nouerint. Facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandiũ ire non recusat. Numquã petentes: raro accipiamus rogati. Nescio enim quomodo ipse etiã qui deprecatur, vt tribuat, cum acceperis, viliorẽ te iudicat;

&

& mirum in modum, si, cum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur, &c. *S. Hieron. ep. 2. ad Nepotianum.*

In cibis & vestimentis mores eorum, cum quibus viuimus, obseruare debemus.

24 QVISQVIS rebus prætereuntibus restrictius vtitur, quã sese habent mores eorũ, cum quibus viuit, aut intẽperans aut superstitiosus est: quisquis vero sic eis vtitur, vt metas consuetudinis bonorũ, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est, &c. *S. Augustin. dist. 41. c. quisquis, iunctio c. Clericus, & quæ ibi refert Gratianus. Idem S. Aug. ep. 209. ad Monachas. S. Basilius in reg. fusior. interrog. 19. Vide infra c. 3. §. 1. Num. 9.*

De eodem.

25 QVIDQVID extra consuetudinem præsumitur vsumq; communem, vanæ gloriæ atq; ostentationis morbo pollutum, antiquissima Patrum traditio notat, &c. *Cassianus. l. 5. c. 23.*

Sacerdos sit contentus victu, & vestitu.

26 SI ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis, nec accipio hæreditatem inter cæteras tribus, sed quasi Leuita, & Sacerdos viuo de decimis; & altari seruiens altaris oblatione sustentor, habens

bens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. *S. Hieron. ad Nepotianum, 12. q. 1. c. clericus.*

Vilis supellex, & mensa Sacerdotum.

VILEM supellectilem & mensam, ac victum pauperem habeat Sacerdos, & dignitatis suæ auctorem fide & vitę meritis quærat. *Concil. Carthag. 4. c. 15. dist. 41. c. Episcopus.* 27

De eodem.

EXEMPLO Patrum nostrorum, in Concilio Carthaginensi Sancta Synodus non solum iubet, vt Episcopi & Sacerdotes modesta supellectili ac mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ, & tota eius domo, &c. *Vt sup. cap. 1. §. 1. de sanctitate. c. optandum, n. 31.* 28

Parum prodest, quibusdam abstinere, & alias delicias in cibis quærere.

QVID prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesque ciborum quærere, caricas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pystacia. Tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non vescamur pane; &, dum delicias sectamur, à regno cælorum retrahimur, &c. & famam abstinentiæ in delicijs quærimus. *S. Hieron. ep. 2. ad Nepotianum. S. Bernard. in apologia ad Guilielmum Abbatem.* 29

Deliciæ perceptæ sine desiderio non obsunt: quod est secus in cibis etiam vilibus appetenter editis.

30 DELICIÆ quælibet, si absque desiderio præcipiantur, non officiunt: & viles cibi appetenter accepti impediunt effectum abstinentiæ. Dauid 2. Re. 23 enim aquam male concupitam effudit, & Elias 3. Re. 17. carnes comedit. *S. Augustinus dist. 41. c. eod. licet inter opera S. Augustini non inueniatur, inuenitur autem inter opera S. Prosperi Aquitanici de vita contempl. l. 2. c. 22. S. Gregor. Moral. lib. 30. c. 13.*

Vilium ciborum satietas æque vt delicatorum vitanda.

31 NON solum abstinendum est à delicatis cibis, verum etiam à vilibus, & cum æquali temperantia continendum est: immo panis & aquę satietas est timenda, vt possit in nobis acquisita puritas permanere. *S. Bonau. de puritate conscientiæ, c. 8.*

De eodem.

32 SATIVS est, modico vino vti. *Vt inf. p. 3. cap. 4. ne sit vinolentus, n. 24.*

Qui cibi sint comedendi.

33 ABSCINDAMVS à nobis eos cibos, qui impugnare possunt, tum vero etiam calidos, ne oleum flammæ adijciamus; deinde vero suaues quoque

ac

ac delicatos, si fieri potest; cibos corpori indulgeamus, qui facile repleant, & maxime leues, vilesq;, & exigui sint, vt ex repletione facile inexplebilem eius auiditatem satiemus, &c. *S. Basilius oratione 6. de ieiunio. S. Climacus gradu. 14. de gula. S. Bonau. in regul. nouitiorum c. 6.*

De eodem.

SIT mensa frugalis de cibis, & simplicibus, non nimis delicatis, nec nimis grossis, sed medio temperatis: quia hoc expedit ad sanitatem corporis. *Concil. Hildesem. in form viuendi Canonicorum, c. 14.* 34

De eodem.

DE condimentis sufficiat, obsecro, vt comestibiles fiant cibi nostri, non etiam concupiscibiles, vel delectabiles. *S. Bernardus ad fratres de monte Dei. Alia de hac materia vide infar. p. 3. c. 3. de rebus Sacerdoti prohibitis in genere, & cap. 4. ne sit vinolentus.* 35

Cena nocturna debet esse sobria.

CENA frugalis sit & sobria, alioqui multa inconuenientia sentiet Sacerdos, &c. & completa cena si honeste recreari voluerit cum familia, non est inconueniens. *Concil. Hildesem. in form. viu. can. cap. 48. & 50.* 36

De ieiunio, vsu Cinerum, & Cilicij. §. II.

SVMMARIVM.

IEIVNII *epitheta. & effectus.* 7. 8. 9.

Oratio cum ieiunio bona, & Deo grata. 1. 2. 3. 6.

Nec sufficit corpore ieiunare, nisi etiam anima ieiunet. 26. 27.

Quibus rebus abstinendum sit diebus ieiuniorum, & qualiter vescendum. 12. 14.

In eis seruari debet ciborum qualitas, quantitas, modus, tempus. 13.

Qualis autem sit generalis continentiæ, & refectionis modus. 17. 18.

Medium in ieiunio tenendum. 19. 20. 21. 22.

Quod quidem melius est moderatum & assiduum, quam per interualla immoderatum. 23. 24.

Aquæ & panis ieiunium fortissimum. 25.

Somnus & cibus hora præstituta sumendi. 13. 14. 15.

Collatio nocturna qualis in die ieiuni. 16.

Clerici abstineant septem hebdomadibus plenis ante Pascha carne & delicijs, eoque tempore quid agendum. Quodque ieiunium quadragesimæ sit decima totius anni. 10.

Quod quidem ieiunium qui soluit magna punitione dignus. 11.

Benedictio cinerum in capite ieiunij. 28.

Sacer

Sacerdotes consueuerunt se & altaria ciliciis induere, & cinere capita conspergere. 1.3.4.5.
Cilicium, habitus pœnitentiæ & humilitatis. 39.
Cilicium, & Cinis quid notent. 30.31.

INDVERVNT se Sacerdotes cilicijs, &c. & altare Domini operuerunt cilicio, &c. &, Eliachim Sacerdos allocutus est eos, dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis & orationibus in conspectu Domini, &c. etiam hi, qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis offerebant sacrificia Domino, &c. *Iudith.* 4. 1

Bona est oratio cum ieiunio. *Iob.* 12. 2

Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in sinu meo conuertetur. *Psal.* 134. 3

Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion: conspersérunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis. *Tren.* 2. 4

In domo Pulueris puluere vos conspergite. *Mich.* 1. 5

In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in ieiunijs, &c. 2. *Cor.* 6. 6

Ieiunij epitheta, & effectus.

IEIVNIVM est animæ optima custodia, corporis habitatio secura, fortibus viris munimentum & arma, athletis & certantibus exercitatio. Hoc tentationes propulsat, ad pietatem armat, cum so- 7

brietate habitat, temperantiæ opifex est, in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet, Nazaræum sanctificat, Sacerdotem perficit: nec enim fas est sine ieiunio sacrificium attingere, &c. *S. Basilius hom. 1. de ieiunio, ante medium.*

De eodem.

8 IEIVNIVM purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinũ ardores extinguit, castitatis lumen accendit. *S. Augustin. serm. de ieiunio.*

De eodem.

9 EST quidem Ieiunium vitiorum mors, vita virtutum, pax corporis, membrorum decus, & ornamentum vitæ, robur mentium, vigor animorum, castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis, schola meritorum, Ecclesiasticę vitę viaticum salutare, &c. *S. Petrus Chrysologus serm. de ieiunio, & eleemosina.*

Septem hebdomadibus ante Pascha abstineant clerici à carne & deliciis: ac de ieiunio quatuor temporum.

10 SEPTEM hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici in sortem Domini vocati à carne ieiunent; quia, sicut discreta debet esse vita clericorum à laicorum conuersatione, ita & in ieiunio debet esse discretio. Has ergo septem hebdomadas omnes clerici à carne & deliciis ieiunent, & hymnis, & vigiliis, atque orationibus Domino

mino inhærere diu noctuque studeant. *Telesphorus Papa dist. 4. c. statuimus. de quo vide Cassianum per totam collationem 21. Vltra quem, quod ieiunium Quadragesimæ sit decima totius anni, quam Deo soluimus, probat Rupertus de diuin. offic. l. 4. c. 9. Ieiunia autem quatuor temporum licet à Calist. 1. summo Pontifice instituta esse memorentur anno Domini CCXVII. dist. 76. c. ieiunium 1. cum sequentibus. tamen ex Apostolica institutione sumpsisse originem confirmare videtur S. Leo serm. 9. de ieiunio septimi mensis.*

Soluens Christi ieiunium maiori pœna dignus est, quam Ionathas, qui propter ieiunium à patre indictum morte damnatus est.

SI ignorans Ionathas, indictum à patre ieiunium, quia resoluit, morti addicitur; qui sciens indictum à Christo resoluit ieiunium, quid meretur? *S. Ambrosius serm. 24. 26.* 11 2. *Re.* 14

Diebus ieiuniorum abstinendum à lacticiniis, & à piscibus pretiosis, & à nimia vini potatione.

PAR est, vt, quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoq;, quæ sementinam trahunt originem, ieiunemus; à lacte videlicet, caseo, & ouis. Cæterũ piscium esus ita Christiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium. Deniq;, qui à carne abstinent, nequaquam sumptuosiora belluarũ marinarũ conuiuia pręparent *a* Vinũ quoq; ita bibere 12

permittitur, vt ebrietatem omnino fugiamus; alioqui restat, vt omnia, quæ corpori libent, similiter faciamus. *S. Gregor. dist. 4. c. denique.*

a Vinum] *sex diebus magnæ hebdomadæ vini vsum prohibitum Christianis, pane tantum, sale, oleribus, & aqua mensæ adhibitis, refert. S. Clemens de constitut. Apost. lib. 5. cap. 17. Quod confirmat S. Cyrillus Ierosol. Catechesi 4. de cibis. describens ieiunium Ecclesiæ Ierosolymitanæ alio etiam tempore. Et Epiphanius in compendiaria vera doctrina de fide Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ. Orig. lib. 3. in Iob. 8. Chrysost. homilia. 6. ad populum Antioch. S. Augustin. serm. 64. & 65. de tempore. S. Hieronymus lib. 2. contra Iouianum. Theophil. Alex. epist. 3. Paschali, vbi, qui legum, inquit præcepta custodiunt, ignorant vinum in ieiuniis, carnium esum repudiant, &c.*

Obseruari debet in ieiunio ciborum qualitas, quantitas, modus & tempus.

13 OBSERVANDVS est sumendi modus, & tempus, cibi quantitas, & qualitas. Fugienda quoque sunt superflua, & adulterina condimenta. Obseruandus est modus, vt non effundat, qui comedit animam suam super omnem cibum: tempus, ne ante horam: qualitas, qualibus vtitur communitas fraternitatis, excepta causa manifestæ infirmitatis. *S. Bonauen. in Phar. lib. 2. cap. 36. ex S. Bernardo. Vide inf. §. 1. n. 8.*

Quali-

Qualiter vescendum diebus ieiuniorum.

ABSTINENTIA est, quę edendi horam non prę- 14
uenit, vt fecit Ionathas in fauo mellis: non lautiora quærit edere, vt Israëlitæ in deserto: non accuratius parare, vt filij Heli in Silo: non ad superfluitatem, vt Sodomitæ: non vile quodlibet, vt Esau edulium in fame concupiuit. *S. Gregor. p. 3. Pastoral. admonitione 20. & Moralium lib. 30. c. 13.*

Somnus & cibus, hora præstituta sumendi.

SICVT festinandum nobis est, ne appetitu cor- 15
poreæ voluptatis in dissolutionem noxiam dilabamur, & præstitutum tempus vel cibo indulgere, vel modum eius præsumamus excedere; ita est escæ somnique refectio hora legitima, etiam si horreat, ingerenda. Vtrumque enim bellum aduersarij factione consurgit; & perniciosius continentia immoderata, quam saturitas remissa supplantat. *Cassian. coll. 2. c. 17. S. Basilius oratione 16. de ingluuie, & ebrietate.*

De collatione nocturna in die ieiunij.

SI ieiunium extiterit, tunc secundum consue- 16
tudinem potest ad collationem aliquid parum gustari, siue de speciebus, siue de torta cum potu conuenienti. *Concil Hildesem. in formula viuendi canonicorum. c. 47.*

Quis sit generalis continentiæ, ac refectionis modus.

GENERALIS hic continentiæ modus est, vt se- 17

cundum capacitatem viriũ, vel corporis, vel ætatis tantum ſibimet cibi vnusquiſque concedat, quantum ſuſtentatio carnis, non quantum deſiderium ſaturitatis expoſcit, &c. vt enim mens cibi inanitate laſſata perdit orationis vigorem, dum carnis laſſitudine nimia prægrauata dormitare cõpellitur; ita rurſum, nimietate voracitatis oppreſſa, emittere ad Deum preces puras, leuesque non poterit. *Caſsianus collat. 2. c. 22. S. Baſilius in conſtitut. monaſt. c. 5. S. Gregor. Moral. l. 20. c. 31.*

De eodem.

18 TANTVM tibi ieiuniorum modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, caſta, ſimplicia, moderata, & non ſuperſtitioſa ieiunia. *S. Hieron. ad Nepotianum, ep. 2.*

Medium in ieiunio tenendum.

19 IEIVNIA ſic tẽperare ſtudeas, vt non laſciuias, nec etiam deficias in ſeruitio Domini: hoc namque tentator omnino nititur perſuadere, vt aut nimis homo repleat ventrem, aut etiam indiſcrete abſtineat; ſed medium eſt tenendum. *Concil. Hildeſem. in form. viuendi canonicorum, c. 15.*

De eodem.

20 NON quod ſecundum Apoſtolũ, &c. Affligendum eſt corpus aliquando, ſed non conterendum. *S. Bern. ad fratres de monte Dei.*

De eodem.

21 ETIAM in bonis immoderatum aliquid non debet eſſe, &c. *Vt inf. c. 4. §. 1. de prudentia, n. 18.*

De

De eodem.

VIRTVS abstinentiæ aut omnina nulla est, si 22
tantum quisq; corpus non edomat quantũ valet; aut valde inordinata est, si corpus atterit plus quã valet. Per abstinentiam quippe carnis vitia sunt extinguẽda, non caro; & tanto quisq; sibimet debet moderamine præesse, vt & ad culpam caro non superbiat, & tantum ad effectum rectitudinis in operatione subsistat. *S. Gregor. Moral. l. 20. c. 31.*

Melius est ieiunium moderatum, & assiduum, quam immoderatum per interualla.

MELIOR est rationabilis cum moderatione 23
quotidiana refectio, quam per interualla arduum longumq; ieiunium, *Cassian. l. 5. c. 9. l. 6. c. fin. S. Hieron. ad Furiam. S. Bernardus de modo bene viuendi, ser. 24. & de Passione Domini c. 42.*

De eodem.

PARCVS cibus, & venter semper esuriens tri- 24
duanis ieiuniis prefertur; & multo melius est quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluuia enim illa optima est, quæ sensim descendit in terram: subitus autem & nimius imber in præceps arua subuertit. *S. Bonau. in Phar l. 2. c. 36. ex S. Ambrosio.*

Fortissimum ieiunium est, aqua & panis.

S. Hieron. epist. 2. ad Nepotianum.

25

Non

Non sufficit corpore ieiunare, nisi etiam anima ieiunet.

26 NON est nobis aduersarius extrinsecus formidandus: in nobismet ipsis hostis incluſus est, intestinum nobis quotidie geritur bellum. Deuicto eo, omnia, quæ forinsecus sunt, redduntur infirma, ac militi Christi vniuersa pacata erunt, & subdita, &c. Nec solum nobis istud ieiunium visibilium ciborum ad perfectionem cordis, & corporis puritatē sufficere posse credamus, nisi huic fuerit animæ quoq; ieiunium copulatum: habet namq; & illa suos noxios cibos, quibus impinguata etiam sine escarū abundantia ad luxuriæ prærupta deuoluitur, &c. Nam, si corporaliter ieiunantes pernicioſissimis animæ vitiis implicemur, nihil nobis proderit carnalis afflictio, pretioſiore parte polluta: per eam scilicet substantiam delinquentibus nobis, qua efficimur habitaculum Spiritus sancti, &c. *Cassianus l. 5. c. 21.*

Perfecte ieiunat exterior homo orante interiore.

27 HOC est perfectum & rationabile ieiunium, quando noster homo exterior ieiunat, interior orat. Facilius enim per ieiunium oratio penetrat cælum: tunc enim homo spiritalis efficitur, Angelis coniungitur, Deo liberius copulatur, &c. Ieiunia cum bonis operibus coniuncta Deo acceptabilia sunt: qui autem à cibis abstinent, & praue agunt, Dæmones imitantur, quibus esca non est, & ne-

& nequitia semper est, &c. *S. Isid. de summo bono l. 2.c.44.*

De benedictione cinerum in capite ieiunij.

FERIA quarta cinerum ante Missam benedi- 28
cantur cineres facti de ramis benedictis præteriti anni, si habentur, in medio chori ante altare. *Sacerdotale Romanum p.2.c.6.*

Cilicium, habitus pœnitentiæ & humilitatis.

CILICIVM, habitus pœnitentium, Psalmista te- 29
ste, qui dicit: Ego autem, cum mihi molesti es- *Psal.34.*
sent, induebam me cilicio, hoc est, habitu pœnitentiæ & humilitatis, quo furorem persequentium aut leuius sufferrem placidus, aut etiam mitigarem, assumpsi, &c. *Ven. Beda de tabernaculo l.2.c.2.*

Cilicium, & Cinis quid notent.

IN Cilicio, quod de pilis caprarum contexitur, 30
asperam peccati pungentis memoriam, qua in die iudicij sinistra pars est induenda, significat: in Cinere autem, mortis considerationem, per quam tota humani generis massa in puluerem est redigenda, demonstrat. *Idem Beda sup.c.10. Luc.l.3.*

De eodem.

IN Cilicio, & Cinere pœnitens deplorat pec- 31
catum; quod in Cilicio asperitas, & compunctio peccatorum, in Cinere puluis ostenditur mortuorum. Et idcirco in vtroque pœnitentiam agimus, vt & compunctione Cilicij agnoscamus vitia, quæ

per

per culpam commisimus; & per fauillam Cineris perpendamus mortis sententiam, ad quam peccando peruenimus. *S. Isid. de off. l. 2. c. de pœnitentibus. S. Gregor. Moral. l. 35 c. 5.*

De Benedictione mensæ, ad eamque Lectione.

§. III.

SVMMARIVM.

ANTE & post prandium benedicenda mensa, & gratiæ Deo agendæ. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Inter comedendum nihil immodestiæ admittendum, & quid ibi gerendum. 6. 7.

Semper immiscenda lectio diuinarum Scripturarum. 7. 8. 9. 10. 11.

Post prandium, vltra actionem gratiarum, subsequatur aliqua viuæ vocis exhortatio. 9. 10.

1 CENANTIBVS autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis, &c. & hymno dicto, exierunt in montem oliueti. *Matth. 26. Marc. 6.*

2 Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. *Luc. 24.*

3 Accepit Iesus panes: & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. *Io. 6.*

Gra-

Gratiæ Deo agendæ ante & post prandium, & quare.

OPVS est, nos & mensam petentes, & desistentes, Deo gratias agere. Ad hóc enim paratus numquam in ebrietatem decidet, aut insolentiam, numquam crapula disrumpetur; sed orationis expectationem pro freno sensibus habens impositam cum debita modestia ex omnibus appositis sumat: & multa quidem animam, multa vero benedictione corpus implebit. Mensa namque ab oratione sumens initium, & in oratione desinens numquam deficiet, &c. *S. Chrys. hom. 79. ad populum Antioch. S. Basilius hom. in Martyrem Iulittam, quæ est 5. inter varias. & oratione 2. de precatione. S. Ambros. l. 3. de Virginibus.* 4

De eodem.

NON oportet clericos, nisi hymno dicto, comedere panem, & post cibos gratias auctori Deo referre. *Ex decretis Martini Episcopi Bracharensis, non Papæ, vt male allegatur à Gratiano dist. 44. c. non liceat.* 5

De eodem.

NIHIL vilitatis, nihil immodestię admittit Christianorum conuiuium: non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur, &c. Æque oratio conuiuium dirimit. *vt sup. §. 1. de sobrietate.* 6

De

De eodem: ac de lectione ad mensam, & qualiter.

7 QVANDO Presbyteri conueniunt ad aliquod conuiuium, Decanus aut aliquis Prior illorum versum ante cenam incipiat, & cibum benedicat; & tunc secundum ordinem sedeant, alter alteri honorem prębentes, & per vices cibum, & potum benedicant. Et aliquis de illorum clericis aliquid de sancta Scriptura legat, & post refectionem similiter sanctum hymnum dicant, ad exemplum Mat.26 Domini, sicut in cena fecisse legitur, & sic se contineant omnes Presbyteri, maxime in talibus locis, vt non vituperetur ministerium illorum. *Concil. Nannet. cap.* 11. 12. *dist.* 44. *c. eod. Burchardus. l.* 2. *c.* 162. *Iuo. p.* 6. *c.* 253. *S. Thom. opusc.* 65. *c.* 7. *Vide sup. §.* 1. *c. manducat, n.* 13.

De eadem lectione inter comedendum.

8 PRO reuerentia Dei, & Sacerdotum, id vniuersa constituit Synodus, vt (quia solent mensis crebro otiosæ fabulæ interponi) in omni Sacerdotali cõuiuio lectio diuinarum Scripturarum immiscea-tur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur. *Concil. Toletan.* 3. *c.* 7. *dist.* 44. *c. eod. Africanum c.* 6. *Rhem. c.* 17. 18. *Trident. Sess.* 2. *&* 25. *c.* 1. *de reform.*

De eodem; ac de viuæ vocis exhortatione post prandium.

9 RECITETVR ad mensam sacra lectio, subsequatur viuæ vocis exhortatio; vt non tantum corpo-

rali cibo, immo verbi spiritualis alimento conuiuantes se refectos gratulentur, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum Dominum nostrum. *Eusebius Papa, & Eutychianus, Concil. Carthagin. 4. c. 15.*

De eodem.

AD mensam non solum fauces cibum capiant, sed etiam aures exhauriant verbum Dei. *S. Bernard. in Speculo Monachorum.* 10.

Multo auidius audienda lectio ad mensam, quam comedendum, aut bibendum.

MAIORE multo cum delectatione debemus audire, quæ ad mensam accumbentibus nobis leguntur, quam cum quanta aut edimus, aut bibimus: idque, vt appareat, mentem nequaquam distrahi ad corporis voluptates, sed maiorem in modum se in verbis Domini oblectare. Quod ille faciebat, qui dixit: Dulciora super mel, & fauum. *S. Basilius in reg. breu. resp. 180. Cassian. l. 4. i. 17. Alia de hac materia vide sup. §. 1. & inf. p. 3. c. 3. de rebus Sacerdoti prohibitis in genere, c. 4. ne sit vinolentus.* 11 *Psal. 18.*

De Somno, Vigilia, & quotidiano Conscientiæ examine.

§. IIII.

SVMMARIVM.

NOCTV *semper vigilandum, & in oratione pernoctandum.* 1.2.3.5.6.7.8.9.12.

Quia nox est tempus ad orationem aptum, & tenebræ habent quandam religionem. 18.19.

Suo tamen tempore dormiendum. 12.

Et tantum pro necessitate. 14.

Quia suspecta res est somnus, & ideo totus quis dormire non debet. 11.16.

Vt faciebat S. Hieronymus, vtq; docet Cassianus, & qualiter Hippocrates. 15.

Dormituro tamen ad lectum qualiter eundum, ibique manendum, & ab eo surgendum. 10.11.

Euigilandumq; ad diurnum auium concentum. 20.

Et qualiter, quidq; postea faciendum. 21.

Post prandium parumper quiescendum, maxime in æstate 13.

Conscientia semper ante somnum examinanda, ex traditione S. Petri, & Sanctorum. 1.4.22.23.24.25.26.28.

Et Philosophorum. 25.27.29.30.

1 MEDITATVS sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. *Psal.* 76.

Memor

Memor fui nocte nominis tui Domine: & cu- 2
ſtodiui legem tuam. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. *Pſal.* 118.

In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, 3
& benedicite Dominum. *Pſal.* 133.

Quis ſuperponet in cogitatu meo flagella, & in 4
corde meo doctrinam ſapientiæ, vt ignorationibus eorum (ſcilicet linguæ, & labiorum) non parcant mihi, & non appareant delicta eorum, & ne adincreſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent, & incidam in conſpectu aduerſariorum meorum, & gaudeat ſuper me inimicus meus? *Eccl.* 23.

Conſurge, lauda in nocte in principio vigilia- 5
rum: effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum. *Tren.* 2.

Vigilate, & orate vt non intretis in tentatio- 6
nem. *Matth.* 26.

Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus do- 7
mus veniat; ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum venerit repente, inueniat vos dormientis. *Marc.* 13.

Vigilate omni tempore orantes. *Luc.* 12. 21. 8

Si non vigilaueris, veniam ad te tamquam fur; 9
& neſcies qua hora veniam ad te. *Apoc.* 3.

Qualiter eundum ad lectum, ibique manendum, ab eoque ſurgendum.

SEMPER cum ad horam peruueneris dormiendi, 10

non præuento tempore, primo aſpergas te aquâ benedicta, & tunc vadens ad lectum aliquam orationem præmittas, & facto tibi ſignaculo Crucis in lecto, & te Domino humiliter commendato, honeſte, & compoſite iaceas in dextro, vel ſiniſtro latere, numquam tamen ſupinus, vel aliter inhoneſtus. Numquam dormias cum manibus in ſinu poſitis, nec cruribus eleuatis, vel diſcoopertis, vt nullus te inueniat inhoneſte iacentem. *S. Bonau. in reg. nouitiorum, c. 7. & in ſpeculo diſciplinæ, particula 3. c. 7. & poſt particulam 4. c. 2.* Et ſurgens à lecto ipſum decẽter operi, ne velut irrationabilium cubile remaneat imparatum. *Idem in dicto ſpeculo diſcip. part. 3. c. 9.*

De eodem.

11 ITVRVS ad ſomnum, aliquid tecũ defer in memoria & cogitatione, in quo placide obdormias, quod etiam ſomniare iuuet. Sic tibi nox vt dies illuminabitur, & nox illuminatio tua in delicijs tuis. Placide obdormies, in pace quieſces, facile euigilabis, & ſurgens facilis eris ad redeundũ in diẽ, vnde non totus deceſſiſti. *S. Bern. ad fratres de Monte Dei.*

Dormiendum ſuo tempore.

12 SICVT feſtinandum nobis eſt, &c. *vt ſup. §. 1. de ieiunio, n. 15.*

Poſt prandium parumper quieſcendum.

13 POSTprandium, ſi naturæ tuæ conuenit, potes parũ quieſcere, & maxime in æſtate, ne caput grauetur. *Concil. Hildeſem. in form. viu. can. c. 44.*

Dor-

Dormiendum tantum pro necessitate.

QVIETI & somno tantum tempus impende, 14
quantum cogit ipsa necessitas: quies enim diuturna corpus emollit, & libidinis ignem facile accendit. *S. Ephraëm de vita spirituali, c. 76.*

Quo somno vtebatur S. Hieronymus, & quem præfigit Cassianus, & quem Hippocrates.

CONSVETVDINEM meam nosti: breuissimo 15
somno vtor, & quasi interuigilo. Satis est mihi, vigilare desiuisse. Aliquando dormijsse me sentio, aliquando suspicor. *S. Hieron. ep. 87. de viris illustribus. Quem terminum quatuor horarum spatio concludendũ esse, tradit Cassianus coll. 12. c. 15. Somnus tamen, & vigilia mediũ tenere debent: vtraq; enim, si modum excedant, malum. Hippocrates l. 2. Aphorismorum, c. 3.*

Nemo totus dormiat.

CAVE in quantum potes, Sacerdos, ne totus ali- 16
quando dormias, ne sit somnus tuus non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati; non reparatio, sed extinctio corporis tui. Suspecta res est somnus, & magna ex parte ebrietati similis. *S. Bernardus ad fratres de Monte Dei.*

Pernoctandum in oratione.

PERNOCTA in oratione & prece, incumbe no- 17
cturnis Vigilijs: ad modicum clausis oculis rursum ora. *S. Isid. in Synonimis. Non tamen ad ignem vigilandum, quia vsitatum est hosti homines ad prunas seducere, &c. S. Bonau. in speculo disc. particula 4. c. 6.*

Nox, tempus ad orationem aptum.

18 NOCTE ad sapientiam nihil commodius: hac enim persæpe de Deo cogitamus, lectioni, contemplationi diuinarum Scripturarum vacamus, psallitur, oratur. *S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi illuminatorum 9. S. Bernardus ser. 86. S. Basilius oratione 2. de precatione.*

Habent religionem tenebræ.

19 *Euripides in Bacchis, articulo 2.*

Euigilandum ad diurnum auium concentum.

20 DOLENTES referimus, quod non solum quidam minores clerici, verum etiam aliqui Ecclesiarum Prælati circa comessationes superfluas, & confabulationes illicitas, (vt de aliis taceam) fere medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes vix ad diurnum concentum auium excitantur, &c. *Innoc. 3. de celebr. Missarum, c. eod.*

Qualiter euigilandum, ac deinde quid faciendum.

21 SI dormitum eas de sero, & euigilare assuescas de mane, & surgens aliquid boni mediteris, videlicet de futuro iudicio, quomodo tunc omnes euigilaturi sumus, deinde, vestiendo te, potes aliquid boni legere, Psalmum: Quid multiplicati. aut aliud, quod placeat. Et, si aliqua pollutione te mireris pollutum, percutias pectus tuum, cum proposito confitendi, aspergendo te aqua benedicta, & sic

ad

ad oratorium vade, & debitum tuum solue sicut melius potes. *Concil. Hildesem. in form. viu. can. c.* 29. *S. Bonau. de triplici statu religiosorum, p.* 1. *c.* 4.

Conscientia qualiter & quando examinanda, ex traditione S. Petri.

INSTRVEBAT Petrus discipulos actus vitæ suæ 22
omni hora custodire, & in omni loco Deum respicere, firmiter scire cogitationes malas cordi suo aduenientes, mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus Dei manifestare. *S. Clemens ep.* 1. *ad Iacobum fratrem Domini, ad finem.*

De eodem.

COMPLETO iam die, omniq; opere tum corpo- 2
ris, tum spiritus etiam absoluto, præclare fiat, si diligenter vnusquisque, antequam cubitũ eat, cum animo suo conscientiam suam exquirat; ac, si quid vel cogitauerit, vel dixerit eorum, quæ non decet, vel si inter orandum minus attentus, aut in Psalmorũ decantatione tædio anxius fuerit, aut communis vitæ desiderio senserit titillatum, &c. *S. Basil. hom.* 1. *de instit. monachorum. Concil. Hildesem. in form. viu. can. c.* 51.

De eodem.

DISCE tibi præesse, vitam tuam ordinare, mo- 24
res tuos componere; temetipsum accusare, numquam excusare; sæpe condemnare, numquam impunitum dimittere. *S. Bernard. de interiori domo, ad finem.*

De eodem.

25 QVÆ in singulis diebus opera feceris, ea tecum commemora, & cum his, quæ feceris pridie, conferto. Studiose operam dato, vt melior in dies existas. *S. Basilius de abdicatione rerum, ad finem. & in admonitione ad filium spiritualem. S. Bonau. de puritate conscientiæ, c.16. 17. Optime Plutarchus de cohibenda ira, ad finem, ex Empedocle. Cassian. collat. 5. c. 14.*

De eodem.

26 COGITATIONES iustorum, iudicia. Iusti quippe ab omni strepitu sæculari ad corda sua redeunt, ibiq; ascendunt tribunal mentis, atq; ante oculos se, & proximum statuunt: deducunt ad medium regulam testamenti, qua dicitur: Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Transferunt in se personā proximi, & sollicite attendunt, quid sibi, si ita essent, fieri, vel non fieri iuste voluissent: sicq; districto iure, atque iudicio, causam suam, & proximi, iuxta tabulas diuinæ legis, in foro cordis examinant. *S. Gregor Moral. l. 19. c. 13. l. 22. c. 4. l. 25. c. 6.*

Pro. 12.

Mat. 7.

De eodem.

27 DEVS, ipse mens, iussit, vt homo mentis particeps seipsum animaduerteret. *Mercurius Trismegistus in Pimandro.*

De eodem.

28 FACIEBAT hoc Sextius, vt, consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sana-

sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum, &c. *Seneca de ira. l. 3. c. 36.*

De eodem.

VIR bonus, &c. 29

Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam illius reputauerit acta diei. *Virgil. in viro bono.*

De eodem.

QVOTIDIE bis precari solent Christiani, mane, ac sub vesperam, oriente Sole, petentes diem vere felicem, vtque mentes eorum cælesti repleantur lumine: occidente vero, vt anima in totum exonerata sensibus, moleque rerum sensibilium veritatem vestiget in consistorio domestico. *Philo. l. de vita supplicum.* 30

CAPVT III.

DE ORNATV, ET MVNDITIA EXTERIORI, DE COMMVNIBVS INDVMENTIS SACERDOTVM DOMI FORISQ. DE GRAVITATE, ET SEVERITATE IN MORIBVS ET VERBIS: DE SVAVITATE IN VERBIS, ET BENIGNITATE: DE GESTV, RISV, INCESSVQVE, ET EXACTA TOTIVS EXTERIORIS HOMINIS COMPOSITIONE.

De Ornatu, & Munditia exteriori, de cõmunibus Indumentis Sacerdotum domi forisque. §. 1.

SVMMARIVM.

AMICTVS, *risus, & gestus iudicant hominem.* 1.

Mollibus vestiri non debẽt Sacerdotes, quorum verus ornatus sunt mores boni. 2. 3.

Debent

Debent tamen vti vestibus proprio ordini congruentibus, non nimis vilibus, nec nimis pretiosis, iuxta morem Prouinciæ. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

Nec sordibus, nec munditiis notabilibus, exemplo S. Augustini. 9. 10.

Quæ tamen sordes, & munditiæ affectari non debent. 14. 15. 16. 17.

Nam nitens cutis sordidum animum ostendit. 18.

Munditia tamen exterior esse debet, & qualis 19.

Vestis inuenta est ad operiendum corpus, & propulsanda eius incommoda. 4. 5.

Ideo sollicitudo Sanctorum semper versata est potissimum circa interiorem hominem componendum, exterioris superfluo ornatu spreto. 6. 13.

Quot vestes possit Sacerdos habere. 8.

Superpelliciis vti debet in Ecclesia, & qualibus 20.

Et habere coronam & tonsuram congruentem, & caput in modum sphæræ radere, neque comam mutire, idque ab ipsis primitiuæ Ecclesiæ exordiis. 21. 22. 23.

Ab illoq; tempore clerus Occidentalis barbam radere consueuit. 24. *Contrarium tamen seruat Orientalis Ecclesia. ibidem.*

AMICTVS corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiat de illo. *Eccl.* 19. 1

Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. *Matth.* 11. 2

Verus

Verus ornatus Sacerdotis, mores boni,

3 VERVS ornatus Sacerdotis, non tantum nullus fucus mendax, sed nec auri quidem vestisq; pompa, sed mores boni sunt. *S. Augustinus de cons. dist. 5. c. fucare.*

Vestis inuenta ad operiendum corpus, & incommoda corpori imminentia propulsanda.

4 NECESSARIO ad vtramque rem accommodatus esse vestimentorum vsus debet, vt per ea scilicet & corporis deformes partes obtegantur, & quæ à cæli inclementia afferuntur incommoda propulsentur, &c. Eiusmodi vero quoddam nobis vestimenti excogitandum est genus, quo ad omnia commode vti possimus; vt videlicet eo amicti, & diurnæ pariter honestati, & nocturnæ etiam necessitati faciamus satis, &c. *S. Basilius in reg. fus. interrog. 22. Scopus autem vestis vnus est, nimirum, vt sit operimentum carnis commodum aduersus hyemem & æstatem. Idem oratione 17. de humilitate.*

De eodem.

5 AMICTV simplici vtere; non ad ornandum, sed ad necessitatem; non vt mollitiei studeas, sed vt hyeme calescas, & corporis ignominiam contegas. Neq; tamen, prætextu isto tegendæ turpitudinis, superfluis vestibus in aliam turpitudinem incidas. *S. Cyrill. catechesi. 4.*

Solli-

Sollicitudo Sanctorũ ſemper verſata eſt circa interiorem hominem componendum, exterioris ſuperfluo ornatu ſpreto.

OMNIS cura Sanctorum, ſpreto ornatu cultuq; 6
ſuperfluo, exterioris ſui hominis, qui certe corrumpitur, omni ſe diligentia præbet & occupat excolendo, atque de interiori illo, qui ad imaginem Dei eſt, & renouatur de die in diem. *S. Bonau. in Phar. l. 4. c. 37. ex S. Bernardo ſuper Cantica.*

Veſtis Sacerdotalis qualis, & in ea & ſeruandus modus: vt nec nimis vilis, nec nimis ſit pretioſa; non nimis breuis, nec nimis longa.

PARSIMONIAM cum veſte humili non repro- 7
bamus, ſicut etiam ornatum præter corporis diligentiam infucatum laudamus; diſſolutos autem & fractos in veſtibus inceſſus non recipimus. *Concil. Gangrenſe, diſt. 41. c. eod.* veſtimenta tua & calciamenta nec nimis ſint pretioſa, nec multum vilia, ſed ex moderato & competenti habitu, &c. *S. Bernardus ſerm. 9. de modo bene viuendi.* Clauſa tamen defer indumenta, nimia breuitate, vel longitudine non notanda. *Innoc. 3. de vita, & hon. cler. cap. pen.*

De

De eodem; & quot vestes possit Sacerdos habere.

8 SIT habitus Sacerdotis humilis, non nimis vilis, nec nimis pretiosus, sed mediocriter honestus, sine omni curiositate, longus, & amplus; ne forma corporis more sæcularium appareat foris. Potest autem duplicem vestitum seruus Christi habere, vnum meliorem pro diebus festiuis, alterum deteriorem pro diebus ferialibus. *Concil. Hildesem. in form. viu. can. c.* 16.

Vestis nec sordibus, nec munditiis notabilis, iuxta morem Prouinciæ.

9 EXCEPTA vili tunica, & operimento pari, quo tecto tantum corpus frigus excluderet, nihil sibi amplius reseruauit Nepotianus. Cultus ipse, prouinciæ morem sequens, nec munditiis, nec sordibus notabilis erat. *S. Hieron. ad Heliod. in Epitaphio Nepotiani. S. Bonau. in speculo discip. particula* 3. *ca.* 8.

De eodem, exemplo S. Augustini,

10 LEGITVR de S. Augustino, quod vestes eius, & calciamenta, & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum: medium tenebat, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinans. *Concil. Aquisgran. c.* 124.

Clericus, iuxta morem Prouinciæ, sit habitu & incessu compositus.

CLERICVS professionem suam habitu & incessu

cessu probet,& ideo nec vestibus,nec calceamen- 11
tis decorem quærat. *Concil.Carthagin.dist.41.c.eod. Vnde Gratianus dicit ibi:Sicut in cibis mores eorũ, cum quibus viuimus,seruare monemur, sic & de indumentis intelligendũ est. Vt enim alibi dicitur : Quisquis contemptis iis,&c.vt sup.c.2.§.1.de sobrietat.n.24.& 25.*

Clericorum habitus sit proprio ordini congruens.

ETSI habitus non facit monachum, oportet 12
clericos vestes proprio ordini congruentes semper deferre; vt per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant, &c. *Concil. Trident.sess* 14.*c.*6. In hunc sensum scripsit Alexander Papa VI. Francisco Ximenio Cardinali Toletano,quæ sequuntur: Sancta,& vniuersalis Ecclesia, sicut te ignorare non putamus, ad instar cælestis Ierusalem, multis ac diuersis decoratur ornatibus:in quibus sicut in excessu præuaricando peccatur, ita in defectu nimium declinando erratur.Grata est Deo, & laudabilis cuiuslibet status condecens obseruantia. Et propterea, quicunque, præsertim Prælati Ecclesiæ, sicut in moribus, ita & in habitu & incessu studere debẽt, ne nimio fastu superbi, neue nimia abiectione superstitiosi esse videantur; cum vtroque auctoritas Ecclesiasticæ disciplinæ vilescat.Eam ob rem hortamur te, vt, postquam te sancta Sedes Apostolica de inferiori statu ad Archiepiscopalem dignitatem euexit, quemadmodum te in interiori con-

conſcientia ſecundum Deum viuere intelligimus; ita extrinſecus, iuxta condecentiam ſtatus tui, habitu ſcilicet, familia, & cæteris ad dignitatis decorem conuenientibus te habere, & obſeruare coneris. Datum Romæ, die 15. Decembris anno 1495.

De eodem.

13 QVAM turpis putanda eſt in clericis tanto gradu ſublimioribus deformiſſima illa, ac frequentiſſima noſtræ tempeſtatis habituum variatio, quam nec infirmiori quidem vaſculo Apoſtolorum Principes permittendam duxerunt? Ex veſte apud homines ſanctimoniæ opinionem aucupari prohibuit Chriſtus, qui in omnibus operibus noſtris id, quod intus eſt, primum reſpicit, mundarique iubet; deinde quod foris eſt. Vę illud horrendum Phariſæis interminans, qui, vt viderentur ab hominibus iuſti, dilatabant philacteria ſua, & magnificabant fimbrias, cum eſſent intus pleni rapina, & immunditia. Euangelium non temere veſtimentum Ioannis Baptiſtæ, (quod illius profeſſioni, ac menti reſondebat) de pilis camelorum contextum celebrat; ac ipſe Chriſtus veſtium molitiem, ac lenitatem auerſatur: Ecce, inquit, qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Quæ omnia huc ſpectant, vt velimus clericos, præter indictam tonſuram, veſtes quoq; ſuo ordini congruentes deferre, vt in Concilio generali cautum eſt. *Concil. Colon de vita clericorum. c. 26.*

1. Ti. 2.
1. Pet. 3.
Mat. 23
Mat. 3.
Mat. 11.

Affecta-

Affectatæ sordes, & exquisitæ munditiæ fugiendæ.

PANNOSI clerici, ac vestibus laceri displicent: neque enim affectatę sordes, aut exquisitæ deliciæ laudem pariunt. *Idem. Concil. Colon. ibidem. ex S. Hieron. ep. 22. vbi non, Deliciæ laudem pariunt, legitur; sed, Munditiæ Christiano non conueniunt.* 14

De eodem.

HABITVS tuus non sordens, sed honestus. *S. Basilius sermone de Ascet.* 15

De eodem.

ORNATVS, vt sordes, pari modo, fugiendæ sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. *S. Hieron. ad Nepotianum.* 16

De eodem.

VESTIS nec satis munda, nec sordida, & nulla diuersitate notabilis; ne ad te obuians turba consistat, ne digito demonstreris, &c. *S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium, de custodia virginitatis.* 17

Nitens cutis sordidũ ostendit animum.

Idem S. Hieron. ep. 47. 18

De munditia exteriori.

Vide sup. c. 1. §. 1. de sanctitate, Et lauabat, n. 16. 19

De superpelliceis.

Vide sup. p. 1. c. 6. §. 1. de horis canon. Horas canonicas dicturi, n. 12. 20

Clerici habeant coronam & tonſuram congruentem.

21 Coronã & tonſuram habeant clerici congruentẽ, & ſe in officiis Eccleſiaſticis & aliis bonis ſtudiis exerceant diligẽter. *Innoc. 3. de vita, & hon. cler. c. pen.*

Coronam habent clerici ab ipſo S. Petro, & ab ipſa primitiua Eccleſia: & quid ſignificet.

22 CLERICI ſunt Reges, id eſt, ſe & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent: & hoc ſignat Corona in capite. Hanc coronam habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ in ſignum Regni, quod in Chriſto expectatur. Raſio vero capitis, eſt temporalium omnium depoſitio, &c. *S. Hieron. 12. q. 1. c. duo ſunt. S. Iſidorus de off. Eccleſ. lib. 2. c. 4. S. Gregor. Moral. l. 26. c. 21. Aliam rationem adducit Ven. Beda:* Neque ob id tantum, inquiens, in coronam attondemur, quia attonſus eſt ita Petrus; ſed quia Petrus in memoriam Dominicę paſſionis ita attonſus eſt: iccirco & nos, qui per eandẽ paſſionem ſaluari deſideramus, ipſius paſſionis ſignũ cum illo, in vertice, ſumma videlicet corporis noſtri parte, geſtamus, &c. *Ven. Beda de geſtis Anglo. l. 5. 122. Catechiſmus Romanus de Sacramento Ordinis.*

De eodẽ & quod clerici comã non nutriant, ſed caput in modũ ſphæræ radant.

23 PROHIBETE, fratres, per vniuerſas regionum veſtrarũ Eccleſias, vt clerici, qui laicis, & ſimplicibus virtutis, honeſtatis, pudicitiæ, & grauitatis exempla

empla esse debent, ac se ipsos tamquam signa purioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, iuxta Apostolum, comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphærę radant. Quia, sicut discreti debent esse in conuersatione, ita etiam tonsura, & omni habitu discreti debent apparere. *Anicetus Papa ep. ad Galliæ Episcopos, dist. 23. c. eod. De quo vide Decretũ Concilij Toletani. 4. c. 41* 1. Co. 11.

Clerus Occidentalis ab ipsis Ecclesiæ primordiis barbam radere consueuit.

NOLVMVS prudentiam tuam molestè accipere, quod Archiepiscopum vestrũ consuetudini Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris omniũ Ecclesiarũ, vestræq; specialiter, obedire coëgimus; scilicet, vt, quemadmodum totius a Occidentalis Ecclesiæ clerus ab ipsis fidei Christianæ primordiis barbam radendi morem tenuit, ita & ipse frater noster Archiepiscopus vester raderet. Vnde eminẽtię quoq; tuæ præcipimus, vt, ipsum ceu pastorem, & spiritualem patrem suscipiens, & auscultans, cum consilio eius omnem tuæ potestatis clerum barbas radere facias, atq; compellas; resq; omnino renuentium, nisi demum consenserint, publices, id est, iuri Caralitanæ Ecclesiæ tradas; &, ne vlterius inde se intromittant, constringas. *Grego. Papa vij. lib. 7. Reg. ep. 10. ad Iudicem Caralitanum.* 24

a Ecclesiæ Occidentalis clerus) *hic aduertere est, morem contrariũ Ecclesiæ Orientalis barbã non incidendi forte sumpsisse originem ab illa S. Clementis constitutione, vbi, fidelis eũ sis, inquit, & homo Dei, non licet tibi nutrire capillum,*

& in vnum complicare, quod est delicatum, & molle, vel discerniculo discriminare, neque vero in tortum calamistris crispare, vel flauum facere: quoniam quidem

Lev.19. *lex vetat in Deuteronomio, inquiens: Non faciatis vobis rotunditatem ex coma capitis vestri, neque incisiones. Neque vero licet barbæ pilos corrumpere, neque hominis figuram præter naturam mutare. Non incidetis*

Leu.21. *(inquit lex) superficiem barbæ vestræ. Hoc enim mulieribus decens creator Deus statuit, viris indecorum esse iudicauit. Ita S. Clemens Const. Apost. lib.1. cap.4. Vide Clementem Alex. Pædagog. l.3. Alia multa Vide inf. p.3.c.89. ne profanis vestibus.*

De Grauitate, & Seueritate in moribus & verbis Sacerdotum.

§. II.

SVMMARIVM.

SACERDOS *exteriori grauitate debet esse compositus, quia eius dignitati maxime congruit.1.7.*

Et magno cum imperio, & velut ex Regia potestate comprimere vitia, & viros iniquos, & tumidos, & eos, qui à religione abhorrent, & voluptatibus indulgent.2.3.5.13.14.15.21.

Vt fecit S. Ambrosius aduersus Theodosium Imperatorem.20.

Et

Et S. Thomas aduersus Henricum Regem. 21.
Et ita se gerat Sacerdos, vt, licet sit adolescens, non contemnatur. 4. 5.
Ob idque nemini se nimium familiarem exhibeat. 11. 12. 22. 23.
Ne puerili leuitate eius grauitas maculetur. 6.
Leuitas enim morum numquam reperitur in Sacerdote deuoto. 16.
Et ideo tenetur ioca etiam honesta vitare. 17.
Debita quippe seueritas & in pace, & in bello necessaria est. 8.
Tum etiam religiosa quædã simplicitas, & familiaritas quæ tamen sine contemptu sit, & grauitas quædam verecunda, sed sine austeritate. 9. 10. 14. 15.
Seueritatem etiam circa feminas tenere debet. 18.
Et cunctis esse benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. 23.
Lingua debet esse menti subdita, & verborum leuitas vitanda, scurilitas, & risus petulantia. 24. 25. 27.
In locutione tria seruanda. 26.
Sacerdotes separati ab omni turba vitam agant, ex Platone. 28.

SACERDOS, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet. 1
Leu. 21. *Hæc erant olim indicia erumpentis, affectus, & rationis habenas non patientis, quæ à Sacerdotali grauitate longe abesse debent.*

2 Ingressus post Oziam Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt regi, atque dixerunt: non est tui officii Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium: egredere de sanctuario: ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hocà Domino Deo. Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum vt adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimq; orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini: & festinato expulerunt eum. 2. *Paralip.* 26.

3 Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas, circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto glorioſus, & speciosis induere vestibus. Dispergе superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & conteres impios in loco suo, &c. *Iob.* 40.

4 Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate. 1. *Tim.* 4.

5 In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, &c. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. *Tit.* 2.

Grauitas Sacerdotalis puerili leuitate non minuenda.

6 SENES sunt Sacerdotes, quorum officiū, quia grauitate magnæ honestatis impenditur, à religio-

nis

nis pondere nulla puerili leuitate vacuatur. *S. Gregor. super. l. 1. Reg. cap. 2.*

Grauitas Sacerdotali dignitati congruit.

SOBRIAM à turbis grauitatem, ac serioſam vi- 7
tam, & ſingulare pondus conuerſationis dignitas ſibi vindicat Sacerdotalis. Quo modo enim poteſt in exemplum ſeruari à populo, qui nihil habet diſcretum à populo? nihil diſpar in moribus à multitudine? Quid enim in te miretur, ſi omnia tua facta bona in temetipſo recognoſcat exiſtere? ſi nihil in te aſpiciat, quod vltra ſe inueniat? ſi ea, quæ in ſe erubeſcit, in te, quem reuerendum arbitratur, oſtendat? *S. Bonau. in Phar. l. 1. c. 20. ex S. Ambroſio ep. 6. S. Leo Epiſtola 47. 34. q. 3. c. illud.*

Debita ſeueritas & in pace, & in bello neceſſaria.

QVID magis aut in pace tam aptum, aut in 8
bellis perſecutionum tam neceſſarium, quam debitam ſeueritatem diuini vigoris oſtendere? Quã qui dimiſerit, inſtabili rerum curſu erret ſemper neceſſe eſt, & huc atque illuc variis, & incertis negotiorum tempeſtatibus diſſipetur; &, quaſi extorto de manibus conſiliorum gubernaculo, nauim ſalutis Eccleſiaſticæ illidat in ſcopulo; vt appareat, non aliter ſaluti Eccleſiaſticæ conſuli poſſe, niſi qui & contra ipſam faciunt, quaſi quidam aduerſi fluctus, repellantur, & diſciplinæ ipſius ſemper cuſtodita ratio quaſi ſalutare aliquod gubernaculum in tempeſtate ſeruetur. *S. Cyp. l. 2. ep. 7.*

Seueritas seruanda sine austeritate,& familiaritas sine contemptu.

9 ESTO grauis: sed non austerus,non dissolutus, neque seuerus; sed interea mediocritatem tene, vt neq; de seueritate sis oneri, neque de familiaritate contemptui.*S.Bernardus de consideratione l.4. S.Gregor.Moral.lib.20.c.3.*

De eodem.

10 SI interdum seueritate opus est,paterna sit,non tyrannica:matres vos fouendo, patres corripiendo exhibeatis.*Idem S.Bernardus super Cant.serm.21. Inf.§.seq.cap.Erudimini, n.14.*

Sacerdos,velut ex Regia potestate & grauitate,reprimere debet vitia.

11 AVRO & hiacyntho purpura permiscetur,vt videlicet Sacerdotale cor, cum summa,quæ prædicat,sperat, in semetipso suggestiones vitiorum reprimat, eisque velut ex Regia potestate contradicat:quatenus nobilitatem semper intimę regenerationis aspiciat, & cælestis Regni sibi habitum moribus defendat.*S.Gregor.p.2.Pastor.c.3.Vide inf. c.7.§.1.de doctrina in Sacerdotis habitu, n.28. & à.c. Sacerdotes pro populorum.n.61.cum.seqq.*

De eodem.

12 VIDE,ne te facilem,ac lenem cupiditates inueniant,ne mox negligentiam tuam dolor occupet, assuescasque tum peccare, tum resipiscere. Ab initio potius grauis, ac seuerus esto aduersus omnem

nem cupiditatis titilationem, & ne assuescas in-
bello inferior esse. *S. Ephraëm cap. de exercitatione.*

De eodem.

SI voluptatis alicuius imaginem animo conce- 13
peris, moderare tibi, ne ab ea mouearis; sed & rem
examina, & tibi ipse deliberandi præbe spatium.
deinde vtriusq; temporis memento, tum eis, quo
voluptate perfrueris, tum eius, quo percepta iam
voluptate dolebis, teq; ipse obiurgabis, atq; his il-
la confer, si abstinueris, fore, vt gaudeas, teq; ipse
collaudes. Quod si tibi suscipiendæ rei videbitur
esse tempus, caue, ne te vincant eius blanditiæ, &
suauitates, & illecebræ; sed illud oppone, quanto
præstantior sit talis victoriæ conscientia. *Epictetus in Enchiridio c. 56.*

Omnibus nobis nulla virtus magis neces-
saria est, quam simplicitas religiosa, &
grauitas verecunda.
S. Bernardus de ord. vitæ, & serm. 86. 14

Humilem, sed minime seruilem, acrem
quoque ac vehementem esse conuenit
Sacerdotem.
S. Chrysost. l. 3. de Sacerdotio. 15

Morum leuitas potest aliquando esse in
bono ad horam, sed in deuoto num-
quam, dummodo sit deuotus.
S. Bonau. de processu religionis 5. c. 9. 16

Ioca etiam honesta vitanda Sacerdoti.

17 LICET interdum honesta ioca, ac suauia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula: quoniam, quæ in Scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum vsurpare possumus? *S. Ambros. de off. l. 1. c. 23. S. Basilius in admonitione ad filium spiritualem.*

Seueritas tenenda circa feminas.

18 SEVERITAS in vobis circa feminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, grauitas veneretur. *S. Cyprianus de singul. clericorum, si tamen tractatus ille S. Cypriani est. De hoc vide inf. Laicus p. 3. c. 12. ne sit fornicarius.*

Seueritas tenenda circa eos, qui religione abhorrent, & voluptatibus indulgent.

19 IN eos, qui à religione abhorrent, & voluptatibus indulgent, ita seueri, ac tristes esse debemus, vt prudentiam, & modestiam, & pacem retineamus. *S. Ephraëm c. de castitate.*

De Seueritate, & Grauitate S. Ambrosij aduersus Theodosium Imperatorem.

20 AB Eugenij cæde, Theodosius Mediolanum ingressus, orationis gratia se in Ecclesiam conferebat. Cumq; proxime foribus assisteret, ecce Imperatori obuius fit Ambrosius ciuitatis Episcopus, mediaq; in plebe arrepto eius purpureo amiculo: Siste gradum, ait: viro enim peccati squalore contaminato, manuq; habenti præter tenorem

rem iustitiæ cruentas, non fas eum sine pręuia pœnitentia vel limen ingredi sacræ ædis, aut mysteriorum Dei fieri participem. Admiratus Imperator Sacerdotis libertatem, conscius sibi, ac proinde mæstus, & commissorum pœnitudine interpunctus, in Regiam reuersus est. *Sozomenus tomo 7. c. 24. Tripart. l. 9. c. 30. Nicephorus l. 12. c. 41.*

De Seueritate, & Grauitate S. Thomæ Cantuariensis aduersus Henricum Angliæ Regem.

CVM Henricus, Angliæ Rex, coacta Synodo 21
prouincialium Episcoporum, leges ferret vtilitati, ac dignitati Ecclesiæ repugnantes, adeo constanter obstitit Regię cupiditati, vt neque pollicitationibus, neque terroribus à sententia decederet: ac propterea sæpius Rex conqueretur, se cum vno Sacerdote in suo Regno pacem habere non posse. *Ioannes Episcopus Carnotensis in eius vita.*

Nemini sit Sacerdos multum familiaris.

NEMINI te multum familiarem exhibeas; quia 22
nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis ab studio materiam subministrat, &c. *S. Thom. opusc. 68. quod vide.*

Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus.

S. Bernardus de honestate vitæ, doctrina 2. 23

Lingua sit menti subdita.

Iugũ sit verbis tuis, & statera, hoc est, humilitas, 24
atque

atque mensura, vt lingua tua menti sit subdita; restringatur habenæ vinculis, frenos habeat suos, quibus reuocari possit: ad mensuram sermones proferat libra examinatos iustitiæ; vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. *S. Ambros. l. 1. de off. c. 3. & optime c. 22. S. Isidorus in Synonimis, de mensura in verbo.*

Leuitas verborum vitanda.

25 VERBA otiosa vndecumq; sint semper fuge: licet enim grande peccatum non putetur esse, tamen eorum consuetudo graue generat detrimentum spiritualium profectuum. Et sæpe, dum quasi licenter relaxamus linguam in verba otiosa, dum non auertimus, paulatim dilabimur ad nociua. Ex quibus oriuntur quandoq; turbationes, dissolutiones, & graues conscientiæ corrosiones. *S. Bonau. de triplici statu religiosorum, p. 1. c. 27.*

Tria in locutione seruanda, vnde quatuor commoda proueniunt.

26 *Vide inf. c. 8. §. 5. de silentio. In locutione tria, n. 22. Quæ locutio qualis esse debeat, vide S. Ambrosium de officiis lib. 1. c. 22.*

Sacerdos prosequatur odio scurrilitatem, & risus petulantiam.

27 CVM Sacerdos gregis forma, & Ecclesiæ lumen dictus sit, ac reuera sit, subditus, vt cera sigillo, sic ipsius moribus imprimi, necesse est. Quocirca, si lumen esse vis, scurrilitatem, ac risus petulantiam odio insectare, ne alioqui multos petulantiam, ac proca-

procacitatem doceas. Sacerdos enim Domini omnipotentis Angelus est: Angelus autem risum nescit, Deo cum metu ac pauore ministrans. *S. Isidorus Pelusiota l. 1. ep. 319. S. Basilius in admonitione ad filium spiritualem.*

Sacerdotes separati ab omni turba vitam agant.

Plato in Timæo. 28

De Suauitate in verbis, & Benignitate Sacerdotum.

§. III.

SVMMARIVM.

VERBVM *dulce frangit iram, multiplicat amicos, mitigat inimicos, sermo durus suscitat furorem.* 1. 3.

Quia plus sæpe placet, quam donum; quod quidem non æstimatur cum contumelia collatum. 4. 22.

Vtilissimum est, & sapientis viri, affabilem se exhibere omnibus, sed sine adulatione. 2. 18.

Qui dare non potest, saltem sit affabilis. 19.

Hilaritas vultus semper exhibenda est ijs, quibus cum loquimur. 20. 21.

Etiam infidelibus. 38.

Quia multa regna labefactauit verborum tumor, seruauit affabilitas. 39.

Arma

Arma natiua hominis sunt benignitas, beneficentia, & sapientia. 10. 11.

Et ideo homo ab homine timeri non debet. 12.

Sed infirmis se quisq; accommodare, vt eos lucrifaciat. 6.9.32.33.34.

Delinquentemq; corripere in spiritu lenitatis, propriæ fragilitatis memor. 7.39.

Qui enim alios inclementer condemnat, certissimum est, iisdem vitiis subiacere. 41.

Nec esse perfectum, qui ad aliorum imperfectionem est impatiens. 42.

Ideo debet esse circa se austerus, circa alios benignus. 43

Et iudicium exercere sine amaritudine, nihil potestati tribuens, sed totum æquitati. 7.9.44.

Et iniurias proprias condonare exemplo Christi. 8.

Plus amari desiderans, quam timeri. 14.15.16.17.30.

Plus enim agit erga corrigendos beneuolentia, quam austeritas, & ideo à leuioribus medicamentis incipere debet. 26.27.28.29.30.

Captare tamen populi beneuolentiam non debet, vt sibi exhibeatur, sed Deo. 40.

Et ex benignitate, & seueritate facere quoddam temperamentum. 23.24.25.26.

Nam in suo pectore debent esse Virga, & Manna, sicut in arca Tabernaculi. 14.

Sicut autem Sacerdos est Pater nomine, ita etiam sit & opere. 14.35.36.

Et matri similis. 14.37.

Ecclesia quare Columba dicta. 29.

RESPON-

RESPONSIO mollis frangit iram, sermo durus 1
suscitat furorem. *Pro.*15. 1.*Reg.*25. 2.*Reg.*10.

Congregationi pauperum affabilem te facito, 2
&c. Sapiens in verbis seipsum affabilē facit. *Eccl.*4.

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat 3
inimicos: & lingua eucharis(idest gratiosa)in bono homine abundat.*Eccl.*6.

Fili in bonis non des querelam, & in omni dato 4
non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius quam datum.*Eccl.*18.

Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & 5
cum potentia. Et dispersę sunt oues meæ, dicit Dominus.*Ezech.*34.

Conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absinthium.*Amos.*6. 6

Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem.1.*Cor.*9. 7

Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in ali- 8
quo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*Gal.*6.

Supportantes inuicem, & donantes vobismet 9
ipsis, si quis aduersus alterum habet querelam: sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.*Coloss.*3.

Pascite, qui in vobis est, gregē Dei, prouidentes 10
non coacte, sed spontanee secundū Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neq; vt dominātes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.1.*Pet.*5

Arma

Arma natiua hominis, benignitas, & sapientia.

11 DEVS, qui cæteris animalibus sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incursibus & periculis tutiora generauit: hominem vero, quia nudum, fragilemque formauit, vt eum sapientia potius instrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, vt homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraq; omnia pericula & accipiat, & præstet auxilium. Summum igitur inter se hominum vinculum est humanitatis, quod qui disruperit, nefarius, & parricida existimandus est, &c. *Lactantius Firmianus lib. 6. diuinarum institutionum, cap.* 10.

De eodem: quodque peculiaria sint homini benignitas, & beneficentia.

12 NATVRÆ nostræ nihil est tam peculiare, quam mutua inter nos communicatio, mutuaque aliis aliorum operæ indigentia, & in eosdem, qui eiusdem sunt nobiscum generis, caritas. *S. Basilius in reg. fus. respons. 3. & Oratione* 1. *de amore erga Dominum, & proximum.*

Homo ab homine timeri non debet.

13 CVM Noë Dominus filiisque eius benediceret, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete terram protinus adiunxit: Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animantia terræ. Quorum videlicet terror, ac tremor, quia esse super animantia terræ præcipitur, profecto esse super homines pro-

Gen. 9.

hibe-

hibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus cæteris, natura prælatus est: & ideo ei dicitur, vt ab animalibus, & non ab hominibus timeatur, quia contra naturam superbire, est ab æquali velle timeri. *S. Gregor. in Pastorali, p. 2. c. 6. Moral. l. 21. c. 10.*

Virga & Manna debent esse in pectore Sacerdotis sicut in arca tabernaculi.

IVXTA Pauli vocem, in arca tabernaculi cum tabulis Virga simul, & Manna est: quia scripturæ sacræ scientia in boni doctoris pectore, sicut est Virga districtionis, sic est & Manna dulcedinis. *S. Bonau. l. 4. Pharetræ c. 45. ex S. Gregor. Moral. l. 20. c. 8. dist. 45. c. disciplina. De Virga, & Baculo vide Concil. Aquisgran. c. 134.* 14 *Heb. 9.*

Sacerdos plus studeat amari, quam metui.

ERVDIMINI, qui iudicatis terram. Discite, subditorum matres vos esse debere, non dominos. studete magis amari, quam metui. Et, si interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres vos fouendo, patres corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatẽ, suspendite verbera, producite verba, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Quid iugum vestrũ super eos aggrauatis, quorum potius onera portare debetis? Cur morsus à serpente paruulus fugit conscientiam Sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat, tam quam ad sinum recurrisse matris? &c. *S. Bernard.* 15 *Psal. 2.*

nard. super. Cant. serm. 25. S. Gregor. in Pastor. p. 2. c. 5. S. Ambros. de off. l. 2. c. 7.

De eodem.

16 TALEM te redde subditis, vt magis ameris, quã timearis. Reuerentia enim ex amore procedit, odium vero timor efficit. *S. Isidorus in Synonimis. S. Bonauen. de sex alis Seraphim. c. 6. & 7.*

De eodem.

17 A SVBDITIS magis venerari, quam timeri stude, vt tibi plus dilectionis officio, quam contradictionis necessitate adhæreant, subiecti te plus reuereantur, quam timeant: ex reuerentia enim amor procedit, & odium tremor confert, fidem metus tollit, affectus restituit. Timor non seruat diuturnam fidem. Vbi timor audet, eum sequitur rubor; vbi timor, audentia sequitur; &, vbi metus, desperatio occurrit. Quapropter tempera oris sementem, summaq; bonitate subditos conuenit regere. Non sis terribilis in subditis, sed sic dominare vt tibi delectentur seruire. *Idem S. Isidorus in norma viuendi, c. 12.*

De eodem.

18 NIHIL tam vtile, quam diligi; nihil tam inutile, quam non amari: nam, odio haberi exitiale, ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, vt omni sedulitate commendemus existimationem opinionemq; morum, ac primum placiditate mentis, & animi benignitate influamus in affectum hominum:

minum: popularis enim,& grata est omnibus bonitas,nihilque,quod tam facile illabatur humanis sensibus. Ea,si mansuetudine morum,ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis,verborumq; honore, patienti quoque sermonum vice, modestiæq; adiuuetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus, &c. *vt inf. n.* 30. *S. Ambrosius de off. l.* 2.c.7.

Affabilitas valet plurimum, sed quæ sine adulatione.

AFFABILITAS sermonis ad conciliandam gra- 19
tiam valet plurimum: sed hanc volumus esse sinceram,ac sobriam, sine vlla adulatione, ne simplicitatem, ac puritatem alloquij dedeceat sermonis adulatio,&c. *Idem S. Ambrosius ibidem,c.*19.

Qui dare non potest,saltem sit affabilis.

SI potes,da; si non potes,affabilem te fac. Co- 20
ronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat: Non habeo: caritas non de sacculo erogatur. *S. August. super Psal.* 103. *S. Gregor. Moral. l.*21.c.14.

Hilaritas vultus semper exhibenda iis, quibus cum loquimur.

CVM quid locuturus es, ea ex ore tuo semper 21
verba præsiliant, quibus & proximum consoleris, & caritatem erga illum tuam magis confirmes. Eadem ratio in medio, eadem in postremo,

qui habeatur, sermone seruetur: idque adhibitâ quadam festiua oris hilaritate, vt, qui tecum loquatur, per te exhilarari se sentiat. *S. Basilius ser. de abdicatione seculi.* In congressionibus facilẽ, in colloquiis vero dulcẽ te præbe; ne vrbanitate suauitatem captes, sed cohortatio suauitate, & benignitate condiatur, repulsa omni loco asperitate. Nam, si te prius ipse humanum exhibueris, facile ferre te poterit is qui curatione opus habet. *Idem Basilius oratione 6. de institutione, & admonitione.*

Nullus à te tristitiam habeat, nemo à tẽ confusus abscedat.

22 *S. Bernardus de modo bene viuendi, serm. 14.*

Non æstimatur donum cum contumelia collatum.

23 NESCIO quo pacto fit, vt is, quem contumelia affeceris, non sentiat pecuniarũ acceptarum subsidium ob inflictam contumeliæ plagam; &, quem contra blande atque humaniter appellaueris, quique donum aliquod vna cum sui consolatione à te acceperit, exultat magnopere, ac lætatur. Tum vero donum ipsum donantis vultus gestusq; conduplicat. *S. Chrysost. l. 3. de Sacerdotio.*

Grauis debet esse Sacerdos, sed cum comitate, & humanitate.

24 GRAVEM Sacerdotem, sed minime fastuosum; terrificum, sed humanum; visenda maiestate

Prin-

Principem, sed omnibus tamen appellandis comem, eundemque integrum, officiosum. *Idem S. Chrysost. ibidem.*

Ex benignitate & seueritate faciendum temperamentum.

SVNT nonnulli ita districti, vt etiam omnem 25
mansuetudinẽ benignitatis amittant; & sunt nonnulli ita mansueti, vt perdant districti iura regiminis. Vnde cunctis rectoribus sunt vtraque tenenda, vt nec in disciplinę vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudine districtionem deserant disciplinæ; quatenus nec à compassione pietatis obdurescant, cum contumacem corrigunt, ne disciplinæ vigorem molliant, cum infirmorum animos consolantur. Regat ergo vigor disciplinæ mansuetudinem, & mansuetudo ornet sermone vigorem: & sic alterum commendetur ex altero; & nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. *S. Gregor. dist. 45. c. sunt namque. & c. disciplina. & in Pastoral. p. 2. c. 6. Inf. §. proximo, cap. Talis esse debet, n. 14.*

De eodem.

IDCIRCO Spiritus sanctus in columba, & igne 26
monstratur, quia videlicet omnes, quos implet, & columbæ simplicitate mansuetos, & igne zeli ardentes exhibet. Nequaquam ergo sancto Spiritu plenus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis feruorem æmulationis deserit, aut rursum in æmulatio-

lationis ardore virtutem manſuetudinis amittit. *Idem S. Gregor. p. 3. Paſtoral. admonitione* 17.

De eodem, quodq; plus agat beneuolentia, quam auſteritas erga corrigendos; & à leuioribus medicamentis incipiendum.

26 SI quid per humanam fragilitatem ſubditos peccare contigerit, illa Apoſtoli Sacerdotibus ſuis eſt obſeruanda præceptio, vt illos arguant, obſecrent in omni bonitate, & patiẽtia. Cum ſæpe plus erga corrigendos agat beneuolentia, quam auſteritas; plus exhortatio, quam comminatio; plus caritas, quam poteſtas. Si autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia iudicium, cum lenitate ſeueritas adhibenda eſt; vt ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris, ac neceſſaria conſeruetur; &, qui correcti fuerint, emendentur, aut, ſi reſipiſcere noluerint, cæteri ſalubri in eos animaduerſionis exemplo à vitiis deterreantur. cum ſit diligentis, pij ſimul paſtoris officium, morbis ouiũ lenia primũ adhibere fomenta; poſt, vbi morbi grauitas ita poſtulet, ad acriora, & graüiora remedia deſcẽdere, &c. *Concil. Trid. ſeſſ.* 13. *c.* 1. *de reform. S. Chryſ. de ſac. l.* 2. *S. Hieron ep.* 2. *ad Nepotian. diſt.* 95. *c. eſto ſubiectus, & per totam diſt. S. Greg. diſt.* 45. *c. licet nonnumquam.* 2. Ti. 4.

De eodem, ex traditione baculi paſtoralis conſecrato in Epiſcopum.

27 ACCIPE baculum paſtoralis officij, vt ſis in corrigen-

rigendis vitiis pie sæuiens, iudiciũ sine ira tenens, in vouendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate seueritatis censuram non deserens. *Pontificale Rom. in consecratione Episcopi.*

De eodem.

EQVOS indomitos blanda prius manu tangimus, vt eos nobis plenius, postmodum etiam per flagella subigamus: & amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adiungitur, vt ea, quæ saluti profutura est, in ipso gustu aspera amaritudo sentiatur; &, dum gustus per dulcedinem fallitur, humor mortiferus per amaritudinem vacuetur. *S. Gregor. Pastor. p. 3. admonitione* 18. 28

De eodem.

LEVITER castigatus reuerentiam exhibet castiganti: asperitatis autem nimiæ increpatio nec correctionem recipit, nec salutem. *Concil. Brachar. 3. c. 6. dist. 45. c. cum beatus. S. Bernardus de modo bene viuendi, serm. 18. ex S. Ambros. de off. l. 1. c. 32. S. Prosper de vita contempl. l. 2. c. 1. & 3.* 29

De eodem.

MEMINISSE oportet rectores, quia Columba est in diuinis scripturis Ecclesia appellata, quæ non vnguibus lacerat, sed alis pie percutit. *Conc. Aquisgran. c.* 134. 30

De eodem, exemplo Dauidis, & Mosis.

LEGIMVS, non solum in priuatis, sed etiã in Regibus quantum facilitas blandæ affabilitatis profecerit; 31

fecerit; aut ſuperbia, verborumq; obfuerit tumor vt regna ipſa labefactaret, & poteſtatem ſolueret &c. Ideo Dauid non cecidit, quia charus fuit omnibus, & diligi à ſubiectis, quam timeri, maluit Timor enim temporalis tutaminis ſeruat excubias, neſcit diuturnitatis cuſtodiam, &c. *S. Ambroſ de off. l. 2. c. 7. S. Bernardus ſerm. 23. ſuper Cant. S. Gregor. Paſtoral. p. 2. c. 5. S. Iſidorus in Synonimis, & in norma viuendi, c. 12. & 16. Vide inf. p. 3. c. 11. ne ſit iracundus, n. 5. eſt quædam.*

De eodem.

32 SI quorum forte ſunt vitia, hæc maturis obiurgationibus increpate, vt ipſa quoque Sacerdotalis indignatio virtute ſit admixta dulcedinis: quatenus & tunc à ſubiectis amari debeat, etiam cum grauiter timetur. *Idem S. Gregor. l. 3. ep. 1. l. 9. indictione 4. ep. 8.*

Sacerdos ſe inferioribus accommodare debet.

33 NIHIL tam oneroſum in ordine Sacerdotum video, quam rigorem mentis compatiendo flectere, & cum perſonis ſuperuenientibus animum mutare: & tamen hoc valde eſt neceſſarium. Nam, quando ex prædicatione eius ad boni operis gratiam peccator reducitur, ſi ipſe prædicator videatur ingratus? &c. Craſſiora ergo veſtimenta Sacerdos exiens ante populum induat, vt mentis ſuæ habitum pro vtilitate filiorum etiam ad terrena toleranda componat. Penſate ergo,

fratres

fratres chariſſimi, quantus ſpeculatori labor ſit, & ad ſublimia cor tendere, & hoc repente ad ima reuocare, & in ſublimitate cognitionis intimæ extenuare animum, & propter exteriores cauſas proximorum, vt ita dicam, ſubito in cogitatione craſſeſcere. *S. Gregorius hom. 11. ſuper Ezechielem, & lib. 19. Moral. cap. 14. S. Cyriuus Alex. in Leu. c. 4. Ven. Beda ſuper Leu. c. 10. Vide infra, c. 7. de doctrina, num. 99. c. hoc ſane. diſt. 88. c. decreuit.*

De eodem.

IACOB deſuper, innitente Domino, & vncto deorſum lapide, aſcendentes Angelos, & deſcendentes vidit: quia ſcilicet prædicatores ſancti non ſolum ſurſum ſanctum caput Eccleſiæ, videlicet Dominũ, contemplando appetunt, ſed deorſum quoque ad membra illius miſerando deſcendunt. Hinc Moſes crebro tabernaculum intrat, & exit; &, qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis vrgetur. Intus Dei arcana conſiderat, foris onera carnalium portat. *S. Gregor. Paſtoral. p. 2. c. 5.* 34 *Gen. 28.*

De eodem.

Sacerdotis nauem. *Vt inf. cap. 9. §. 2. de oneribus, n. 20.* 35

Sacerdos ſicut eſt Pater nomine, ſit etiam & opere.

SI Sacerdotale, quod adminiſtramus, officium mentis 36

mentis integritate pensemus, sic nos cum filiis nostris debet vnire concordia, vt, sicut Patres in nomine, ita affectu probemur in opere. *S. Gregor. super l. 1. Reg. c. 34.*

Falso nominatur Pater, qui filiis mærentibus non condoleat & gaudentibus non colletetur.

37 AFFLICTIONIS participem & socium sume Sacerdotem, vt patrem. Quis enim tam falso nominetur Pater, aut tam duro atque adamantino animo præditus est, qui non filiis mærentibus doleat, & gaudentibus lætetur? Sacerdos ita tristatur ob peccatum illius, quem propter religionem habet loco filij, vt Iacob visa tunica Ioseph sanguine cõspersa querebatur; vt Dauid luxit Absolonis interitum; vt Heli Ophain, & Phineen, qui in acie ceciderunt; vt Moses impium populum, qui rerũ nouarum studiosus vitulum sibi conflauerat. *S. Gregor. Nyssenus in eos, qui in alios iudicant durius.*

Sacerdos sit matri similis, vt ad eum subditus afflictus confidenter recurrat.

38 TALES sese qui præsunt exhibeant, quibus subiecti occulta quoque sua prodere non erubescant, vt, cum tentationum fluctus paruuli tolerant, ad Sacerdotis mentem, quasi ad matris sinum, recurrant; & hoc, quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus præuident, exhortationis eius solatio, ac lacrymis orationis lauent. *S. Gregor. Pastor. p. 2. c. 5. S. Bernardus super Cant. serm. 23.*

Infideli-

Infidelibus quoq; benignitas exhibenda.

39 Eos, qui à religione Christiana discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad vnitatem fidei necesse est congregare; ne, quos dulcedo prædicationis, & prætensus futuri iudicij terror ad credendum inuitare poterat, minis, & terroribus repellantur. Oportet ergo magis, vt ad audiendum de vobis verbum Dei benigne conueniant, quam austeritatem, quæ supra modum extenditur, expauescant. *Idem. S. Gregorius l. 1. ep. 34. & 45. l. 11. ep. 15.*

Sacerdos sit erga alios benignus, propriæ fragilitatis memor.

40 PRIVATORVM casus commisereatur Sacerdos, memineritque, se, quamuis dignitate præstet iis, quos gubernat ac regit, naturam tamen eandem habere, ideoq; posse aliquando fortasse in eosdem errores incidere, &c. Noli esse tam facilis ad amputandum, ad exscindendum Sacerdos, qui Dominum, ne id faciat, debes obsecrare: neque tam celeriter desperandum existima. Diligentiam adhibeto, reprehensionibus circumfodito, cohortationibus foueto, tamquam sinu, documentorũ quasi aquarum copia irrigato, præceptis, vt vallo, communito. Tuum est, placare Iudicis animum: Mosis curam, Sacerdos, & sollicitudinem imitare, &c. *S. Gregorius Nyssen. in eos, qui alios durius iudicant.*

Sacer-

Sacerdos hominibus placere curet, non vt ipse diligatur, sed Deus.

41 NON OPORTET, vt rectores boni placere hominibus appetant, sed vt suæ æstimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant; non vt se amari desiderent, sed vt dilectionem suam quasi quandam viam faciant, per quam corda audientiũ ad amorem Conditoris sui introducant. *S. Gregorius Pastor. p. 2. cap. 8. S. Basilius de vera virginitate.*

Qui alium inclementer condemnat, certissimum est ijsdem vitiis subiacere.

42 EVIDENS iudicium est animæ nec dum vitiorum fæcibus eliquatæ, in alienis criminibus non affectu misericordiæ condolore, sed rigidam iudicantis tenere censuram, &c. Ideoque iisdem vitiis subiacere certissimum est, quæ in alio inclementi atque inhumana seueritate condemnat. *Cassianus coll. 11. c. 10. l. 1. c. 30. Vide optimum exemplum apud eundem coll. 2. c. 13.*

Non est perfectus qui ad imperfectionẽ aliorum est impatiens.

43 ILLE perfectus est, qui ad imperfectionem proximi impatiens non est: nam, qui, alienam imperfectionem perferre non valens, proximum deserit, ipse sibi testis est, quam perfecte nondum pro-

profecit. *S. Bonau. lib. 1. Pharetræ, cap. 31. ex S. Gregor. Idem S. Bonau. de reform. mentis cri.*

Sacerdos sit circa se austerus, circa alios benignus.

CIRCA vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parua mandantem, & grauia facientem, *S. Chrysost. super Matth. cap. 2.* 44

In causis iudicandis nihil potestati, totum æquitati tribuatur.

CAVSÆ, quæ per sententiam sunt decidendæ, necesse est, vt prius studiosa & frequentissima consideratione mensurentur; nihil potestati, sed totum æquitati tribuatur. *S. August. lib. 12. ep. 30. S. Bernardus de consider. l. 2. Id autem qualiter agendum, scripsit eleganter Marcellus Iurisconsultus ff. de pœnis. l. respiciendum.* 45

Cunctis esto benignus, &c.

Vt sup. §. proximo, num. 23. Alia vide inf. c. 7. de doctrina. §. 1. a. cap. non licet n. 76. cum nouem seqq. & c. 8. §. 1. de modestia, & mansuetudine. 46

De

De Gestu, Risu, Incessuque, & exacta totius exterioris hominis Compositione.

§. IIII.

SVMMARIVM.

QVLORVM compositio, & custodia, necessaria. 1. 29. 30.
Maxime ad tuendam castitatem. 31. 32. 33.
Quia non decet intueri quod non licet concupisci. 32.
Et oculus impudicus impudici cordis est nuntius. 35.
Homo apostata incomposite vtitur membris suis. 2.
Exterior corporis amictus, risus, & incessus, indicant hominem. 4. 5. 7. 8. 9. 15. 43.
Ideo Sacerdos debet esse sollicitus de componendo exteriori homine in omnibus actibus suis. 12. 13.
Quia disciplina morum totum hominem componit, & decoratur maturitate, humilitate, & benignitate, & qualiter. 10. 11.
Sacerdotis seueritas, & hilaritas qualis. 14.
Qualis eius habitus, incessus, gestus, motus, sermo, conuictus, & membrorum compositio. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.
Risus petulantia Sacerdoti vitanda. 22. 23.
Risus in Ecclesia Diaboli opus. 24.
Qualiter in mensa se debeat gerere Sacerdos. 36. 37. 38.
Qualiter in conuiuio. 36. 37. 38.
Qualiter in lecto, & in somno. 39.

Qua-

Qualiter loquendo.16. 20. 29.
Qualiter disputando. 40.
Qualiter confessiones audiendo.41.
Qualiter incedendo, vel ambulando.9.15.16.17.18.
Qualiter sedendo.42.43.
Qualiter ridendo.25.26. 27.28,29.
Qualiter oscitando.27.
Qualiter cum alio viro conuersando. 44.
Qualiter cum femina.33.34.35.
Membra sui corporis corã aliquo non denudando. 45.
Lectuli eius locus, si fieri potest, nec sciatur, nec videatur. ibidem.

QVI inclinauerit oculos, ipse saluabitur. *Iob.* 22. *Eccles.*2. *Tren.*2. 1

Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat, &c. *Prouer.*6. 2

Si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manũ tuam, nec prior poscas bibere. *Eccl.*31 3

Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentiũ, & ingressus hominis enunciant de illo. *Eccl.*19. 4

Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit. *Eccles.*21. 5

Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, &c. sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, &c. *Luc.*14. 6

Exte-

Exterior compositio index est interioris.

7 INTERIOR est custodię cordis, quæ ordinata exterius seruat membra corporis. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter foras in inconstantiam motionis fluit, atque exteriore mobilitate indicat, quod nulla interius radice stabilitatis subsistat. *S. Bonau. in Pharetra ex S. Gregor. Pastor. p. 3. admonitione. 24.*

De eodem.

8 INCOMPOSITIO corporis, inæqualitatem indicat mentis, &c. *S. Augustin. ep. 109. ad Monachas.*

De eodem.

9 EST in ipso motu, incessu, gestu tenenda verecundia: habitus enim mentis in corporis statu cognoscitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turpior, aut congruior, constantior, & purior, & maturior, æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus, &c. Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicuius periculi, vel iusta necessitas, &c. Est gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, grauitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen, vt studium desit, atque affectatio, sed motus tibi sit purus, ac simplex, &c. Motum natura informet: si quid sane in natura vitij est, industria emendet, &c. *S. Ambros. de off. l. 1. cap. 18.*

Disci-

Disciplina totum hominem componit.

O QVAM compositum reddit omnem corporis 10
statum, nec non mentis habitum disciplina? cervicem submittit, deponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cohibet cachinnos, moderatur linguam, frenat gulam, sedat iram, format incessum. Talibus decet pudicitiæ vestem destingui margaritis. *S. Bonau. in Phar. l. 4. c. 9. ex S. Bernardo, epist. 113. & in speculo disciplinæ. partic. 2. c. 1. & post partic. 4. c. 2. Hugo Card. de disciplina Monachorum.*

Disciplina morum decoratur maturitate, humilitate, & benignitate, & qualiter.

MORVM disciplina triplici decore decoratur, 11
scilicet si sint maturi, humiles, & benigni. Maturi, vt non sint leues ridendo, nec curiosi, aut verbosi, nec ioculatores. Maturitas intus mentem componit, & corpus exterius ab insolentia custodit; caput regit, ne leuiter hinc inde circumferatur: oculos, ne euagentur; aures, ne otiose auscultent, quæ minus expediant; linguam refrenat ab otiosis verbis; manus ab inutilibus occupationibus; pedes à vanis ambulationibus, &c. Humilitas deprimit ceruicẽ, humile format responsum, gestus complanat, vestimentum simplex amat, sese inter nouissimos locat, ostentationis notam declinat, singularitatem fugit, ad aliorum obsequia se agilem facit, ad opprobria tacitum, ad honores oblatos verecundum, promptum ad discendum, dif-

ad indignandum. Benignitas facit affabilem, compassiuum afflictis, tractabilem, exorabilem, & flexibilem ad consilia, communicatiuum sui, & suorum, in bono hilarem, & modeste iucundum, nullum spernentem, vel temere iudicantem, fidelem, socialem, omnibus gratiosum, &c. *S. Bonau. de processu religionis. 5. c. 2.*

Sacerdos sit sollicitus de exteriori homine componendo in omnibus actibus suis, saltem propter exemplum laicorum.

12 SOLLICITVDO prima ad hoc tendere debet, vt exteriorem hominem debite componat Sacerdos tam in loquendo, quam commedendo, bibendo, ambulando, &c. quatenus, quicumq; mores ipsius consideret, ædificetur, & dicat: Ille est disciplinatus vir, & vtilis in officio Ecclesiastico, quia omnes sanctam vitam in eo vident. Hæc autem morum compositio inter simplices, & mundanæ vitæ homines maxime est necessaria, quia facillime scandalizantur, quando vel parum clerici ad libertatē extrinsecam declinant. È contra autem, quando vident eos mature incedere, & timorate conuersari in omni castitate, & sobrietate, tunc maxime ædificantur, & venerantur eos, &c. *Concil. Hildesem. in form. viu. can. c.* 13.

De eodem.

13 NIHIL est quod alios magis ad pietatem, &c. Quapropter sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitā, moresq; suos omnes componere

ponere, vt habitu, gestu, incessu, alijsq; omnibus rebus, nihil, nisi graue, moderatum, ac religione plenum, præseferant. *Concil. Trident. sess. 22. c. 1. de reform. & sess. 14. in proœmio.*

Qualis esse debeat seueritas Sacerdotis.

TALIS esse debet dispensator regiminis, vt ea 14
Sacerdos circa subditos mensura moderetur, quatenus & arridens timeri debeat, & iratus amari, vt eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata seueritas odiosum, &c. sed, vt Sacerdotis vultus etiam lætus debeat timeri, necesse est, vt ipse vultum sui Conditoris sine cessatione timeat, &c. *S. Greg. Moral lib. 20. c. 3. Vide sup. §. præcedenti, à cap. Sunt nonnulli, n. 24. cum seqq.*

Sacerdos promissionem suam & habitu, & in cessu demonstret.

SIT in gestu tuo grauitas, in motu simplicitas, in 15
incessu honestas; nihil dedecoris, nihil lasciuiæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil leuitatis in tuo incessu appareat. Animus enim in corporis gestu apparet, & species corporis simulacrum est mentis, figuraq; probitatis. *S. Isidor. in norma viuendi, c. 4. S. Bonau. in spec. discip. partic. 3. c. 8.*

De eodem.

SIT tibi grauitas in incessu, in sermone pondus, 16
atq; in verbis modus. *S. Bernhardus de ordine vitæ. S. Bonau. in spec. discip. partic. 3. & 6.*

De eodem.

IN incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus 17
vestris nihil fiat, quod cuiusquã offendat aspectũ,

sed quod vestram deceat sanctitatem. *S. Augustin. in regula sua., c. 17.*

De eodem.

18 INCESSVS tuus sit maturus, non leuiter curras & sine necessitate; nec corpus multum erectum geras, sed mediocriter depressum; nec vagus sis oculis, nec brachiis ventiles, nec aliter more sæcularium in composito gradu incedas, sed plano, & humili modo, quasi à deuota oratione decedas. *S. Bonau. de triplici statu religios. p. 1. c. 19.*

Incessus neque lentus, vt qui animi dissoluti sit signum, neque rursus celer, & concitatus, vt qui ipsius impetus perturbatos, ac temerarios esse demonstret. *S. Basilius in Oration. 17. de humilitate.*

Qualis esse debeat gestus, motus, sermo, conuictus Sacerdotis.

19 DISCIPLINA honestæ conuersationis ex quatuor perpendi potest; ex gestu, motu, affatu, & conuictu. Gestus autẽ reprehensibilis est, si est aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut citatus. Mollis significat lasciuiam, dissolutus negligentiam, tardus pigritiam, citatus inconstantiam. Gestus hominis in omni actu debet esse gratiosus sine mollitie, quietus sine dissolutione, grauis sine tarditate, alacer sine inquietudine, maturus sine proteruia, & sine turbulentia seuerus. Temperanda est etiã facies, & modificãda in gestu suo, ita, vt nec proterue exasperetur, nec molliter dissoluatur, sed semper habeat rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem

gorem. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus, &c. *Hugo Cardinalis libro de disciplina Monachorum. S. Bonauen. in Spec. discip. partic. 3. c. 2. & 7.* Eccl. 19.

De eodem.

CLERICI à vulgari vita secluſi non vagis oculis, non effreni lingua, aut petulanti, fluidoq; gestu, tumidoque gressu incedant; sed pudorem, & verecundiam mentis simplici habitu, incessuque ostendant. Obscænitatem etiam verborum, sicut & operum penitus execrentur. *S. Isidorus dist. 23. c. his igitur. Concil. Moguntin. de vita clericorum, c. 1. Iuo. p. 6. c. 3.* 20

Sanctus Ambrosius virum quendam in clerum non admisit, quod gestus eius esset incompositus.

Vide sup. p. 1. c. 1. de ordinatione c. Ministris, n. 26.

Risus petulantia vitanda.

Sup. §. 2. de grauitate, c. cum Sacerdos, n. 28. 21

Sacerdos risum nesciat.

SACERDOS Domini omnipotentis, Angelus est: Angelus autem risum nescit, Deo cum metu, ac pauore ministrans. *S. Isidorus Pelusiota l. 1. ep. 319.* 22 23 Mal. 2.

Risus in Ecclesia diaboli opus.

S. Chrysost. hom. 11. super epistolam ad Hebræos.

Risus qualis.

RISVS tuus sit rarus, & sine cachinno, & benignitatem magis ostendens, quam dissolutionem. *S. Bonau. de triplici statu religios. p. 1. c. 21. S. Basilius in* 24 25

admonitione ad filium spiritualem. S. Bonau. in Spec. disc. p. partic. 3. c. 2. & 3.

De eodem.

26 RISVS ne sit multus, nec ob multa, nec effusus. *Epictetus in Enchiridio, c. 43.*

De eodem: & qualiter oscitandum.

27 CVM oscitas, caue os tuum quispiam videat: comprimente autem te spiritum tuum, illico pertransiet, &c. Si coactus fueris ridere, risus tuus dentibus careat. *S. Dorotheus doctr. 24.*

De eodem.

28 MODICE rictum deducere, eoq; modo animi sui diffussionem leuiter significare, non est contra decorum, quatenus illud tantum indicetur, quod Pro. 15. scriptum est: Cor gaudens exhilarat faciem, &c. *Basil. in reg. fus. interrog. 17.*

Qualis esse debeat lingua, oculus, & risus Sacerdotis.

29 SERMO tibi in tempore sit aut serus, aut nullus aspectus tuus aut officiosus, aut demissus, aut cohibitus intra se: oculus tuus sit in capite tuo: risus Eccl. 2. tuus aut indicans lenitatem animi, aut prouocans, rarus tamen; & ipse sit quidem eductus interdum, effusus numquam. *S. Bernardus doctrina. 2. de honestate vitæ.*

Deiecto vultu in terrã respondendũ, nec oculi in cuiusquam faciem infigendi.

30 QVOTIES tecum aliquis loquitur, aut ex aduerso in conspectu psallit, deiectio in humum vultu illi

illi tu respondeto: ne forte, interim dum tu illius os defixis oculis intueris, suscepto ab hoste, & malorum satore libidinis semine, corruptionis posita, ac perditionis manipulos metas. *S. Basilius ser. de abdicatione sæculi, & sermone sequenti de Ascet. Nunquam alicui oculum in faciem figas. S. Bernardus in forma honestæ vitæ.*

Custodia oculorum ad castitatem necessaria.

PLVRIMVM proficit ad custodiam castitatis custodia oculorum. *Idem S. Bernardus de ordine vitæ.* 3

Intueri non decet, quod non licet concupisci.

S. Gregor. Moral. l. 21. c. 2.

Oculos humi deiectos habendos inter loquendum cum feminis. 32

MVLIERVM congressus, quantum potes, fuge, &c. Quod si etiam, vt cum ipsis congrediaris, necessitas aliqua te obstringat, oculos humi deiectos habe, atq; ipsas quoq;, quonam pacto spectandum sit, doce. Cumque pauca, quæ ipsarum animos astringere, atq; illustrare queant, locutus fueris, statim auola, &c. *S. Isidor. Pelusiota l. 2. ep. 284 quam lege. Vide inf. p. 3. c. 12. Ne sit fornicarius, cap. fugiendæ, n. 28. & gustanda, n. 31. & per totum.* 33

Sermo breuis cum mulieribus, & rigidus est habendus.

S. Bonau. de puritate conscientiæ, c. 15. ex S. August. 34

Impudicus oculus, impudici cordis nuntius.

35 NON solum tactu, sed affectu quoq;, & aspectu appetitur, & appetit femina. Nec dicatis vos animos habere pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius. Et, cum se inuicē sibi, etiā tacente lingua, conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immundæ violatione corporibus fugit castitas ipsa de moribus. *Idem S. Augustin. 32. q. 5. c. eod.*

Qualiter in mensa se debet gerere Sacerdos.

36 PAVLATIM in mensa incidas panem, & vinum moderate propina, vt, cum comedas, nec panis incisus, nec vinum in scypho sit, nec sis primus in comedendo, nec vltimus in finiendo, &c. In fine vero micas diligenter collige, quia dicit Domi-
Ioan. 6. nus: Colligite fragmenta, ne pereant. *S. Bonauen. in regulis nouitiorum. c. 5. In Speculo discipl. part. 3. c. 4. & partic. 4. c. 6.*

Qualiter in conuiuio.

37 CVM aliquid ad tuum locum peruenerit, id manu extensa modeste attinges: præterit, noli retinere: nondum appropinquauit, ne nimium appetitum tuum extende, sed expecta, donec iuxta te sit. Eodem animo ad diuitias. & magistratus affici debes, eriisque Deorum conuiuio dignus. *Epi-*

Etetus

Eletus in Enchiridio, c. 21. Sup. c. 2. de sobrietate cap. conuiuia, n. 17. c. Nihil vilitatis, n. 18.

Dextera, non læua, in mensa vtendum.

VBI, posita iam mensa, recubueris, caue, ne læ- 38
ua tua petulanter se iactet; neue, spreto naturæ ordine, imperium sibi in dexteram vsurpet; cessatoque potius, aut certe dexteræ modo deseruito. *S. Basilius de abdicatione sæculi.*

Qualiter se gerere debeat Sacerdos in lecto.

Vide sup. c. 2. §. 4. de somno, cap semper, n. 10. De 39
somno autem, & de cautela in dormiendo adhibenda, vide S. Benedictum in reg. c. 22. Concil. Turon. 2. can. 15.

Qualiter in disputationibus.

Vide inf. c. 7. §. 2. de lectione, cap. in disputatione, 40
n, 60.

Qualiter in confessionibus audiendis.

Vide sup. p. 1. c. 5. de Sacramentorum administr. cap. 41
Sacerdos, n. 33. & inf. c. 4. §. 1. de prudentia. cap. Anchoram, n. 34.

Qualiter sedendo.

INTER sedendum, caue, ne crus cruri alteri su- 42
perponas, &c. *S. Basil. serm. de abdicatione sæculi.*

De eodem.

SEDENS, non pigre in latus reclines te, nec cru- 43
ra longa extendas, maxime præsentibus aliis: exterior enim incompositio corporis, est indicium indeuotæ mentis. *S. Bonau. de triplici statu religios. p. 1. c. 20.*

Qualiter cum aliquo viro conuersandum.

44 MANVM alterius nemo teneat. *Cassian. l. 2. c. 15. 4. c. 16.* Et, siue quis ambulauerit, siue sederit, aut steterit cum aliquo, vno cubito distet ab altero *S. Pachomius in regula sua, c. 53.*

Ne denudaueris præsente aliquo vllum membrorum tuorum, cum æstuas, & eales, &c. Vbi autem eubes, nemo (si fieri potest) vel sciat, vel videat.

45 *S. Dorotheus, doctrina 24.* Cauet omnis honestus ne eius vnquam appareat caro nuda, nisi quantum compulerit necessitas manifesta, &c. *S. Bonau. in spec. discip. partic. 3. c. 8.*

Vide de hoc S. Ambrosiũ de officiis l. 1. c. 18. S. Basilium de abdicatione sæculi, S. Dorotheum doctr. 24. Bernardum de ordine vitæ, & ser. 86. super Cantica, & inf. eod. c. 10. de bono testimonio, & S. Bonau. in regulis nouitiorum, & alibi sæpe.

CAP.

CAPVT IIII.

DE PRVDENTIA, SAPIENTIA, ET EXPERIENTIA SACERDOTVM:

DE CONSTANTIA, ET IMMVTABILITATE ANIMI IN SANCTIS DECRETIS, & CONSILIIS.

De Prudentia, Sapientia, & Experientia Sacerdotũ. §. 1.

SVMMARIVM.

VIR *prudens timore Dei, & sapientia præditus est in omnibus.* 1.
Eius verba magnum pondus habent. 6.
Et melior est, quam vir fortis. 5.
Propterea sine prudentia, & consilio populus peribit. 2.
Et nulla actio potest esse bona. 13.
Prudentia, quid. 9. 10.
Sacerdotibus necessaria. 17. 37. (17.
Quæ perfecta, & quo modo acquiritur, & augetur. 11.
Eius effectus. 12. 14.

Sapi-

Sapientia, quid 16.
*Est mundi domina.*15.
*Illa vere præditus est qui Deum nouit.*16.
*Sequitur post industriam.*3.
*Eius radix est timor Dei.*4.
Omnia mediocria vtilia, & in suo modo perfecta. 18.
Propterea modus habendus in omnibus, maxime in sa-
ueritate, & mansuetudine. 19.
In grauitate, & familiaritate. 20.
*In hilaritate, & tristitia.*21.
In risu. 22.
*In exercitio virtutis.*23.
*In liberalitate, & Eleemosyna.*24.
*In vestibus.*25.
*In cibis, & in mensa.*26.
*In ieiuniis.*27.
*In vigiliis.*28.
*In pœnitentiis, & oratione.*29.
*In feruore spiritus.*30.
In humilitate. 31.
*In correctione proximorum.*32.33.
*Ne, dum aliis prodesse conatur, Sacerdos sibi obsit.*34
*In silentio.*35.
*In conuersatione.*36.
*In pace tuenda.*37.
In ipsamet prudentia. 38.
*Sacerdotem oportet tentari, & multa experriri.*7.8.
40. 41.
Ex operatione virtutum venitur ad gustum Diuino-
*rum.*39.

FILI

FILI mi, si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te, vt audiat sapientiam auris tua, inclina aurem tuam ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies. Quia Dominus dat sapientiam: & ex ore eius prudentia, & scientia, &c. *Pro.* 2. 1

Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem, vbi multa consilia. *Pro.* 11. 2

Post industriam sequetur sapientia. *Eccl.* 10. 3

Radix sapientiæ est timere Deum, & rami illius longæui. *Sap.* 1. *Baruch.* 3. 4

Melior est sapientia, quam vires; & vir prudens quam fortis. *Eccl.* 5. 5

Verba prudentium statera ponderabuntur. *Eccl.* 21. 6

Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum. Qui non est expertus, pauca recognoscit. *Eccl.* 34. 7

Omnia probate: quod bonum est tenete. 1. *Thes.* 5. 8

Prudentia, quid.

DISCRETIO est non tam virtus, quam quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixq; affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus 9

vitium

vitium erit. *S. Bonau. in Phar. l. 2. c. 27. ex. S. Bern. super Cant.*

De eadem.

10 TAM beati Antonij, quam vniuersorum sententia definitum est, Discretionem esse, quæ finem gradu intrepidũ monachum perducat ad Deum, virtutesque iugiter conseruet illæsas, cum qua ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione conscendi; & sine qua multi etiam propensius laborãtes perfectionis nequiuere culmen attingere: omnium namque virtutum generatrix, custos, moderatrixq; discretio est. *Cassian. col. 2. c. 4.*

Prudentia perfecta quæ, & quo modo acquiritur, & augetur.

11 PRVDENTIA vera & perfecta est, semper vtique agnitionem diuinæ naturæ, & profunditatem humanæ miseriæ. Quam prudentiam optauit Augustinus, dicens: Nouerim te, nouerim me, &c. *Albertus Magnus in Paradiso animæ c. 8. & 34.* Vera autem discretio, nonnisi vera humilitate conquiritur. *Cassianus coll. 2. c. 20.* Et hæc per temperantiam proficit, & augetur. *S. Ephraêm in confessione, & reprehensione peccatorum suorum ad finem. S. Gregor. super Ezechiel p. 2. hom. 7. de animalibus habentibus oculos intus, & foris.* Nullus sapientiam Dei plene recipit, nisi qui se ab omni abstrahere actionum cura contendit. *S. Isidorus de summo bono l. 2. c. 1.*

Pru-

Prudentiæ effectus.

FRATRES, prudentia vobis necessaria est, quia 12
docet quid fugiendum, & quid tenendum sit. Prudentia docet te, vt non superbias, nec mireris de rebus transitoriis, cum sint caducæ; & ea, quæ possides, tamquam aliena possidere aduertas. Prudentia docet te, vt, quæ non possis perpetuo tenere, fructuose permittas abire. Prudentia docet te, vt in cunctis idem sis, tam in prosperis, quam in aduersis: sicut manus, quæ eadem est, cum in palmam extenditur, & in pugnum restringitur. Ipsa te docet, quo modo reprehensibilis sit nimia laudatio, & immoderata vituperatio; illa quidem, adulatione, sed ista, suspecta malignitate. Prudentia testimonium veritati, non auaritiæ reddit. Prudentia cum discretione promittit, & promissum accelerat, & amplius, quam promittit, præstat. Prudentia docet, quo modo præsentia ordines, quo modo præterita recorderis, & quotidie futura prouideas, &c. *S. August. ad fratres Eremi, serm. 4. de prudentia.*

Nulla bona actio sine prudentia.

IN omni, quę suscipitur, actione præcedere pru- 13
dentia debet: nam, prudentia remota, nihil cuiusuis generis est, quod, licet bonum videatur, non ita in vitiũ recidat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat. Ratio vero, & prudẽtia, vbi rebus bonis idoneũ tempus, ac modũ definiunt, mirabile est, quantus ex earũ vsu cum in dan-

tes,

tes, tum in accipientes fructus redundet. *S. Basilius de constit. monast. c.* 15. Actio debet esse in tribus circumspecta: primo, an liceat; secundo, an deceat; tertio, an expediat, &c. *S. Bonau. de processu relig. 5. c.* 1.

Prudentes & interiora, & exteriora sua circumspiciunt.

14 ANIMALIA prophetica & in circuitu, & intus plena esse oculis memorantur. Quisquis enim exteriora sua honeste disponit, sed interiora neglegit in circuitu oculos habet, sed intus non habet. Sancti vero homines semper & exteriora sua circumspiciunt, vt bona de se extra præbeant fratribus, & interiora sua vigilantia attendant, quia se irreprehensibiles interius iudicis obtutibus parant: ideo in circuitu oculos, & intus habere perhibentur. *S. Gregor. hom.* 1. *super Ezech. dist.* 88. *c. decreuit.*

Eze. 1.

Sapientia, mundi Domina.

15 A Sapientia nihil alienum, nisi quod virtuti incongruum. Quocumque accesserit, sua omnia secum portat; totus ei mundus possessio est, quoniam toto eo quasi suo vtitur. *S. Ambros. epist.* 36. *ad Constantinum Imperatorem, dist.* 37. *c. legimus.* 1.

Ille vere sapiens, qui Deum nouit; & quid sit Sapientia.

16 OMNIS ratio scientiæ supernæ, vel terrenæ creaturæ in eo est, qui est caput earum, & auctor, vt

vt, qui hunc nouit, nihil vltra quærat, quia hic est perfecta virtus, & sapientia. Quidquid alibi quæritur, hic perfecte inuenitur. *Idem S. Ambrosius super epistolam ad colosſ. c.2.* In sola religione, id est, in summa Dei notione sapientia est. *Lactantius Firmianus de falsa sapientia c.* 21. Vt Sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. *Idem Lactantius de origine error.5.c.8.* Et in ea plus est boni, ac iucunditatis, quam in malis molestiæ. *Idem Lactantius de ira Dei c.13.& de vero cultu c.23.*

Prudentia Sacerdotibus necessaria, & quo modo exercenda.

PAVCI sunt, qui vtiliter; pauciores, qui humi- 17
liter præsunt. Qui autem ad hoc sunt idonei, illi nimirum sunt, qui matrem virtutum discretionem perfecte adepti sunt. Qui etiam vinum caritatis vsque ad contemptum propriæ gloriæ, & vsq; ad suimet obliuionem, non quærendo quæ sua sunt, Spiritus sancti magisterio ebiberunt. Nam virtus discretionis absque caritatis feruore iacet; & feruor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat: nam feruor debet regere discretionem, & discretio feruorem regere debet, ac demum subiectis ne desit in cura, ne in superbia præsit. *S. Bernardus l.2. de consideratione, & serm. 23. super Cantica.*

Omnia mediocria vtilia, & in suo modo perfecta.

ETIAM in bonis immoderatum aliquid non 18

debet esse. Omnia mediocria sunt vtilia, & in suo modo perfecta. Quæ cum temperantia fiunt, salubria sunt: bona autem, immoderato vsu, noxia efficiuntur. Omnis enim nimietas in vitio deputatur. *S. Bernardus in modo bene viuendi, serm. 63.*

Temperamentum fieri debet ex mansuetudine, & seueritate.

19 *Vide sup. c. 3. §. 3. de suauitate, sunt nonnulli, n. 24. inf. de mansuetudine c. 8. §. 1. Mansueti, n. 17.*

Modus habendus in grauitate, & familiaritate.

20 *Vide sup. eod. c. 3. §. 2. de grauitate, Esto grauis, n. 10.*

In hilaritate, & seueritate.

21 *Vide sup. c. 3. §. 4. de gestu, Talis esse debet, n. 14. & Disciplina honestæ, n. 19. & §. 3. de suauitate, à cap. Sunt nonnulli, n. 24. cum sequentibus.*

In risu.

22 *Vide sup. eod. c. 3. §. 4. de gestu, Risus tuus, n. 25. & Risus ne sit, n. 26. & Si coactus, n. 27. & Modice, n. 28.*

In exercitio virtutis aliquando virtus intermittenda, sed caute.

PLERVMQVE virtus, cum indiscrete tenetur, amittitur; cumq; discrete intermittitur, plus tenetur. Ex studio arcus distenditur, vt in suo tempore cum vtilitate tendatur, &c. Sed, cum parumper ab opere zeli fortitudo seponitur, alta consideratione opus est, ne fortasse nequaquam communis boni consilio, sed timore proprio, vel cuiuslibet

iuſlibet ambitionis ſtudio, à virtutis exercitatione ceſſetur, &c. *S. Gregor. Moral. l. 28. c. 6.*

In liberalitate, & eleemoſyna.

QVI modum ſeruat, auarus nulli, ſed largus omnibus eſt, &c. Sicut igitur modus liberalitatis tenendus eſt, ita etiam calcar plerumque adhibendum videtur. Modus ideo, vt, quod benefacis, id quotidie facere poſſis; vt ſubtrahas neceſſitati, quod indulſeris effuſioni: calcar propterea, quia melius operatur pecunia in pauperis cibo, quam in diuitis ſacculo. *S. Ambroſ. l. 2. de off. c. 16. & 21. Vide inf. c. 6. §. 2. de eleemoſyna, n. 34. & 35.* 24

In veſtibus.

Vide ſup. c. 3. §. 1. de ornatu, Parſimoniam, n. 7. cum ſequentibus. 25

In cibis.

Vt ſup. c. 2. §. 1. de temperantia in cibis, n. 21. cum ſeqq. 26

In ieiunijs.

Vt ſup. c. 2. §. 2. de ieiunio, Obſeruandus, n. 13. 17. 19. & 20. 27

In vigilijs.

Vt ſup. c. 2. §. 4. de ſomno, Conſuetudinem, n. 15. 28

In pœnitentijs, & orationibus.

AFFLIGENDVM eſt corpus aliquando, ſed non conterendum. *S. Bernardus ad fratres de monte Dei. Et vide ſup. c. 2. §. 2. de ieiunio, Virtus abſtinentiæ, n. 22. De oratione, & Deuotione, vide S. Bonau. de proceſſu Relig. c. 21.* 29

In feruore spiritus.

30 *Vt sup. n.* 17. *Et inf. c.* 11. *de sollicitudine, Zelus, n.* 25.

In humilitate.

31 *Vt inf. §. seq. Dum nimia, n.* 16.

In correctione proximorum.

32 NON licet tanta cum auctoritate homines curare, cum quanta oues pastor curat, &c. Christianis enim minime omnium licet peccantium lapsus vi corrigere, &c. Neque enim temere ad delictorum modũ oportet & mulctam ipsam adhibere; sed tamquam coniecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus: ne qua fiat, dum consuere vis quod incorruptum est, scissuram deteriorem facias; ac, dum eum, qui lapsus est, erigere, atque emendare studes, casus ipse maior per te reddatur, &c. Humanus enim animus postea quam semel fines verecundiæ transire coactus est, in indolentiam delabitur: tum autem neque blandis verbis paret, neque minis flectitur, neque beneficiis mouetur. *S. Chrysost. l.* 2. *de Sacerdotio.* In obiurgando, caue, sis grauis, neque cito, neque cum impetu reprehendas, neq; ob res paruas, aut nihili aliquem condemnes, veluti ipse omnibus numeris sis iustus; sed eos qui deliquerunt, placide assumito, &c. *S. Basil. orat.* 17. *de humilitate.*

De eodem.

33 MAGNA diligentia opus est, ne, dum prodesse proximo cupis, maioris damni auctor sis. Nam quæcumq; ille post curationem tuam imprudentem

tem peccata commiserit, futurum est, vt horum singulorum pœna cum medico illo communis sit, qui vulnus probe non inciderit. *Idem Chrysost. l.3. de Sacerdotio. S. Gregor. l.9. ep. 8. indictione 4. S. Bernardus ep.25.*

De eodē, ne, dum aliis prodesse conatur, sibi damnum acquirat.

ANCHORAM cum anchora noli implicare, ne, si 34
quid in te leue reliquum est, à cupiditatibus retraharis. Qui enim extrahere cupit eum, qui decidit in profundum, prudenter id agere debet, ne ab illius anchora eodem in gurgite demergatur: malorum enim sermo, & consuetudo facile, si detur occasio, aculeo & vncino animam figit, ac detrahit. *S. Ephraëm de recta vitæ ratione, c.31. Vide sup. p.1. c.5. de Sacramentorum administratione, Sacerdos, qui Angelus, n.33.*

In silentio.

Vt inf. c.7. §.1. de doctrina, cap. Sit rector, n.92. 35

In conuersatione, quæ debet esse secundum mores eorum, quibus cum viuimus, & qualiter.

QVISQVIS rebus prætereuntibus restrictius vti- 36
tur, quam de se habent mores eorum, cum quibus viuit, aut intemperans, aut superstitiosus est: quisquis vero sic eis vtitur, vt metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus

enim talibus non vsus rerum, sed libido in culpa est. Quod igitur locis, & temporibus, & personis conueniat, diligenter attendendum est, &c. Nam in huiusmodi rebus omnibus, non ex earum rerum natura, quibus vtimur, sed ex causa vtendi, & modo appetendi, vel probandum, vel improbandum est, quod facimus. *S. Augustin. dist. 41. c. eod.*

In pace tuenda.

37 *Pacem relinquo, &c. Vide inf. c. 8. §. 4. de interiori gaudio, n. 31.*

In ipsamet prudentia.

38 DICIT Sapiens: Prudentiæ tuæ pone modum,
Pro. 23. neque enim decet sine modo eam virtutem esse, quæ reliquarum virtutum modus, & mensura est. *Ita Ignatius Loiola in suis regulis, cap. de prudentia rerum gerendarum.*

Ex operatione virtutum venitur ad gustum diuinorum.

39 FRATRES carissimi, non poteritis probare, quá vere cantetis, nisi cœperitis facere, quod cantatis. Quantumlibet illud dicam, quomodo libet exponam, qualibuscumq; verbis versem, non intrat in cor eius, in quo est opus eius. Incipite agere, & videte, quid loquamur. Tunc ad singula verba lacrymæ perfluunt, tunc Psalmus cantatur, & facit cor, quod in Psalmo cantatur. *S. Augustin. super Psal. 119.*

Sacerdos in multis expertus esse debet.

40 NON solum mundum purumque Sacerdotem esse

esse oportet, vt qui tali ministerio dignus habitus sit; sed etiam in primis prudentem, atq; adeo multarum rerum prudentia instructum, ornatumque, in tantum, vt sæcularia, mundanaq; omnia nihilo minus noscat, quam norunt ij, qui in media hominum turba versantur. Rursus rerũ omnium mundanarum securior viuat, quam Monachi ij, qui montes ipsos habitandos occuparunt. Nam, cum illum necesse sit eorum hominum consuetudine & congressione vti, qui & vxores habent, & liberos alunt, & seruos possident, quiq; & diuites admodum sunt, & publice negotiantur, & potentia pollent, certe varium esse conuenit. *S. Chrysost. de Sacerd. lib. 6.*

De eodem.

VARIVM esse decet Sacerdotem, & doctorem; 41
varium, inquam, non occultum, neque adulatorem, neq; contumeliosum, sed libertatis, & candoris plenum, qui se negotiis vtiliter accommodare possit, & seruire tempori, leuis simul, & austerus. *Suidas in vita S. Chrysostomi.*
S. Gregor. Pastor. p. 2. c. 7.

De Constantia, & Immutabilitate animi Sacerdotalis in sanctis Decretis, & Consiliis. §. II.

SVMMARIVM.

PRO iustitia, & veritate perseueranter vsque ad mortem agonizandum. 1. 3. 5. 9.

Non eundum in omnem ventum, nec in omnem viam. 2. 4.

Sacerdotalis animus immutabilis esse debet ad instar adamantis, non ceræ mollis. 6. 7.

Maxime in tribulationibus. 8.

Quæ bona vita Sacerdotis. 9.

Qui populi dicta multi facit, nil generosum facere poterit. 10.

Nam, qui adulationes, & detractiones non negligit, nec Deo placebit, nec hominibus vtilis erit. 11. 12. 13. 14.

Per nimiam humilitatẽ regendi frangitur auctoritas. 15.

Mutatio consuetudinis, & legum nociua. 16. ex Aristotele. 17. ex Iamblicho. 18.

1 PRO iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. *Eccl.* 4. 18.

Non

Non ventiles te in omnem ventum, & non eas 2
in omnem viam. Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui. *Eccl.* 5.

Non exibimus, neque faciemus verbum re- 3
gis, vt polluamus, &c. Moriamur omnes in simplicitate nostra: & testes erunt super nos cælum & terra, quod iniuste perditis nos. 1. *Machab.* 2. *Vide optimum exemplum de Eleazaro,* 1. *Machab.* 6. *de septem fratribus. de tribus pueris, Dan.* 3. *de Susanna,* 13. *de Petro, & Ioanne, Actorum* 4.

Non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, 4
&c. *Eph.* 4.

Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum reti- 5
neamus. *Heb.* 3.

Sacerdotalis animus immutabilis.

Sacerdos Dei Euangelium tenens, & Chri- 6
sti præcepta custodiens, occidi potest, vinci non potest. Suggerit nobis exemplum Zacharias anti- *Mat.* 23
stes Domini, qui, cum terreri minis, & lapidatione non posset, in templo occisus est, clamans, identidem dicens: De reliquistis vias Domini, & Domi- 2. *Para.* 24.
nus derelinquet vos. *S. Cypr. l.* 1. *ep.* 3.

Mens Sacerdotalis debet esse ad instar adamamantini sigilli, non ceræ mollis.

Mens Sacerdotis non debet esse similis ceræ, 7

vel alterius cuiusque materiæ mollioris, quæ semper characteri signantium cedens, pro eius forma atque imagine figuratur, quamque in se tam diu retinet, donec alio rursus super impresso signaculo reformetur: atque ita fit, vt, numquam in sua qualitate persistens, ad formam eorum, quæ imprimuntur, semper conuertatur, & transeat. Quin potius debet velut quoddam esse adamantinum signatorium, vt, inuiolabilem mens nostra figuram sui semper custodiens characteris, vniuersa quæ incurrerint sibi ad qualitatem sui status signet, atq; transformet; ipsa vero insigniri nullius incursibus possit. *Cassianus coll. 6. c. 12.*

Sacerdotalis animi immobilitas in tribulationibus.

8 SVBLIMIORIS, præstantiorisq; virtutis est, persecutionibus ærumnisque vallatum, manere semper immobilem, & aduersum se sæuientibus cunctis certum de præsidio Dei, atq; intrepidum perdurare, humanisque incursibus, velut armis inuictæ virtutis accinctum, glorioſissime de impatientia triumphare; & acquirere quodammodo de
2. Co. 12 infirmitate virtutem, quia virtus in infirmitate perficitur, &c. *Idem Cassian. coll. 24. c. 25.*

Quæ bona vita Sacerdotis.

9 BONAM vitam Sacerdotis ego puto, & mala pati, & bona facere, & sic perseuerare vsq; ad mortem, *S. Bernardus sermo. de sanctis Apostolis, Petro & Paulo.*

Qui

Qui populi dicta multifacit nil generosum agere poterit.

Si quis ob populi dicta animo statim deijci cœperit, næ is nihil vmquam quod generosum, admirandumque sit, parere poterit. Si quidem mæstitia, itemque curæ, ac sollicitudines perpetuæ, animi vim maxime possunt prosternere, eundemque ad summam imbecillitatem perducere, &c. *S. Chrysost. l. 5. de Sacerdotio.* 10

Qui adulationes & detractiones nō contemnit nec Deo placebit, nec hominibus vtilis erit.

Non carebis infinitis detractoribus, & adulatoribus; hi obliuioni tradendi, illi dissimulandi. Qui ad linguas dolosas attenderit, & non potius intentioni suæ, & menti animum totus intenderit, numquam Deo inseruiet, nec hominibus vtilis erit. *S. Bernardus super Cant. serm. 63.* Honores & iniuriæ vulgi in promiscuo sunt habendæ: nec his gaudendū nec illis dolendū. *S. Bonau. in Phar. l. 2. c. 32. ex Seneca. Idem de inform. nouit. p. 2. c. 10. & 11.* 11

De eodem.

Qvi obseruat dicta hominum, numquam aliquid benefaciet, iuxta illud: Qui obseruat ventum, non seminat: &, qui considerat nubes, numquam metet. *S. Thom. super c. 11. Matthæi.* 12 *Eccl. 11.*

De eodem.

Superne vocis imperio in vtroq; humero Sacerdos superhumeralis velamine astringitur, vt contra 13

tra aduersa, ac prospera virtutum semper ornamento muniatur; quatenus, iuxta vocem Pauli,
2.Cor.6 per arma iustitiæ à dextris siniſtrisque gradiens, cum ad sola, quæ anteriora sunt, nititur, in nullo delectationis infimæ latere flectatur. Non hunc prospera eleuent, non aduersa perturbent, non blanda vsque ad voluptatem demulceant, non aspera vsque ad desperationem premant; vt, dum nullis passionibus intentionem mentis humiliat, quanta in vtroque humero superhumeralis pulchritudine tegatur, ostendat. *S. Gregor. Pastoral. p. 1. cap. 3.*

De eodem.

14 PER bonam, & malam famam à dextris & à si-
2.Cor.6 nistris Christi miles graditur; nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur; non diuitiis tumet, non confunditur paupertate; & læta contemnit, & tristia. *S. Hieron. in prologo super Hester. S. Bonauen. in Phar. l. 2. c. 32. Vide sup. c. 1. §. 2. de intentionis puritate, Qui aliorum, n. 14. & 19. & inf. c. 8. §. 6. de temporalium contemptu, à. c. eodem, n. 25.*

Dum nimia seruatur humilitas, regendi frangitur auctoritas.

15 QVANDO necessitas disciplinæ minoribus coërcedentis dicere vos verba dura compellit, si etiã ipsi vos modum excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt ab eis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimia seruatur humi-

humilitas, regendi frangatur auctoritas. sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui nouit etiam; eos, quos plus iusto forte corripitis, quanta beneuolentia diligatis. *S. Augustin. dist. 86. c. eod.*

Mutatio consuetudinis, & legum, nociua.

IPSA mutatio consuetudinis, etiã quæ adiuuat 16
vtilitate, nouitate perturbat. *S. Augustin. ep.* 118. Habet ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis, quia ad obseruantiam legum plurimum valet consuetudo, in tantum, quod ea, quæ contra communem consuetudinem fiunt, etiam si sint leuiora de se, grauiora videntur. Vnde, quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiua legis, in quantum tollitur consuetudo; & ideo numquam debet mutari lex humana, nisi ex aliqua parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur, &c. *S. Tho. 12. q. 97. ar. 2. S. Chrysostomus hom. 7. in ep. 1. ad Corinth. ff. de constitutionibus Principum. l. in rebus.*

De eodem.

CVM vtilitatis quidem accessio parua sit, as- 17
suescere vero faciliter leges mutare improbandum; constat, errata quædam esse toleranda & legum latorum, & magistratuum. Non enim tantũ proderit, qui corrigere perget, quantum nocebit assue-

assuefactio superioribus non parendi, &c. Quare faciliter mutare leges ex præsentibus in alias nouas, infirmam facere est vim legis. *Arist. Politicorum l. 2. c. 6.*

De eodem.

18 QVEMADMODVM veritatem assecuti sunt primi, qui leges nobis de religionis sanctimonia tradiderunt; sic perseuerare in eis debemus: si quid enim aliud in sacris legibus ritibusque Deo placet, firmitas ipsa maxime placet, & præcipue congruit. *Et post pauca:* Ea, quæ multis sæculis, & operoso labore in sacris comprobata sunt, nefas est, ex nonnullis repente incidentibus temere judicando mutare. *Iamblichus de mysteriis Ægyptiorum. Vide sup. c. 3. §. 2. de grauitate, & seueritate.*

CAP.

CAPVT V.

DE PVDICITIA, ET CÆLIBATV SACERDOTVM.

SVMMARIVM.

HONESTAS *interior, & exterior, maxime curanda Sacerdoti.* 1.

Quia Deo est grata. 2. 3.

Sacerdotes nouæ legis semper debent castitatem seruare. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

Et alij ministri Ecclesiæ. 10. 11. 12. 13.

Sacrum ordinem suscipiens emittit votum solemne castitatis. 15.

Et propter id apibus comparatur 16.

Omnes, si volunt, casti esse possunt. 17.

Sed necesse est illis fugere voluptatum illecebras. 19.

Castitatis effectus, & necessitas. 18.

Eius sex gradus. 21.

Quanto sublimius est præmium castitatis, tanto fortius à Dæmone impugnatur, & ideo diligentius conseruanda. 20.

De sacro Sacerdotum cælibatu. 22.

FACIES & feminalia linea, quibus Sacerdotes operiant carnem turpitudinis suæ, à renibus vsque ad femora: & vtentur eis Aaron, & filij eius, quando ingredientur tabernaculum testimonii. *Exod.* 28. *Quorsum hæc, nisi vt hac ratione castitatis puritatẽ in Sacerdotibus maxime requiri designaretur?* 1

Qui

2 Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem. *Prou.22.*

3 Incorruptio facit esse proximum Deo. *Sap.6.*

Sacerdotes nouæ Legis semper debent custodire castitatem.

4 QVIA in veteri lege Sacerdotalis ex stirpe Aaron successio quærebatur, necessario tempus substituendæ proli procurabatur. At, quia nunc non carnalis successio, sed perfectio spiritualis inquiritur, consequenter Sacerdotibus, vt semper valeant altari assistere, semper est ab vxoribus abstinendum, semperque castitas obseruanda præcipitur. *Ven. Beda super Lucam lib.1. cap.1. dist.31. cap. Sacerdotibus, de vita, & hon.cler. cap. vt clericorum.*

De eodem.

5 PRISCIS temporibus de templo Dei Sacerdo-
Luc. 5. tes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus; nec domum suam omnino tangebant, quibus vtique propter sobolis successionem vxorius vsus fuerat relaxatus. Quin etiam ex alia
Nu.18. tribu, & præterquam ex semine Aaron ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere, quanto magis, si Sacerdotes, vel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel Sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à sacrificiis diuinis, vel à bap-

baptismatis officio vacent? *Inoc. Papa. ep. 2. cap. 9. dist. 31. c. Tenere debet. c. Sacerdotibus. Iuo. p. 6. c. 94. S. Ambros. super ep. 1. ad Timoth.*

De eodem.

AVT permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem sint virgines quod mariti; aut, si Sacerdotibus non licet vxores tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum. Si laicus, & quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali; Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est, ergo semper matrimonio carendum. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab vxoribus separati; & vinum, & siceram non bibebant, quæ solent libidinem prouocare. Eliguntur mariti in Sacerdotium, non nego, quia non sunt tanti virgines, quanti necessarij sunt Sacerdotes, &c. *S. Hieron. l. 1. contra Iouinianum; dist. 31. c. si laicus. glossa super ep. 1. Petri, c. 3.* 6

De eodem.

APOSTOLI, vel virgines, vel post nuptias continentes: Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici. *Idem S. Hieron. ep. 50. dist. 32. c. nemo.* 7

De eodem.

SEDIS Apostolicæ Ecclesiæ, aut virgines cleri- 8

cos accipiunt, aut continentes, aut, si vxores habuerint, mariti esse desistunt. *Idem S. Hieron. contra Vigilantium.*

De eodem.

9 SI quis clericus post acceptam benedictionem cuiuslibet loci, vel ordinis, ad coniugalem torum iam sibi illicitum denuo redire præsumpserit, vsq; in diē vitę ab honore accepti ordinis (sicut habent antiquorū Patrū Canones) ab officio deponatur, ei tantū communione concessa. *Concil. Aurel. 5. c. 4*

Aduerte, hic non solum Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, sed vniuersum etiam clerū, in omnibus ordinibus constitutum, eo sæculo apud Gallos susceptо ordine, à Nuptiarum vsu Ecclesiasticis Constitutionibus auocari; vt notatur inf. cap. seq. Licet alicubi, vt in Sicilia, aliquando Subdiaconi continentiæ legibus non astringebantur, vt colligitur ex S. Gregor. dist. 31. c. 1.

De eodem: ac de aliis Ecclesiæ ministris.

10 PRESBYTEROS, & Diaconos, ita placuit, vt condecet sanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter quod à Deo postulant impetrare; vt, quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoq; custodiamus. Ab omnibus datū est: placet, vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deseruiunt. *Concil. Carthag. 2. dist. 31. c. Episcopus iuncto c. cum in præterito dist. 84.*

Aduerte, hic non solum à Sacerdotibus pudicitiam seruа-

seruatam, sed etiam à Leuitis, & eis, qui sacramentis diuinis inseruiebant, propter tanti ministerij sanctimoniam, contra hodiernum alicuius loci abusum, vbi coniugatis, & adolescentulis forte impudicis, temere, ac sine delectu, sacrarij claues, sacra vasa, & vestimenta seruãda traduntur, in euidens Ecclesiastici ministerij vilipendium. Quod, vbi posset, summopere corrigendũ foret.

De eodem.

SACERDOTVM tam excellens est electio, vt hęc, quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita. Nam, cum extra clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & filiorum procreationi studere sit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem nec Subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, vt & qui habent sint tamquam non habentes, & qui non habent permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus est à capite, dignũ est custodiri, quanto magis in primo, vel secundo, tertioue seruandum est; ne aut Leuitico ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate vxoria nec dum frenasse detegitur. *S. Leo ep. 81. c. 3. & 4. dist. 32. c. omnium. Iuo p. 5. c. 59. & p. 6. c. 98. & 221.* 11

De eodem.

INOFFENSVM exhibendum, & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali, sacri 12

mysterij gratiam recepistis. *S. Ambros. l. 1. de offic. c. 50. & ep. 28. ad Ecclesiam Vercell.*

Castitas necessaria, maxime ministris Ecclésiæ.

13 OMNIBVS castitas, per necessaria est, sed maxime ministris Ecclesiæ altaris, quorum vita aliorũ debet esse eruditio, & assidua salutis prædicatio. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nulla contagione carnis corrumpantur, sed potius continentia castitatis splendeant, & totis honestis fulgeant in populo exemplis, &c. *S. Aug. serm. 1. Dominicæ 25. post Trinitatem.*

De eodem.

14 EST vetus admodum sacræ legis auctoritas, &c. *Vt sup. p. 1. c. 3. §. 1. de sacrificij oblatione, n. 31.*

Sacrum ordinem suscipiens emittit votum solemne castitatis.

15 PRÆSENTIS declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit post susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. *Bonifacius viij. de voto l. 6. c. vnico dist. 28. c. nullum.*

Sacerdotes apibus comparantur, inter alia propter castitatem.

16 RECTE comparantur apibus Sacerdotes, quia, sicut apes castitatem corporis referunt, cibũ vitæ cæle-

cæleſtis exhibent, aculeum legis exercent: puri enim ad ſatisfactionem, ſecuri ſunt ad vltionem. Apibus plane ſunt comparandi, qui, velut alueario quodam, gratiam matris Eccleſiæ continent, in qua diuerſorum meritorum cellulas dulciſſimis prædicationibus componentes de vno Saluatoris examine Chriſtianorum examina multa producunt. *S. Ambroſ. ſerm. 83.*

Omnes, ſi volunt, caſti eſſe poſſunt.

CASTI non ſumus, non eſt, quia non poſſumus, 17
ſed quia non volumus: nam qui te hortatur, vt voueas, ipſe adiuuabit te, vt reddas. Alioqui culpa illius eſſet, ſi, quod imperaret, efficere nequires. Neque igitur culpandus eſt Deus, qui præcepit, vel qui non adiuuat, quia non præcepiſſet, niſi adiuuare vellet. Culpa igitur tota in te eſt, qui dicis, te nolle; neque tamen te promoues: dicis, te non poſſe, neque tamen, vt poſſis, conaris. *S. Auguſt. l. 2. c. 77. de meritis, & peccatorum remiſſione.*

Caſtitatis effectus, & neceſſitas.

CASTITAS eſt virtus, quæ nos Sacerdotes Deo 18
commendat, quæ nos Angelos facit, quæ nos ſuper æthera volando conducit. Hæc eſt illa virtus, ſine qua vaſa Domini ferre non poſſumus, ſine qua factus eſt omnium reus. Ideo, fratres, attendite, quod non ſolum à nobis remouenda eſt fornicatio, ſed etiam omnis ſuſpicio falſa. Non decet clericum cùm mulieribus ſedere, & fabulari, &c.

Vt inf. p. 3. ca. 12. Ne sit fornicarius non decet, n. 35. Idem S. Augustin. serm. 37. ad fratres Eremi.

Castus esse volens fugiat necesse est voluptatum illecebras.

19 CONSTITVTVS est in arce huius corporeæ molis dux veluti animus, qui imperio suo omnem lasciuientem carnis voluntatē cohibere possit. Sed, si deliciis & illecebris veluti compedibus deuinctus & illaqueatus teneris, ab iis ægre liberaberis. Si mulierum spectacula, fabulas, & colloquia demulcentia pectus ames, si temperantiam, & ieiunium negligis, non est profecto, quod mireris, te non posse continentiam amplecti. *Idem S. Augustin. super Psalm. 131.*

Quanto maius est præmium castitatis, tanto fortius à dæmone impugnatur, & ideo diligentius conseruanda.

20 QVANTVM sublime, celesteq; est præmium castitatis, tanto grauioribus aduersariorum insidiis lacessitur. Et ideo propensius nobis est non solum continentia corporis, verum etiam contritio cordis assiduis orationum gemitibus adhibenda, vt clibanus carnis nostræ (quem Rex Babylonis incentiuis suggestionum carnalium succendere non desistit) descendente in corda nostra rore sancti Spiritus extinguatur. *Cassianus. l. 6. c. 17.*

Sex gradus castitatis.

21 *Vide apud eundem Cassianum Collatione 12. c. 7. & varia exempla apud eundem de S. Basilio. lib. 6. c. 19. de*

Abbat

Abbate Sereno coll.7.c.1.de Abbate Paulo eadem coll. 7.c. 26.de quodam rustico coll. 14.c. 8.

De sacro Sacerdotum cælibatu.

Vide concil.Eliberitanum can.33.Chartag.2.c.2.& 22 5.can. 3.Afri.c.37.Rom.c.8.Tolet.1.c.1.Tolet.2.c.1.Tolet.3.c.5.Tolet.8.c.4 Agath.c.9.Nicænum c.3.Arausic.c.23.24.Arelat. vt dist.28.c.præterea.Turon.1.c.1. Turon. 2.c.17.20.Aurel. 3.c.2.Aurel.4.c.12.Aurel. 5.c.4.Matiscon.1.c.11.Antißiodor. c.10. Moguntinum c.19.Trident.sess.24.c.9.S. Clementẽ ep. 2. ad Iacobum fratrem Domini.Syricium Papam ep.4.c.9.& ad Himerium c.7.S.Innoc. Papam. 1.ep.2.ad victorium Episcopum 1.8.ep.3.ad Exuperium c.1.Zachariam Papam ad Bonifacium ep.4.Orig.in c. 3.Ioëlis.S.Greg.Nyssenum l.de. Virginit.Euseb. l. 2. demonstrationum Euangelicarum.Callistum Papam, vt dist.27.c.Presbyteris. Sixtum ij.l.1 de Castitate.c.7.S.Chrysost. hom.2.de patientia Iob.S.Epiphanium ad finem contra hæreses. S.Cirillum catechesi 12. Oecumenium in c. 3. ep.1. ad Timoth. S.Cyprianum tract. de singul. clericorum; si tamen S. Cypriani tractatus est. S. Ambros. l. 1. de offic. c.fin. S.Hieron.contra Vigilantium in princ.S. August.l.2.de adulterinis coniugiis,& ep.91.S. Isidorum l.2. de diu. offic.c.20. S.Anselmum ep.8.Ven. Bedam l.de tabernaculo,c.9.Gregorium Turon.l.4.hist.Eccles.c.4 & sup. p.1.c.1.de ordine Sacerdotum. Alia multa de vitando suspecto contubernio, & de non frequentandis feminarum domiciliis,& confabulationibus fugiendis, vide inf.p.3.c.12.Ne sit fornicarius.

CAPVT VI.

DE HOSPITALITATE: DE ELEEMOSYNA, ET LIBERALITATE SACERDOTVM: DE DECIMIS, OBVENTIONIBVS, REDDITIBVSQVE ECCLESIASTICIS.

De Hospitalitate Sacerdotum.

§. I.

SVMMARIVM.

ANTIQVVS *mos sanctorum hospitandi amicos, & peregrinos.* 1. 2. 3. 6. 7.

Qui recipit hospitio pauperem, recipit Christum. 4. 5.

Sacerdos habeat curam hospitandi quotidie, maxime pauperes, & peregrinos. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

Et ad id alios hortari debet. 13. 14. 15.

Neq; solum inuitandi peregrini, sed etiam trahendi. 16.

Æqualem mercedem habet cum peregrino hospes peregrini. 17.

Hospitalitas indifferenter omnibus exhibenda. 18. 19. 20.

Et cum hilaritate. 21.

VADE

VADE, & adduc aliquos de tribu nostrá timentes Deum, vt epulentur nobiscum. *Tob.* 2. 1

Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. *Iob.* 31. 2

Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam. *Isa.* 58. 3

Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. *Matth.* 10. 4

Hospes eram, & collegistis me. *Matth.* 25. 5

Caritas fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite obliuiscí: per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. Mementote vinctorum, &c. *Heb.* 13. 6

Hospitales inuicem sine murmuratione. 1. *Pet. cap.* 4. 7

Communes faciendi cibi nostri frequenter cum fratribus, maxime pauperibus.

CARITATIS recipiendæ, & habendæ maximum erit fomentum, si frequenter inter vos communem cibum vestrum, mensamq; faciatis; &, quantum quisque præualet, crebrius panem salemque suum cum fratribus sumat. Per hæc dilectio comparatur, & causa boni totius in huiusmodi communione consistit: ideo communes facite cibos vestros cum fratribus. Secundum Deum per hæc temporalia officia pacis, & caritatis fructus æterna gaudia cõparate. Multo autẽ sollicitius esurientes reficite, sitientibus potum, nudis vestimentũ date, ęgros visite, vinctos iuuate, peregrinos in domibus 8

vestris susçipite, exemplo piissimi Patriarchæ Abrahæ. *S. Clemens ep. 1. ita refert ex persona S. Petri.*

Gen. 18.

Sacerdos habeat curam hospitandi quotidie, maxime pauperes.

9 CVRAM hospitum, maxime pauperum, atq; debilium, orphanorum quoque, atq; peregrinorum habeat Presbyter, hosq; ad prandium suum quotidie iuxta possibilitatem conuocet, eisq; hospitium tribuat. *Iuo p. 6. c. 257. Ex Concil, Nannet.*

De eodem.

10 VT omnis rapinæ tollatur occasio, volumus vt Presbyteri, qui bonum exemplum caritatis omnibus ostendere debent, hospitales existant, iuxta Dominicum & Apostolicum præceptum, vt humanitatem tribuant iter facientibus: quia per hospitalitatem placuerunt quidam Deo, Angelis hospitio receptis. Et Dominus in iudicio dicturus est electis: Hospes eram, & susçepistis me. Et Iob dicit: Ostium meum semper viatori patuit. *Idem Iuo p. 6. c. 258. ex eodem Concil. Nannet.*

Gen. 18. Heb. 13. Mat. 25 Iob. 31.

De eodem.

11 QVONIAM quidquid habent clerici pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes, susceptioni peregrinorum, & hospitum inuigilare debent; maxime curandum est illis, vt de decimis & oblationibus Cœnobiis & Xenodochiis qualem voluerint, & potuerint, sustentationem impendant. *S. Hieron. 16. q. 1. c. fin. dist. 85. c. Archidiaconum.*

De

De eodem.

EST publica ſpecies humanitatis, vt peregrinus 12
hoſpitio non egeat, ſuſcipiatur officioſe, pateat aduenienti ianua. Valde id decorum totius eſt orbis exiſtimatione, peregrinos cum honore ſuſcipere, non deeſſe menſæ hoſpitalitatis gratiam, occurrere officiis liberalitatis, explorare aduentus hoſpitum. *S. Ambroſ. de off. l. 2. c. 21.*

De eodem: quodq; ad id alios hortari debeant Sacerdotes.

HOSPITALEM Sacerdotem eſſe oportet, ne ſit 13
de numero eorum, quibus in iudicio dicetur: Ho- *Mat. 25*
ſpes fui, & non ſuſcepiſtis me. Qui enim Apoſtolum ſecutus fuerit, alios ad hoſpitalitatem debet inuitare. Quo modo exhortator hoſpitalitatis poteris eſſe, qui domum propriam hoſpitibus claudis? Si enim Sacerdos primum à ſeipſo, & à domeſtica ſua Eccleſia debet exigere, quod poſtea populis imperet, ſi primum imitando Chriſtum ipſe debet facere, quæ poſtea populum doceat, neceſſe eſt, vt pauperes hoſpitio recipiat, quoad hoſpitalitatem facilius ſuo exemplo ſubditos attrahat, &c. *Gratianus diſt. 42. c. 1. Vide optimum decretum Concilij Pariſienſis c. 14. Trident. Seſſ. 25. c. 8. de reform.*

De eodem.

PLACVIT, vt Preſbyteri ſuas plebes moneant, vt 14
ipſi hoſpitales ſint, & nulli iter faciẽti manſionem denegent; &, vt omnis rapinæ tollatur occaſio, nihil

nihil carius vendant transeuntibus, nisi quanto in mercato vendere possint. Quod si carius vendere voluerint, ad Presbyterum transeuntes hoc refe rant, & illius iussu cum humanitate eis vendant. *Concil. Aruern. & est canon sumptus ex vetusto codice quinq; librorum partialium l. 2. c.* 103.

De eodem.

15 Mat. 25 SECTATORES nos hospitalitatis esse non so lum Dominus Iesus admonet, cum se dicit in hospitem receptum fuisse, sed etiam eius Apostolus omnibus pene suis præceptis. Propterea, beatissimi fratres, vnumquemque nostrum oportet non solum semetipsum ad hoc opus hortari, sed etiam omnium fidelium mentes: vt possint apud Deum misericordiæ operibus pro nostris peccatis intercedere, & nos ei per puram hospitalitatem reconciliare. Si quis ergo nostrum non admonuerit, aut exemplum exhortationis suæ ipse prius non comprobauit opere, indignationem proculdubio incurret Domini maiestatis. Prædicetur hoc nostræ mediocritatis statutum in auribus omnium Christianorum. *Concil. Matiscon. 2. c.* 11.

Peregrini ad hospitium non solum inuitandi sunt, sed etiam trahendi.

16 *S. Gregor. hom. 23. super Lucam.*

Æqualem mercedem habet cum peregrino peregrini hospes.

17 QVALEM mercedem habet, qui propter Deum pere-

peregrinatur, talem habet qui suscipit peregrinantem; & fiunt ambo æquales, & qui propter Deum refrigerat, & qui propter Deum laborat. *S. Chrysost. super Matth. cap. 2.*

Hospitalitas indifferenter omnibus exhibenda.

In hospitalitate non est habendus delectus personarum, sed indifferenter quibuscumque sufficimus hospitales nos exhibere debemus. *Concil. Grangr. dist. 42. c. si quis despicit. cum seqq. ex. S. Chrys. S. Gregor. Moral. l. 21. c. 14.* 18

De eodem.

Si indifferenter omnibus dederimus, semper miserebimur; si autem discutere cœperimus, numquam misericordiam præstabimus. *Idem. S. Chrysost. vbi sup. super Matth. c. 25.* 19

De eodem.

Obsecutvs est Loth Angelis, tamquam peregrinis, consuetudine hospitalitatis, liberatus à periculo ciuitatis, & temporale euasit incendium, & æternum consecutus est præmium. Discite ergo, Christiani, sine discretione exhibere hospitalitatem: ne, si forte cui domum clauseris, cui humanitatem denegaueris, ipse sit Christus. *S. Augustinus contra quinq; hæreses.* 20 *Gen. 18.*

De eodem: quodq; dandum sit cum hilaritate.

Omnibvs da, ne forte, cui non dederis, ipse sit Chri- 21

Christus. Et, cui largiris, cum hilaritate largire; & quidquid tribuis, cum affectu tribue. Tribue misericordiam sine murmuratione; præbe eleemosynam sine tædio, &c. *S. Isidorus in norma viuendi, c. fin.*

De Eleemosyna, & Liberalitate Sacerdotum. §. 11.

SVMMARIVM.

ELEEMOSYNA *omni pauperi præstanda.* 1.2.3.9.13.14.15.16.30.39.

Et non precibus extorquenda. 37.

Cum prudentia tamen tribuenda. 34.35.

Qui miseretur pauperis, in die mala liberabitur, honorat factorem eius, fœneratur ei, & offert sacrificium, neq; indigebit. 4.5.6.7.8.10.31.38.

Et rem suam in tuto collocat. 29.

Nec timebit inopiam. 33.

Quia plus abundarunt multi Sacerdotes, quo plus indigentibus contulerunt. 36.

Iniquitas Sodomæ inter alias fuit auaritia aduersus pauperes. 12.

Pœnuria & fames proueniunt ex eo, quod pauperibus non subuenitur. 40.

Caritatem Dei non habet, immo est homicida Sacerdos, qui clericis & aliis indigentibus non subuenit. 17.18.19.20.

Nec

Nec ab alio expectet beneficium.32.

Prædonum crudelitatem excedit, qui negat subsidium pauperi debitum. 21.22.

Cibus Sacerdotalis transire debet in vsum populi. 23. 24.

Et propriis oculis inopiam pauperum debet Sacerdos inquirere, & considerare.36.

Res sacræ alienandæ pro alimonia pauperum, & redemptione captiuorum, & in illorum animos collocandi Ecclesiæ thesauri.25.26.

Diues vtilis pauperi, & pauper diuiti, & ambo vario modo meritum consequuntur.27.28.

Eleemosynam præstare non sufficit, nisi etiam propria vita emendetur.41.42.

Eleemosynam facere, est iustitiam facere; & sua pauperibus, non nostra reddere.43.

SI vnus de fratribus tuis, qui morantur intra 1
portas ciuitatis tuæ in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris, &c. sed dabis ei; nec ages quippiam callide in eius necessitatibus subleuandis: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis, ad quæ manum miseris. *Deuter.15.*

Ex substantia tua fac eleemosynã, & noli auer- 2
tere faciẽ tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt

nec

nec à te auertatur facies Domini. Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, &c. Panem tuum cum esurientibus & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege. *Tob.*4. *Prou.*21. *Eccl.*13.

3 Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, &c. brachium meum cum suis ossibus confringatur. *Iob.*31.

4 Beatus qui intelligit super egenũ & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. *Psal.* 40.

5 Honorat factorem eius, qui miseretur pauperis. *Prou.*14.

6 Feneratur Domino, qui miseretur pauperis: & vicissitudinem suam reddet ei. *Prou.*19.

7 Qui dat pauperi non indigebit: qui decipit deprecantem sustinebit pænuriam. *Prou.*28.31.

8 Animam esurientem ne despexeris: & non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne affligeris, & non protrahas datum angustianti. *Eccl.* 4. *Prou.*3.

9 Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum. *Eccl.*11.

10 Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. *Eccl.*29.

11 Qui facit eleemosynam, offert sacrificium. *Eccl.* 35.

12 Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, super-

ſuperbia, &c. & manum egeno & pauperi non porrigebant. *Ezech.* 16.

Qui habet duas tuncias, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. *Luc.* 3. 13

Date eleemoſynam: ecce omnia munda ſunt vobis. *Luc.* 11. 14

Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynã, &c. *Luc.* 12. 15

Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur autem tibi in reſurrectione iuſtorum. *Luc.* 14. 16

Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quo modo caritas Dei manet in eo? *Ioan.* 3. 17

Homicida Sacerdos eſt, qui clericis indigentibus non ſubuenit.

Si quis Epiſcopus, vel Preſbyter, cum ſit aliquis ex clericis egenus, ea, quę ſunt neceſſaria, non ſuppeditat, ſegregetur: ſin autem perſeueret, deponatur, vt qui fratrem ſuum interfecerit. *Canon.* 59. *Apoſtolorum.* 18

De eodem.

Qvi ſuccurrere perituro poteſt, ſi non ſuccurrit, occidit. *Lactantius Firmianus de vero Dei cultu, c.* 10. *S. Gregor. Paſtoral. p.* 3. *admon.* 22. 19

De eodem.

Pasce fame morientem: quiſquis enim paſcendo 20

ſcendo hominem ſeruare poteris, ſi non paueris fame occidiſti. *S. Ambroſ. diſt. 86. c. eod.*

Prædonum crudelitatem excedit, qui pauperibus ſubtrahit ſubſidium illis debitum.

21 AMICO rapere quippiam, furtum eſt; Eccleſiam fraudare, ſacrilegum eſt; accepiſſe, quod pauperibus erogandum ſit, & eſurientibus plurimis, vel cautum eſſe, vel timidum, aut (quod apertiſſimi ſceleris eſt) exinde aliquid ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat, &c. *S. Hieron. 12. q. 2. c. Gloria Epiſcopi.*

Caue, ne inter loculos tuos includas ſalutem inopum, & tamquam in tumulis ſepelias vitam pauperum.

22 *S. Ambroſ. ſuper Pſal.* 118.

Sacerdotalis cibus in vſum populi tranſire debet.

23 QVO modo ille obſeruator legis, atq; defenſor, panes & ipſe manducauit, & dedit iis, qui ſecum erant, quos non licebat manducare niſi ſolis Sacerdotibus; niſi, vt per illam demonſtraret figuram, Sacerdotalem cibum ad vſum tranſiturum eſſe populorum, ſiue quod omnes vitam Sacerdotalem debeamus imitari, ſiue quia omnes filij Eccleſiæ Sacerdotes ſunt? *Idem S. Ambroſ. ſuper Lucam, c. 6.*

Finis

Finis Sacerdotis est, propria vtilitate neglecta, aliorum commodis inseruire.

Vide sup. c. 1. § *de intentionis puritate, Hic est spiritualis omnis, n.* 7. 24

Res sacræ alienandæ pro alimonia pauperum, & redemptione captiuorum.

AVRVM Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid prodest custodire, quod nihil adiuuat? An ignoramus, quantum auri, atque argenti de templo Domini Assyrij sustulerunt? nonne melius constat Sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quã sacrilegus contaminata asportet hostis? Nonne dicturus est Dominus: cur passus es tot inopes fame emori? Et certe habebas aurum, vnde ministrasses alimoniam. Cur tot captiui deducti in commercium sunt, nec redempti ab hoste occisi sunt? Melius fuerat, vt vasa viuentium seruasses, quam metallorum. *S. Ambros.* 12. *q.* 2. *c. eod. S. Gregor. lib.* 6. *ep.* 13. *&* 35. 25

In subditorum animis Ecclesiæ thesauri collocandi.

MAGNA prouisione opus est, vt Ecclesiæ facultates neque redundent, neque rursus desint; sed, quæ Ecclesiæ erogantur, continuo indigentibus sunt dispertienda. Cæterum in subditorum 26

animis, atq; beneuolentia, Ecclesiæ thesauri sunt collocandi. *S. Chrysost. de Sacerdotio l. 3.*

Diues pauperi vtilis, & pauper diuiti.

27 MIRABILITER prouidentia Diuina disposuit, vt essent in Ecclesia & sancti pauperes, & diuites boni, qui inuicem sibi ex ipsa diuersitate prodessent; cum ad æterna, & incorrupta prœmia promerenda Deo gratias agerent accipientes, & Deo gratias agerent largientes. *S. Leo serm. 4. de ieiunio septimi mensis.*

Diues & pauper meritum vario modo consequuntur.

28 PAVPERIBVS posset Deus, quas vobis contulit, tribuere facultates, nisi, pro ineffabili misericordia sua, & illos iustificare vellet de patientia laboris, & vos de opere caritatis. *Idem S. Leo de ieiunio decimi, serm. 5. et 8. & serm. 1. de collectis.*

Res pauperibus erogata est in tuto.

29 PATRIMONIVM Deo creditum nec Respublica eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit: in tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur. *S. Cyprianus de opere, & eleemosyna.*

Da pauperi, vt detur tibi : quia, quidquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter.

Cardinalis Petrus Rauennas. S. Basilius oratione 13. 30
de eleemosyna.

Deus se constituit debitorem eorum, quę pauperi dantur.

DICIT tibi Christus : Da mihi ex eo, quod tibi 31
dedi, de meo quæro, da, & redde. Habuisti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem. Temporalia mihi das, æterna tibi restituam, teipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero. *S. Augustin. serm.* 15. *de verbis Domini.*

Qui non præstat beneficium, nec accipiet.

IN aliis hominibus nos ipsos cogitare debemus. 32
Non meremur in periculo liberari, si non succurrimus: non meremur auxilium, si negamus. Nam, qui se à præstando auxilio remouet, etiam ab accipiendo remoueat necesse est. Quia nullius opera indigere se putat, qui alteri suam denegat. *Lactantius de opificio Dei, c.* 4. *& de vero Dei cultu, c.* 10. *&* 11.

Felix, qui non metuit inopiã ex eo, quod tribuit egeno.

FELIX quidem ille est animus, multumq; mira- 33
bilis, qui facultatum defectionem; benefaciendi

amore non metuit; & daturum sibi erogando non diffidit, à quo quod erogaret accepit. *S. Leo serm. 3. de ieiunio septimi mensis.*

Erogandum pauperibus cum prudentia.

34 MAXIME Sacerdoti hoc conuenit, ornare Dei templum honore congruo, vt etiam hoc cultu aula Domini resplendeat, impensas misericordiæ conuenientes frequentare, quantum oporteat largiri peregrinis; non superflua, sed competentia; non redundantia, sed congrua humanitati: ne sumptu pauperum alienam sibi quærat gratiam, ne restrictiorem erga clericos, aut indulgentiorem se præbeat. Alterum enim inhumanum, alterum prodigum, si aut sumptus desit necessitati eorum, quos à sordidis negotiationis aucupiis retrahere debeas, aut voluptati superfluant. *S. Ambros. de offic. l. 2. c. 21. & c. 16. dist. 86. c. pulchra.*

De eodem.

35 SOLLICITE curandum est, ne commissa Sacerdotes indigne distribuant; ne quædam quibus nulla, ne nulla quibus quædam, ne multa quibus pauca, ne pauca præbeant quibus impendere multa debuerunt, ne præcipitatione, &c. *S. Gregor. p. 3. Pastoral. admonit. 21. S. August. Enchirid. c. 76. dist. 86. c. non satis, cum seqq.*

Sacer-

Sacerdos non ducatur vocibus, sed vera pauperum necessitate, quam propriis oculis inquirat. Plus abundarunt multi Sacerdotes, quo plus indigentibus contulerunt.

SACERDOS, qui modum seruat, auarus nulli, sed 36
largus omnibus est. Non enim solas aures debemus præbere audiendis precantium vocibus, sed etiam oculos, considerandis necessitatibus. Plus clamat operatori bono debilitas, quam vox pauperis. Videndus est ille, qui te non videt; requirendus ille, qui erubescit videri: ille etiam clausus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam personet, qui aures non potest. Scio, plerosque Sacerdotes, quo plus contulerunt, plus abundasse. *S. Ambros. de off. l. 2. c. 16.*

Non est perfecta pietas, quæ precibus extorquetur.

S. August. tract. de misericordia. 37

Non moritur mala morte, qui in pauperes fuerit liberalis.

NON memini me legisse, mala morte mortuũ, 38
qui libenter opera caritatis exercuit. Habet enim multos intercessores; & impossibile est, multorum preces non exaudiri. *S. Hieron. ad Nepotianum.*

Mendici Dei sumus. Vt agnoscat ille mendicos suos, agnoscamus nos nostros.

S. August. serm. 5. de verbis Domini. 39

Pænuria & fames proueniunt ex eo, quod pauperibus non subuenitur.

40 SI quando fames & penuria, & rerum omnium egestas opprimit mundum, sciamus hoc ex ira Dei descendere, qui in pauperibus, si non suscipiant eleemosynam, fraudari legitur, & sua possessione priuari. *S. Hieron. super Malach.*

Non sufficit, eleemosinam præstare, nisi quis etiam propriam vitam emendet.

41 QVI indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam à nequitia non custodiat, rem suam Deo tribuit, & se peccato. Hoc quod minus est, obtulit auctori, & hoc, quod maius est, seruauit iniquitati. *S. Gregor. Moral. l. 19. c. 14. l. 12. c. 23. p. 3. Pastoral. admonit. 21.*

De eodem.

42 NON te fallant, qui per eleemosynas largissimas quaslibet fructuum suorum, vel cuiusq; pecuniæ impunitatem se emere existimant, in facinorum suorum immanitate, ac flagitiorum nequitia permanendo. Non solum enim hæc faciunt, sed ita diligunt, vt in eis semper optent tantum, si possint, impune versari. *Psal. 10.* Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam; &, qui odit animam suam, non est misericors, sed crudelis: diligendo quippe eam secundum sæculum, odit, eam secundum Deum. Si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quam munda illi essent omnia, odisset

set eam secundum sæculum, & diligeret secundum Deum. Nemo autem dat eleemosynam quamlibet, nisi, vnde det, ab illo accipiat, qui non eget: & ideo dictum est: Misericordia eius præueniet me. *S. Augustin. Enchirid. c. 75. & 77. Iuo p. 17. c. 130.* *Psal. 58.*

Eleemosynam facere, est iustitiam facere; & sua pauperibus reddere, non nostra.

CVM quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur, iustitiæ debitum potius soluimus, quàm misericordiæ opus implemus. Vnde & ipsa Veritas, cum de misericordia cautè exhibenda loqueretur, ait: Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coronam hominibus. Cui sententiæ Psalmista concinens, ait: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Cum enim largitatem impensam pauperibus præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed iustitiam maluit, quoniam, quod à communi Domino tribuitur, iustum profecto est, vt, qui accipiunt, eo communiter vtantur. *S. Gregor. p. 3. Pastorali admonitione 22.* 43 *Mat. 6* *Ps. 111.*

De Decimis, Obuentionibus, Reditibusque Ecclesiasticis.

§. III.

SVMMARIVM.

TERRA Sacerdotum est immunis. 1.

Primitiæ, & decimæ, Sacerdotum sunt, nec aliud habebunt, quia Dominus possessio, hæreditas, & portio eorum est. 2. 3. 4.

Et hoc eis præstatur, vt possint vacare Deo. 5. 9.

Sacerdotes, bonorum Ecclesiæ non possessores, sed dispensatores sunt, neque eis quasi propriis, sed quasi commendatis, vti debent. 6. 7.

Quia eorum bona pauperum sunt, præter victum, & vestitum. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

Vtpote quæ sint redemptio peccatorum 18. 19. 20.

Et ideo grauiter peccant, qui alieno sanguine pasti, officio suo desunt. 19.

Propterea fructus Ecclesiæ caute possidendi. 20.

Nec consanguineis distribuendi. 21.

Nec illis, qui parentum opibus sustentari possunt. 22.

Sed inter pauperes clericos, vel laicos, & Ecclesiam, eiusque restaurationem erogandi. 23. 24.

Decimæ in quatuor partes diuidendæ. 7. 8.

Quas qui fideliter soluerit, & spiritualia, & temporalia bona recipiet. 25.

1 SVBIECIT terram Pharaoni, & cunctos populos eius, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Gen. 47.

Omnes

Omnes primitiæ, quas offerunt filij Israël, ad Sacerdotem pertinent: & quidquid in sanctuarium offertur à singulis, & traditur manibus Sacerdotis, ipsius erit. *Num.*5. 2

Filiis Leui non dabis partem in medio fratrum suorum, quia ego portio eorum Dominus Deus ipsorum. *Num.*18. Nihilq; aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vsus eorum, & necessaria separaui. *Ibidem. Deuter.*16.18. 3

Non erit eis hæreditas, ego hæreditas eorum: & possessionem non dabitis eis in Israël, ego enim possessio eorum. *Ezech.*44. *Deuter.*10. *Eccl.*41. 4

Præcepit Ezechias populo habitantium Ierusalem, vt darent partes Sacerdotibus, & Leuitis, vt possent vacare legi Domini. 2. *Par.*31. 5

Sacerdotes, bonorum Ecclesiæ non possessores, sed dispensatores sunt.

S. August. ep. 50. 6

Decimis non quasi propriis vtendum, sed quasi commendatis; & in quatuor partes diuidendæ.

INSTRVENDI sunt Presbyteri, pariterq; admonendi, quatenus nouerint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperũ, & hospitũ, & peregrinorũ stipendia; & non quasi suis, sed quasi cõmendatis vti. De quibus omnibus sciant rationẽ posituros in conspectu Dei; &, nisi eas fideliter pauperibus, & iis, quibus iussi sũt administrauerint 7

damna

damna passuros. Qualiter verò dispensari debeant, Canones sancti instituunt; scilicet vt quatuor partes inde fiant, vna ad fabricam Ecclesiæ releuandam, altera pauperibus distribuenda, tertia Presbyteris, siue Clericis exhibenda, quarta Episcopo reseruãda; vt quidquid exinde iusserit, prudenti consilio fiat. *Iuo p.3.c.204.ex Concil. Nannatensi.*

De eodem.

8 QVATVOR tam de redditu, quam de oblationi fidelium (pro vt cuiuslibet Ecclesiæ facultas admittit) conuenit fieri portiones. quarum vna sit Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta est fabricæ applicanda. De quibus, sicut Sacerdotis interierit integram ministris Ecclesiæ memoratam dependere quantitatem; sic clerus vltra delegatam sibi summam nihil insolenter nouerit expetendum. *Gelasius Papa 12.q.2.c.eod.cum seqq.*

Bona clericorum pauperum sunt, præter victum & vestitum.

9 RES pauperum non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur. Sane patrimonium pauperum facultates sunt Ecclesiarum; & sacrilega eis facultate subripitur, quidquid sibi ministri & dispensatores, non vtiq; domini, vel possessores, vltra victum accipiunt, & vestitum. S. *Bernar. in declamat. super illud Matthæi: Ecce nos reliquimus omnia.*

De

De eodem.

QVIDQVID, præter necessarium victum & vestitum simplicem de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. *Idem S. Bernard. ep. 2. ad Fulconem.* 10

De eodem.

ALIENA rapere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur. *S. Hieronym. dist. 42. in principio.* 11

De eodem.

MEMENTO, quod pauperem vitam Sacerdos gerere debet; & ideo, si superbiam habet, si magno beneficio gaudet, præter victum & vestitum, quod superest pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum sunt. *S. Augustin. epist. 39. ad fratres Eremi.* 12

De eodem.

SI ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus; sed, quasi Leuita & Sacerdos viuo de decimis, &, altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. *S. Hieron. 12. q. 1. c. Clericus.* 13

De eodem.

TIMEANT Clerici & ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, vt stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeq; sibi retineant; & in vsus suę 14

super-

superbiæ, luxuriæq; victum pauperum consumere non vereantur. Duplici profecto iniquitate peccant, & quod aliena diripiant, & sacris in suis libidinibus, & vanitatibus abutantur. *S. Bernardus serm. 44. super Cantica.*

De eodem.

15 QVANDO poterit necessariis esse contentus, qui eo animo introiuit, vt stipendia clerici in vsus voluptatis, curiositatis, & vanitatis congreget, seruet, & expendat? &c. *S. Bonauen. in Phar. l. 1. c. 23. ex eod. S. Bernardo.*

De eodem.

16 VNDE clericis existimas exuberare rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis Ecclesiæ? Inde est, quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida. Propter quod non est hodie Ecclesiam ornare, sed exponere; non instruere, sed prostituere; non est pascere gregem, sed mactare, & deuorare: dicente Domino de illis: Qui deuo-
Psal. 52. rant plebem meam, sicut escam panis. *Idem S. Bernard serm. 78. inter paruos.*

De eodem.

17 QVI ditior est Sacerdos, quam venit ad Sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet dare, sed pauperibus, & sanctis fratribus, & domesticis fidei, qui vincunt merita liberorum; vt reddat ea, quæ Domini sunt, Domino suo, &c. *S. Hieron. super Ezech. c. 46.*

Decimæ

Decimæ sunt redemptio peccatorum.

SOLLICITE curent Presbyteri de subditorum 18
salute, quia, quod ab illis accipiũt, redemptio peccatorum est. Et ideo non glorientur talibus sumptibus vti, sed magis timeant, quod in veteri testamento de Sacerdotibus dictum est: Iniquitatem populi debere eos portare. Et ideo cum magno timore super eos solliciti sint, quorum bonis participantur, quia magnum periculum est, iudicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ. *Iuo p. 6. c. 183. ex S. Augustino.* *Luc. 10.*

Graue peccatum Sacerdotum, qui alieno sanguine pasti officio suo desunt.

DEDIT illis regiones gentium, & labores po- 19
pulorum possederunt, vt custodiant iustificationes eis, & legem eius requirant. Duplici ergo nomine rei sunt, si officio suo desint; altero, quod legem Dei violant; altero, quòd panem suum manducantes, alieno sanguine pascuntur. Pensate ergo, fratres, quantæ damnationis est, sine labore percipere mercedem laboris; quanti criminis, pretia peccatorum accipere, & nihil contra peccata prædicando dicere. *S. Gregor. hom. dignus est mercenarius.* *Psa. 104*

Fructus Ecclesiastici caute possidendi, quia sunt peccata populi.

VÆ, vę tibi, clerice, mors in olla, mors in tuis 20
deliciis est, ob id maxime, quia peccata populi constat esse quæ comedis. Sumptus Ecclesiasticos

sticos gratis habere te putas? cantando, vt aiunt, tibi prouenire videntur. Bonum erat magis fodere, aut mendicare: peccata enim populi comedis. Sollicitus esto, tanquam rationem redditurus pro eis, gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus: alioqui tibi noueris imputanda, quæ modo inter delicias comedis, & paruipendis. *S. Bernard. in declam. super Ecce nos reliquimus omnia.*

Bona Ecclesiastica consanguineis non distribuenda.

21 OMNINO interdicit sancta Synodus Episcopis, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiares ue suos augere studeant; cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticæ, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sunt, vt pauperibus distribuant. Eas autem non distrahant, nec dissipent illorum caussa. Immo quam maxime potest, eos sancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosq; carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant. Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem in quibuscunq; beneficia Ecclesiastica, tam sæcularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari decernit. *Concil. Trident. sess. 25. c. 1. de reform. Canon Apostolorum. 39. 59. 75. Conc. Tolet. 10. c. 3. Antiochenum. c. 25. 12. q. 2. c. quisquis. 12. q. 1. c. sint manifestæ. c. Episcopi. c. res Ecclesiæ cum seqq. dist. 86. c. est probanda.*

Sacri-

Sacrilegium est, nutriri bonis pauperum eos, qui parentum opibus sustentari possunt.

CLERICOS illos conuenit Ecclesiæ stipendiis 22
sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur: qui autem bonis parentum, & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiant, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant, & bibunt. *S. Hieron. ad Damasum. 16. q. 1. c. fin.*

Sacerdos bona sua qualiter diuidere debeat; & de clericis indigentibus.

SACERDOS, cui dispensationis cura commissa 23
est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis, accipit à populo dispensanda, & fideliter dispensat accepta: quia omnia sua aut parentibus relinquit, aut pauperibus distribuit, aut Ecclesiæ rebus adiungit, & se in numero pauperum paupertatis amore constituit; ita, vt inde pauperibus subministret, inde & ipse tamquam pauper voluntarius viuat. Clerici quoque, quos pauperes aut voluntas, aut natiuitas fecit, cum perfectione virtutis vitæ necessaria siue in domibus suis, siue in congregatione viuentes accipiunt: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit viuendi necessitas. *S. Prosper de vita contempl. l. 2. c. 1.*

Beneficiati tenentur ad templorum restaurationem.

34 QVICVMQVE beneficium Ecclesiasticum habent, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas omnino adiuuent, & nouam decimam reddant. *Concil. Mogunt. c. 42.*

Decimam soluentes & temporalia, & spiritualia bona recipient.

35 DECIMÆ, tributa sunt egentium animarum. Quod si decimam dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis, & animæ consequeris. Non igitur Dominus Deus præmium postulat, sed honorem: Deus enim noster, qui dignatus est totũ dare, decimam à nobis dignatus est recipere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sed si tardius dare peccatum est; quanto magis peius est peccatum, non dedisse, &c. *S. August. 16. q. 1. c. eod.*

CAPVT VII.

DE DOCTRINA, ET PRÆDICATIONE: DE LECTIONE, ET SCIENTIA SACERDOTVM.

De Doctrina, & Prædicatione Sacerdotum. §. 1.

SVMMARIVM.

DOCTRINA, *& Veritas erunt insculpta rationali iudicij in pectore Sacerdotis.* 1.

Sacerdotis doctrina, & correctio amplectenda. 2. 86. 87.

Et, qui, eo prædicante, exierit de Ecclesia, excommunicetur. 90.

Verba sapientium quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi. 5.

Et quasi ignis, & malleus conterens petram. 8.

Prædicatio Sacerdotis non debet esse in sublimitate sermonis, sed in ostensione spiritus, & virtutis. 1. 2.

Et debet docere ea, quæ Spiritus sanctus, non proprius, dictauerit. 66.

Et secundum scripturas, non secundum sensum humanum. 2.8.19.20.103.104.105.106.107.
Et sanæ doctrinæ Christi, quæ secundum pietatem est, acquiescere. 17.19.20.
Et attendere sibi, & doctrinæ. 15.
Et esse procul ab adulatione. 64.65.66.
Est enim velut sal, & velut nubes. 26.27.
Et eius doctrina, & cõsolatio semper est opportuna. 71.
Et vtilis, etiam si malus sit Sacerdos. 73.74.
Qui tamen secundum opera sua, vel meritum, vel crimen, acquirit de doctrina, & Sacerdotio suo. 75.
Et ideo tenetur, tamquam Deo per eum exhortante, instruere populum, corripere, & scelera eius annunciare indesinenter, patienter, & cum imperio; & propter eorum absentiam Diaconibus. 4.6.9.10.14.16.18.21.27.28.30.
Et eius vitia non dissimulare. 55.56.57.58.59.60.67.68.69.70.71.
Quia ex vno peccante omnes inficiuntur, & ira Dei super populum venit, quando Sacerdotes nimis benigni sunt aduersus delinquentes. 58.
Propterea grauiter puniuntur Sacerdotes non corripientes subditos, nec docentes legem. 3.5.9.13.23.62.63.64.
Nam, qui vitia aliorum non reprehendit, fouet; & eatenus se habere conuincitur. 51.52.53.54.
Sed prius seipsum docere, & considerare debet Sacerdos. 35.36.37.38.39.40.41.42.43.44.45.46.47.48.49
Nam Dei formissimus esse debet, qui aliis in rebus sacris dux est. 31.

Et ob id Sacerdotis est, alios ex vita sua sanctificare. 32.
Et caritatem, quam docet, habere. 33.
Et talem esse, vt eius orationem timeat, qui admonitionem contempsit. 50.
Tranquillæ mentis est, loqui de Deo. 34.
Sacerdotibus solũ munus prædicationis permittitur. 22
Quod quidem tutius declinatur, quam suscipitur; id tamen pertinaciter faciendum non est, & susceptum qualiter administrandum. 24.
Duplici honore dignus, qui laborat in verbo, & doctrina. 16. 25.
Qui vero mercede docet, Ecclesiæ ruinam minatur. 11.
Purpura in habitu Sacerdotali exprimit potestatem Regiam, qua vitia debet arguere. 28. Vbi de significatione habitus Sacerdotalis.
Maxilla, pectusculum, & humerus, quæ Sacerdotibus reponebantur, significant verba, scientiam, & operæ Sacerdotum. 29.
Peccantium lapsus non sunt per vim corrigendi. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82.
Sed tolerandi, & corrigendi pro tempore. 83. 84. 85.
In quo tum boum mansuetudinem, tum leonum ferocitatem imitari debet Sacerdos. 84.
Non tamen petenda est venia à subditis, si quando fuerint durius iusto increpati. 88. 89.
Propter quæ omnia ante prædicationem orare debet Sacerdos. 91.
Qualis autem prædicator esse debeat. 24. 92. 93. 94. 95 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102.

Et qualiter inanem gloriam fugere, laudes, & vituperia contemnere. 100. 101.

Et quæ quos docere, & quæ non docere teneatur. 108. 109. 110. 111. 112. 113.

1 PONES in rationali iudicij Doctrinam, & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & gestabit iudicium filiorum Israël in pectore suo, in conspectu Domini semper. *Exod.* 28.

2 Venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumq; dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorũ; nec declinabis ad dexteram, neq; ad sinistram. Qui autẽ superbierit, &c. *Deu.* 17.

3 Prædixi Heli, quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eo quod nouerat indigne agere filios suos, & non corripuerit eos. 1. *Reg.* 3.

4 Et nunc fratres, quoniam vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite. *Iudi.* 8.

5 Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi. *Eccles.* 12.

6 Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuã, & annuncia populo meo scelera eorum. *Isa.* 58.

7 Sacerdotes non dixerunt, Vbi est Dominus: & tenentes legem nescierunt me, &c. *Ierem.* 2.

8 Qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere: quid paleis ad triticum, dicit Domi-

Dominus? Numquid non verba mea sunt quasi ignis,& quasi malleus conterens petram? *Ierem.* 23.

Filij hominis speculatorem dedi te domui Is- 9
raël:& audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris. non annunciaueris ei, neq; locutus fueris, vt auertatur à via sua impia,& viuat : ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram,&c. *Ezech.* 3.& 33.

Populum meum docebunt, quid sit inter san- 10
ctum & pollutum, & inter mundum & immundum ostendent eis. Et cum fuerit controuersia, stabunt in iudicijs meis,& iudicabunt. *Ezech.* 44.

Sacerdotes eius in mercede docebant, & Pro- 11
phetæ eius in pecunia diuinabant: Et super Dominum requiescebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala. Propter hoc, causa vestri, Syō quasi ager arabitur,& Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelsa siluarum. *Mich.* 3.

Et ego, cum venissem ad vos, veni non in sub- 12
limitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate,& timore,& tremore multo fui apud vos:& sermo meus,& prędicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. 1. *Cor.* 2.

13 Vę mihi, si non euangelizauero. 1. *Cor.* 9.

14 Pro Christo legatione fungimur, tamquã Deo exhortante per nos. 2. *Cor.* 5.

15 Attende tibi, & doctrinæ. 1. *Tim.* 4.

16 Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina, &c. Peccantes coram omnibus argue vt & cæteri timorem habeant. 1. *Tim.* 5.

17 Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quę secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, &c. 1. *Tim.* 6.

18 Prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. 2. *Tim.* 4.

19 Oportet amplecti eum, qui secundũ doctrinàm est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere, *Tit.* 1.

20 Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam: verbum sanum, irreprehensibile. *Tit.* 2.

21 Argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. *Tit.* 2.

Sacerdotibus solum munus Prædicationis committitur, & aliquando Diaconibus.

22 PRÆTER eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus audeat prædicare, siue monachus, siue sit laicus, qui cuiuslibet scientiæ nomine glorietur. *S. Leo ep.* 63.

ep. 63. ad Theodoretum Episcopum Cyri. 16. q. 1. cap. adijcimus. Burchardus l. 2. c. 158. Diaconus etiam (si Sacerdos absit) poterit Euangelium explanare, non tamen è loco superiori; vt intelligatur, hoc eius proprium munus non esse. *Verba sunt Catechismi Rom. de Sacramento Ordinis.*

Presbyter, qui cleri, vel populi curam non egerit, & eos pietatem non docet, segregetur; &, si in socordia perseueret, deponatur.

Canon Apostolorum 58. S Gregor. in Pastor. p. 3. admonitione 26. sup. c. 6. §. 3. de decimis, cap. dedit illis. num. 19. 23

Tutius declinatur, quam suscipitur Prædicationis officium, non tamen id pertinaciter faciendum.

QVIA difficile valde est purgatum se quemlibet 24
posse cognoscere, prædicationis officium tutius declinatur. Nec tamen declinari pertinaciter debet, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas cognoscitur. *Idem S. Gregor. p. 1. Pastor. c. 7.* Quanta autem humilitate id officium est suscipiendum, & quibus cum circumstantiis, *Vide S. Isidorum in Synonymis, c. fin.*

Presbyteris in docendo laborantibus dupla portio tribuenda.

PRESBYTERIS, si assidue in studio docendi ver- 25
bum Dei laborauerint, deponatur dupla portio, in gratiam Apostolorum Christi, quorem locum te-

nent, tamquam consiliarij Episcopi, & Ecclesiæ corona: sunt enim concilium, & senatus Ecclesiæ. *S. Clemens de Constit. Apost. l. 2. c. 28.*

Nubes sunt Doctores sancti, qui pro capacitate audientium doctrinæ aquam effundunt.

26 NVBES sancti Doctores sunt Ecclesiæ, quia, quas Euangelij portant populis effudendas, & gubernandas à Spiritu sancto deferunt, vt irrigentur terræ populorum, & de hac cælesti pluuia virtutum fruges spirituali operatione multiplicentur. Quas aquas de superna abundantia defluentes ligat Deus in nubibus suis, vt vnicuique secundum capacitatem cordis sui tantum doctrinę tamquam aquam effundant, quantum suscipientis possibilitas patitur; ne simul fortassis effusæ obsint cordibus minus valentibus abundantiorem suscipere doctrinam. *S. Hieron. super c. 26. Iob.*

Sal sunt Doctores Sancti: & quare.

27 QVASI inter bruta animalia petra salis debet esse Sacerdos in populis. Curare namq; Sacerdoti necesse est, quæ singulis dicat, vnumquemq; qualiter moneat, vt, quisquis Sacerdoti iungitur, quasi è salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur. Sal etenim non sumus, si corda audientium non condimus. Quod condimentum ille proximo veraciter impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit. *S. Gregor. hom. 17. in c. 10. Lucæ.*

Sacer-

Sacerdotalis habitus significatio, in quo purpura Regiam potestatem Sacerdotis notat ad vitia reprimenda.

IN Sacerdotis habitu aurum fulget, dum intel- 28
lectu sapientiæ emicat. *Vt sup. p. 1. c. 2. de officio, dignitate, n. 26. & p. 2. c. 3. §. 2. de grauitate, auro, & hiacyntho, n. 12.*

Sacerdos accipiebat maxillam, pectusculum, & humerum, ad significandū verba, scientiam, & opera, quibus ornari debet.

NIHIL aliud accipit Sacerdos, nisi siagona, & 29
pectusculum, & humerum. Sacerdotalis enim officij est, posse docere populos. Vnde dicit Propheta: Interroga Sacerdotes legē Dei. Sacerdotum enim Agg. 2.
est, interrogatos respondere de lege. Accipiunt ergo sermonem, qui in maxilla est, accipiunt pectusculum, hoc est, scientiam Scripturarū: nihil enim prodest habere verba, si scientiam non habueris. Cum acceperis siagona, & pectusculum, tunc accipies & brachiola, hoc est, opera. Nihil prodest habere te verba, habere te scientiam, si non habueris opera, &c. *S. Chrysost. hom. 11. in Marcum. Ven. Beda super Leuit. c. 12.*

Perfectorum Sacerdotum, & eruditorum est, alios docere.

EORVM, qui primi Deum cernunt, est, sequen- 30
tibus large, pro illorum modo & captu, diuina spectacula, quæ sancte aspexerunt, monstrare.

Doce-

Docere etiam ea, quæ hierarchię propria sunt, eorum est, qui cum proficiente scientia diuina omnia, quæ suæ hierarchiæ sunt, præclare didicerunt, perfectamq; docendi viam acceperunt. Tradere quoq; sacra pro cuiusq; dignitate, eorum est, qui scienter, & integre, præditi sunt Sacerdotum perfectione, atque virtute. Sacerdotum ordo, qui ad lucem ducit, spectatũ diuina mysteria introducit eos, qui initiantur, subiectus Pontificum ordini, & cum eo propria, suaque munera exequitur. Atque in iis quidem, quæ facit, diuina opera, sanctissimis signis, & Sacramentis ostendit, spectatoresq; eos, qui accedunt, efficit, & in sanctorum mysteriorum societatem, communionemq; admittit. *S. Dionys. Eccles. hierar. c. 8.*

Dei formissimus esse debet, qui aliis in ordine sacro dux est.

31 NON est audendum aliis ducem fieri in quocumque ordine sacro, nisi quis secundum omnem virtutem Dei formissimus sit. *Dionys. Carthus. in S. Dionysium epist. 8. ad Demophilum, ex eodem S. Dionysio.*

Sacerdotum est, ex vita sua ailos sanctificare.

32 ÆDIFICANT Sacerdotes in centenario numero cubitorum, cum eos, quos erudiunt, in amore ac desiderio æternorum incendunt. Nam centum, quæ in computo digitorum de læua transeunt in dexteram, cœlestia bona figurant, quæ in compa-

comparatione temporalium, & infirmorum bonorum quasi dextra sunt ad sinistram. Qui etiam portam, quam ædificauerunt, sanctificasse referuntur. Sacerdotum namq; est, sua opera sanctificatione speciali præ ceteris digna facere; atque instanter agere, vt, quicumq; sibi iunguntur, nomen Domini in seipsis bene viuendo sanctificent. *Ven. Beda super Esdram c.* 18.

Qui alios docet, caritatem habere debet.

BINOS ad prædicandum Dominus discipulos 33
mittit, quatenus hoc tacitus nobis innuat, quia, qui caritatem erga alium non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet. *S. Gregor. super Lucam hom.*17.

Tranquillæ mentis est, loqui de Deo.

LOQVI de Deo, quietæ valde, & liberæ mentis 34
est: tunc namq; bene dirigetur lingua in sermone, cum secure sensus quieuerit in tranquillitate. *S. Bonau. in Phar. l.* 4. *c.*34. *ex eodem S. Gregor.*

Qui alios docet, prius seipsum consideret, & doceat.

OMNIS Sacerdos, si vult docere populum, prius 35
seipsum doceat: si autem seipsum non vult docere de omni quod docet, nec arguere de omni quod arguit, nec alios doceat, nec arguat quidquam. *S. Chrysost. hom.*17. *in Matth. S. Gregor. Moral. l.*23. *c.*8. *Quo autem tempore id faciendum, vide optimum documentũ apud S. Bonau. de inform nouitiorum, p.*1. *c.*15

De

De eodem.

36 SI sapis, Sacerdos, concham te exhibeas, & non canalem. Hæc enim pene simul, & recipit, & refundit: illa vero donec impleatur, expectat; & sic, quod super abundat, sine suo damno communicat, sciens maledictum, qui partem suam facit deteriorem. Et, ne meum consilium contemptibile
Pro. 29. ducas, audi sapientiorē me: Stultus, ait Salomon, profert totum spiritum suum simul, sapiens reseruat in posterum. Verum canales multos habemus hodie in Ecclesia, conchas vero perpaucas. Tantæ caritatis sunt, per quos nobis cælestia fluenta emanant, vt ante effundere, quam infundi velint; loqui quam audire paratiores; & prompti docere quod non didicerunt; & aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt, &c. *S. Bernard. in Cantic. serm.* 18.

Ne quemquam verbis docere præsumas, quod opere ante non feceris.

37 *Cassianus coll.* 14. *c.* 9. *S. Isidorus Pelusiota l.* 3. *ep.* 264.

De eodem.

38 IN diuinis sermonibus, priusquam aliis eos proferas, teipsum require; ne, insequens aliorum facta, te deseras. *S. Gregor. Pastor. p.* 3. *admon.* 25.

De eodem.

39 NON potest dicere Sacerdos contemptoribus admonitionis suæ: Futurum cogitate iudicium, quod ipse forte non cogitat; amatoribus sæculi: Nolite mundum diligere. si eum mundi amor oblectet;

lectet; ambitiosis: Ambitionis finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitet, &c. &, quidquid boni non facit, aut mali committit, nec iubebit fieri, nec vetabit: quia necessariam docendi auctoritatem contrarietate suæ actionis aut amittit, aut minuit. *S. Prosper de Vita contempl. l.* 1. *c.* 15. *Concil. Paris. c.*13.

De eodem.

40 QVANDOQVIDEM sermonibus philosophari facile est, operibus autem arduum; atq; illud quidem aures oblectat, hoc autem animas erudit: ob eam causam Deus ad eos, qui Sacerdotis munere redimiti sunt, clamat: Sacerdotes, loquimini ad cor Ierusalem. *Isa. 40.* Quoniam enim qui verbis solum docent, non modo molestiam auditoribus exhibent, sed etiam irridendos, & suggillandos se propinant: ideo actionum virtutem, quæ ad auditorum animos pertinet, ab ipsis requirit. Quare sacrosanctum oportet esse eum, qui consecratus est: neq; enim profanum sacris operari fas est. *S. Isidorus Pelus. l.*3. *ep.*238 *l.*1. *ep.*1.

De eodem.

41 TVNC aliis vere recta prædicamus, si dicta verbis, & exemplis ostendamus. *S. Gregor. hom.* 17. *in c.*10. *Lucæ.*

De eodem.

42 SICVT in numismate metallũ, & figura, & pondus inquiritur; ita in omni doctore Ecclesiastico, quid sequatur, quid doceat, quo modo viuat. Per quali-

qualitatem igitur metalli doctrina, per figuram similitudo patrum, per pondus humilitas designatur: qui vero ab his tribus discrepauerit, non metallum, sed terra erit. *S. Isidorus de summo bono. l. 3. c. 36.*

De eodem.

43 DOCERE, & non facere, non solum nihil lucri, sed etiam damni plurimũ confert: grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum, vitam vero suam, atque opera negligenti. *S. Chrysost. de compunctione cordis.*

De eodem.

44 QVEM lingua vigilans gignit, vitæ negligentia occidit. Neq; enim torpenti nobis est mente transeundum, quod apud Salomonem mulier, quem 3. Re. 3. vigilans lactare consueuerat, dormiens interemit. Quia nimirum magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum, quod dicunt, facere negligunt, per somnum torporis occidunt; & negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. *S. Gregor. Moral. l. 21. c. 8.*

De eodem.

45 BEATI, inquit, pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Considerate diligenter, non pacidicos, sed pacificos commendari: sunt enim, qui dicunt, & non faciunt. Sane, quemadmodum non auditores legis iusti sunt, sed factores; sic non annunciato-

ciatores pacis sunt beati, sed actores. *S. Bernard. de conuersione ad clericos, c.35.*

De eodem.

SICVT stomachus accipiens cibum coquit eum in semetipso, & per totum corpus dispergit; sic & Sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per scripturas ex Deo, & excoquentes eam in se, ideſt, tractantes, & meditantes apud se, vniuerso populo subministrant. Et sicut, stomacho subministrante, vnumquodque membrum suscipit nutrimentum, & conuertit ipsum in se secundum suam naturam; vtpote quod suscipit iecur, totum fit sanguis, quod fel, bilis efficitur, quod ascendit in pulmonem, phlegmata fiunt, quod autem in mammillas, totũ efficitur lac: sic Sacerdotibus in Ecclesia loquentibus verbum omnes suscipiunt. Vnusquisq; autem conuertit illud secundum proprium cor, &c. Videte ergo, Sacerdotes, quo modo vos componatis verbo, & opere, &c. *S. Chrysost. hom. 38. in Matthæum.* 46

De eodem.

NVDA facta satis non sunt ad hoc, vt alios edoceas, nisi & cum his verba accedant. Quæ vox non est mea, sed Saluatoris nostri Iesu: Quisquis enim, inquit, fecerit simul, & docuerit, hic magnus vocabitur. Quod si is, qui facit, idem & doceat, superuacaneum certe id foret, quod secundum additum est: dixisse enim satis erat, Quisquis fecerit tantum, Itaque, quod vtraque illa distinxerit, 47 *Mat. 5.*

ostен-

ostendit, alias esse operum partes, alias sermonis; atque vtrumq; alterius subsidio indigere ad consummatam ædificationem. *S. Chrys. l. 4. de Sacerdot.*

De eodem.

GALLVS, cum iam edere cantus parat, prius
48 alas excutit, & semetipsum feriens vigilantiorem reddit. Quia nimirum necesse est, vt hi, qui verba sanctæ prædicationis norunt, prius studio nouæ actionis euigilent; ne, in semetipsis torpētes opere, alios excitent voce, &c. *Gregor. Pastor. p. 3. c. fin. & Moralium lib. 30. c. 4. Concil. Paris. c. 4.*

De eodem.

MAGNI periculi est, statim euomere, quod non
49 concoxeris. *Epictetus in Enchiridio, c. 69. Vide supra p. 1. c. 5. de Sacramentorum ministratione à cap. Sacerdos, n. 8.*

Talis sit doctor, vt eius orationē timeat, qui monitionem contempsit.

TIMEAT orationem tuam, qui admonitionem
50 contempsit: cui tu, Sacerdos, irasceris, Deum sibi iratum, non hominem, putet, &c. *S. Bernard. de consider. l. 4. ad fin.*

Correctio ostendit peccatum occultum etiam illi, qui commisit.

CLAVIS apertionis est sermo correctionis, quia
51 increpando culpam detegit, quam sæpe nescit ipse etiam qui perpetrauit. *S. Bonau. in Phar. l. 4. c. 34. ex S. Gregor. Past. p. 2. c. 4. dist. 4. c. sit Rector.*

Fouet

Fouet quis vitia, quæ non reprehendit, & ea in se habere conuincitur.

ERROR, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cum minime defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cum possis deturbare, peruersos, nihil aliud est, quam fouere: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. *Innoc. dist. 83. c. eo. cum seqq. dist. 86. c. facientes.* 52

De eodem.

SACERDOS, qui alium, cum potest, ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat. *S. Leo. ep.* 93. c. 15. *de hæreticis c. 2.* 53

De eodem.

PECCATVM Sacerdotis peccatum populi appellat Legislator, quia negligens sensibilis Sacerdos, aut peccans ipse, aut non vindicans in peccatoribus, illicit eos, qui rudes sunt, ad similia. *Isichius in Leuit. l. 1. c. 4.* 54

Admonendi sunt delinquentes, nec eorum vitia dissimulanda.

DIXIT, Vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in cõspectu eius. Attẽde hoc, Sacerdos. Perierat enim populus, nisi Moyses confregisset iram omnipotentis Dei: & tu, cum videris populum Dei delinquentẽ, cane tuba, annuncians eis delicta eorum; ac sta in confractione ad Deum, vt auertatur furor eius ab eis. *S. Hieron. ep. 105.* 55 *Psa. 105*

De eodem.

56 Nos, qui ex oblationibus fidelium viuimus, quasi illi pro peccatis suis obtulerunt, si comedimus, & tacemus, eorũ proculdubio peccata manducamus. *S. Gregor. hom. super illa verba, Dignus est operarius.*

De eodem.

57 MAGNA Sacerdotis gloria est rectitudo subditorum. Vnde bene egregius prædicator discipulis
1. *Thes.* 2. dicit: Quæ est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum? Sed, cum Sacerdotes vitam discipulorum negligunt, & nullum de eorum profectibus ante Dominum fructum ferunt, quid aliud, quam inglorij dicuntur? Quia ante districtum Iudicem nimirum gloriam tunc non inueniunt, quam modo in subditorum suorum moribus prædicationis studio non exquirunt. *Idem S. Gregor. Moral. l. 11. c. 9.*

De eodem: & quod ex vno peccante omnes interficiuntur; & Deus irascitur in populum, quando Sacerdotes nimis benigni sunt aduersus delinquentes.

58 ILLVD non otiose transmittendum est, quod,
Nu. 16. vno peccante, ira Dei super omnem populum venit. Hoc quando accidit? Quando Sacerdotes, qui populo præsunt, erga delinquentes benigni videri volunt; &, verentes peccantium linguas, ne forte mala de eis loquantur, Sacerdotalis seueritatis immemores, nolunt complere, quod scriptum est:

Peccan-

Peccantem coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Et iterum: Auferte malũ ex vobis ipsis. nec, zelo Dei succensi, imitantur Apostolum, dicentem: Tradidi huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. neque illud Euangelij implere student, vt, si viderint peccantem, primo secrete conueniant, post etiam duobus, vel tribus adhibitis; quod si contempserit, & post hæc Ecclesiæ correctione non fuerit emendatus, de Ecclesia expulsum velut gentilem habeant, ac publicanum. &, dum vni parcunt, vniuersæ Ecclesiæ moliuntur interitum. Quæ ista bonitas? quę ista misericordia? vni parcere, & omnes in discrimen adducere? Polluitur enim ex vno peccatori populus, sicut ex vna oue morbida vniuersus grex inficitur: sic vno fornicante, vel aliud quodcumque scelus committente, plebs vniuersa polluitur. *Origenes Homil. 7. in Iosue dist. 45. c. sed & illud. dist. 50. c. si quis Diaconus.* *1. Tim. 5* *1. Cor. 5.* *Ibid.* *Mat. 18*

De eodem.

59 NIHIL in Sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat non libere denuntiare: siquidem scriptum est: Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar, &c. *S. Ambros. ad Theodosium Imperatorem l. 5. ep. 29.* *Psa. 118.*

De eodem.

60 ÆDIFICANTES sunt Sacerdotes, qui, generationes hominum super generationem per doctri-

nam ædificantes, quasi lapidem super lapidem ponentes, domum Dei componunt. Sicut enim ædificantes nodosos lapides, & habentes torturas, ferro dolant, postea vero ponunt eos in ædificio; alioqui non dolati lapides lapidibus non cohærent: sic & Ecclesiæ doctores vitia hominũ quasi nodos acutis increpationibus primum circumcidere debent, & sic in Ecclesiæ ædificatione collocare; alioqui, vitiis manentibus, Christiani Christianis concordare non possunt. *S. Chrysost. super Matth. hom. 4.*

De eodem: & quod Heli punitus est, quia minus seuere peccata filiorum corripuerit.

61 SACERDOTES pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiãt, aut peccantes non arguant, testante Domino ad Prophe-
Ezechi. 3. tam: Speculatorem dedi te domui Israël: si non fueris locutus, vt custodiat se impius à via sua mala, ille in iniquitate sua morietur; sanguinem au-
1. Reg. 1. tem eius de manu tua requiram. Sic Heli Sacerdos pro filiorũ iniquitate damnatus est; & licet eos delinquẽtes admonuerit, sed tamẽ non, vt oportebat, redarguit, &c. *S. Isidorus de summo bono l. 3. c. 46.*

De eodem.

62 HELI Sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est, quod eos peccantes minus seuera animaduersione plectebat. Me miserum! Et quidem coërcuit, & quidẽ corripuit; sed leuitate, & mansuetu-

suetudine patris, non auctoritate, & seueritate Pontificis. Qua sententia discant Sacerdotes, quo modo ipsi propter peccata filiorum, id est, propter scelera populi, puniantur: quique etiam, quamuis sancti sint, culpa tamẽ subditorum eisdem, si non coërcent, deputatur. *Idem S. Isidorus l. 1. Reg. c. 1. S. Basilius in reg. breu. interrog. 47.*

De eodem.

NONNVLLA sunt vehementer increpanda; vt, cum culpa ab auctore non cognoscitur, quanti sit ponderis, ab increpantis ore sentiatur: &, cum sibi quis malum, quod perpetrauit, leuigat, hoc contra se grauiter ex corripientis asperitate pertimescat. Debitum quippe rectoris est, subditorũ mala, quæ tolerari leuiter non debent, cum magna zeli asperitate corrigere: ne, si minus contra culpas accenditur, culparum omnium reus ipse teneatur. *S. Gregor. Pastoral. p. 2. c. 10. p. 3. admon. 23.* 63

De eodem: quodque doctor procul esse debet ab assentatione.

OPORTET, Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus prouidere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat; & in altis recessibus viscerũ virus inclusum, dum seruat, exaggerat. Aperiendũ vulnus est, & secandum, &, putredinibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem; gratias aget postmodum, 64

cum senserit sanitatem. Emersit enim, fratres dilectissimi, nouum genus cladis, &, quasi parum persecutionis procella sæuierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Euangelij vigorem, contra Deum, ac Dei legem, temeritate quorundam, laxatur incautis communicatio: irrita, & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. *S. Cypr. serm. de lapsis.*

De eodem.

65 SVNT nonnulli, qui, dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent, quæ increpare debue-
Ezech. 13. rant. Hinc enim per Prophetam dicitur: Væ qui consuunt puluillos in omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Ad hoc quippe sub cubitu puluillus, vel ceruical sub capite iacentis ponitur, vt molliter quiescat. Quisquis ergo male agentibus adulatur, puluillum sub cubito, vel ceruical sub capite iacentis ponit, vt, qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus molliter conquiescat. *S. Gregor. dist. 46. c. eod.*

De eodem: & quod docenda, quæ Spiritus sanctus, non proprius, dictauerit.

66 ILLE, cui dispensatio verbi commissa est, etsi sancte viuat, & tamen perdite viuentes arguere aut erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? &c. Sacerdotem speculatorem appellat Propheta: vt, sicut

sicut speculatoris est, de loco editiore prospicere, & plus omnibus contemplari; ita Sacerdos debet esse proposita sublimitate celsior cunctis, & maioris scientiæ habere gratiam, qua possit sub se viuentes instruere. Audiens, inquit, ex ore meo, sermonem annuntiabis eis ex me, vt hoc dicat Sacerdos, quod ex diuina lectione didicerit, quod illi Deus inspirauerit, non quod ex præsumptione humani sensus inuenerit, &c. *S. Prosper. de vita contempl. l. 1. c. 20. Concil. Paris. c. 5. de quo vide infra, à. c. Erat Moses, n. 104.* Ezechi. 33.

De eodem.

67 Cvi docendi munus commissum est, is, si annunciare neglexerit, perinde vt homicida iudicatur. *S. Basilius in regul. breu. interrog. 45.*

De eodem.

68 Nos, qui Sacerdotes vocamur, qui supra ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus: quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videmus. *S. Gregor. hom. 11. super Ezechielem.*

De eodem.

69 Facientis proculdubio culpam habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare. Scriptū quippe est: Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes iudicantur; & libat Domino prospera, qui ab afflictis pellit aduersa; Rom. 1.

uersa;& negligere, cum possis deturbare peruersos,nihil aliud est,quam fouere;nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare;& probat odisse se vitia, qui condemnat errantes;nec relinquit sibi locum deuiandi, qui non perpercerit excedenti; & primus gradus innocentiæ est, odisse nefanda; & latum pandit delinquentibus aditum, qui iungit cum prauitate consensum; & nihil prodest alicui,non puniri proprio,qui puniendus est alieno peccato. *Ioannes Papa viij. dist.86.c.eod.S.Gregor.lib.7.ep.114. Ino p. 6.c.15.*

De eodem.

70 SI Sacerdos, quoniam speculator à Domino constitutus est populis sibi concreditis, malum, quod lædere solet,annunciauerit,hac sibi vigilantia coronam conciliabit: rursus vero incidet in mala,quæ per iram Dei accidunt, si tacuerit;haud mediocri damno afficiens eos, quos inclamationibus suis ad rectam viam inducere debebat. *S.Cyril.Alex.in Apolog. ad Theodosium.*

De eodem; & maxime cum iram Dei propter peccata sæuire prospexerit.

71 CVM prædicatores sine cessatione populo Dei
Esai.58. prædicare necesse sit,iuxta illud:Clama, ne cesses. tum maxime eis facere necesse est, quando iram Dei contra populum Dei meritis exigentibus grassari prospexerint, iuxta illud,quod Dominus per

per Ezechielem loquitur: Terra, cum induxero super eos gladium, &c. *Concil. Paris. c. 5.*

Doctrina, & consolatio Sacerdotis semper opportuna est, maxime autē tempore persecutionis.

S Chrysost. hom. 51. super Matth. 72

Bona doctrina etiam per malum doctorem vtilis.

LIXIVIVM per cinerem humidum fluens lauat, & non lauatur: ita bona doctrina per malum doctorem animas credentium lauat à fordibus peccatorum. *S. Hieron. dist. 83. c. nihil, §. fin.* Quia non contaminatur donum Christi, per illum enim purus fluuius transit, & venit ad fertilem terram. 73

S. Augustin. 1. q. 1. si iustus. De quo vide sup. p. 1. c. 2. §. 3. de obedientia, à cap. non merita personarum, n. 40. & c. 5. de Sacramentorum administratione, à. cap. si quis dixerit, n. 11.

Bonus auditor doctrinam respicit, non demerita docentis.

QVIA tam graue pondus imminet ceruicibus nostris, quibus dicitur: Si non annunciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinē eius de manu tua requirā, necesse nobis est, quoscumq; negligentes aut secrete, aut publice castigare. Sed, quando corripimus, ille, quem corripimus, si malus est, attendit, à quo corripiatur; & facilius in correptore suo, quam in se libenter agnoscit, quod corrigat: & si 74 *Ezech. 3*

&, si vera inuenerit, quę & ipse dicat in eum, à quo corripitur, gaudet. Quanto melius gauderet de sua sanitate correptus, quam de alieno languore correptus? Ecce putas verum esse, quod dicis. Inueniſti aliquid in homine, à quo reprehensus es, tamen per illum tibi veritas loquebatur: per malum, per iniquum veritas tibi loquebatur. Queris, quid reprehendas in homine, inueni potius, quid reprehendas in veritate. Velis, nolis, illa est aduersaria tua, in qua non inuenies, quod accuses. Illam fac amicam, si potes. Aduersarius tuus sermo Dei est, &c. S. *Augustinus hom. 5. ex 50. homiliis. Vide inf. Audiendi, n. 106.*

Qualiter Sacerdos meritum, vel crimen acquiret de doctrina, & Sacerdotio suo.

75 MVLTI Sacerdotes, & pauci Sacerdotes, multi nomine, pauci opere. Videte ergo, quo modo sedeatis super cathedram: quia cathedra non facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa; qui male sederit, iniuriam facit cathedræ: ideoque malus Sacerdos de Sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. In iudicio enim sedens, si quidem bene vixeris, & bene docueris, omnium iudex es; si autem bene docueris, & male vixeris, tui solius condemnator eris: nam, bene viuendo, &

bene

bene docendo, populum instruis, quomodo debeat viuere; bene autem docendo, & male viuendo, Deum instruis, quo modo te debeat condemnare, &c. *S. Chrysost. dist. 40. c. eod.*

Peccantium lapsus non per vim corrigendi.

Non licet tanta cum auctoritate homines cu- 76
rare, cum quanta oues pastor curat, &c. Christianis enim minime omnium licet peccantium lapsus vi corrigere, &c. Neque enim temere ad delictorum modum oportet, & mulctam ipsam adhibere; sed tamquam coniecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus; ne qua fiat, vt, dum consuere vis quod interruptum est, scissuram deteriorem facias; ac, dum eum, qui lapsus est, erigere, atque emendare studes, casus ipse per te maior reddatur, &c. Humanus enim animus posteaquam verecundiæ fines semel transire coactus est, in indolentiam dilabitur. Tum autem neque verbis blandis paret, neque minis flectitur, neque beneficiis mouetur. *S. Chrysost. l. 2. de Sacerdotio. Vide Ciceronem. l. 3. de Legibus.*

De eodem.

CORREPTI mens ad odium repente proruit, si 77
hanc immoderata increpatio plusquam debuit addicit, &c. Plerumque contingit, vt, dum culpa subditorum magna cum inuectione corripitur, magistri lingua vsque ad excessus verbi protrahatur;

tur;cumque increpatio immoderatè accenditur, corda delinquentium in desperatione deprimuntur. *S. Bonau. in Phar. l. 3. cap. 36. ex S. Gregorio Pastoral. p. 2. c. 10. Vide optimum exemplum apud Cassianum coll. 2. c. 13.*

De eodem.

78 NON tantum in reprehendendo Sacerdotibus fiducia opus est;verũ multo magis opus est mansuetudine,quam fiducia: neminem enim mortalium sic auersantur, oderuntque ij , qui peccant, atque eum,qui parat redarguere; captantque occasionem,vt elabantur,cupientes effugere reprehensionem. Necesse est igitur,vt eos mansuetudine,humanitateque retineamus,&c. *S. Chryso. hom. 4. super c. 1. Isaiæ.*

De eodem.

79 SÆPE deterius frangitur, quod fractum est, cum fractura incaute colligatur ; ita, vt grauius scissuram sentiat, si hanc immoderatius ligamenta constringant. Vnde necesse est, vt, cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur,magna se sollicitudine etiam districtor ipse moderetur; quatenus sic iura disciplinæ contra delinquentes exerceas,vt pietatis viscera non amittat, &c. Miscenda est ergo lenitas cum seueritate, faciendum quoddam temperamentum ex vtoque, vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neq; nimia benignitate soluantur. *S. Gregor. Pastoral. p. 2. c. 6. Vide sup. c. 3. §. 3. de suauitate, cap. Sunt nonnulli, n. 24.*

De

De eodem.

SACERDOTIS tantum est arguere, liberamque 80
præstare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec iacula mittere, sed tantum arguere, ac liberam præstare admonitionem. *S. Chrysost. hom. 4. super c. 1. Isaiæ.*

De eodem.

MAGNA diligentia opus est, ne, dum prodesse 81
proximo cupis, maioris damni auctor sis. Nam, quæcumque ille post curationem tuam imprudentem peccata commiserit, futurum est, vt horum singulorum pœna cum illo medico communis sit, qui vulnus probe non inciderit. *Idem S. Chrysost. l. 3. de Sacerdotio.*

De eodem.

IN correptione vitiorum subesse menti debet 82.
iracundia, non præesse: vt executionem iustitiæ non dominando præueniat, sed famulando subsequatur; & notũ iudicium possessa impleat, non possidens præcurrat. *S. Gregor. Moral. l. 26. cap. 28.* Nam, qui fratrem suum delinquentem cum indignatione & ira reprehendit, is non liberat eum à peccato, sed se ipsum peccatis obstringit.

S. Basilius orat. 6. de instit. & admonit.

Et

Et tolerandi, & corrigendi peccatores pro tempore.

83 NON est contrarius Apostolus Domino, qui
1. Ti..5. dicit: Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri
Mat. 18 timorem habeant. Cum ille dicat: Corripe eum inter te, & ipsum solum. Vtrumque enim faciendum est, sicut infirmitatis diuersitas admonet eorum, quos vtique non perdendos, sed corrigendos, curandosque suscipimus; & alius sic, alius autem sic sanandus est. Ita etiam est ratio dissimulandi, & tolerandi malos in Ecclesia; & est rursus ratio castigandi, corripiendi, non admittendi, vel à communione remouendi. *S. August. de fide & operibus, c. 3. S. Gregor. Pastor. p. 3. c. 4.*

Et Boum mansuetudinem, & Leonum feruorem habere debet Sacerdos.

84 SACERDOTES, atque doctores, inter coronas, & pectus, id est, inter fortitudinem boni operis, quo ad victoriam currunt, & caritatis concordiam, qua à se vicissim non discrepant, per Boues, Leones, & Cherubim designati sunt: quia in plenitudine scientiæ, quam habent, necesse est, vt & boum mansuetudinem teneant, & feruorem leonum; quatenus in disciplina, quã prædicant, & et sancto zelo accensi sint, & ex paterna dulcedine tranquilli, &c. Tanta quippe debet esse discretio, vt nec disciplina nimia, nec misericordia sit remissa: ne, si inordinate culpa remittitur, is, qui est culpabilis,

pabilis, in reatu grauius astringatur, &c. Exhibenda itaque prauis est asperitas in ostensione, caritas in mente. *Idem S. Gregor. Hom. 9. super Ezechielem.* Qui enim peccatori prædicat, tanta dispensatione componere prædicationem debet, vt nec, derelicta spe, timorem subtrahat; nec, spe subtracta, in solo eum timore derelinquat. *S. Bonau. in Phar. l. 4. c. 34. ex eodem S. Gregor.*

De eodem.

ILLVD primum admonendum sancta Synodus censet, vt se pastores, non percussores, esse meminerint; atque ita præesse sibi subditis oportere, vt non in eis dominentur, sed eos tamquã filios, & fratres diligant; elaborentq;, vt, hortando, & monendo, ab illicitis deterreant: ne, vbi deliquerint, debitis eos pœnis coërcere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, &c. *Vide sup. c. 3 §. 3. de suauitate. cap. si quid per humanam, n. 26.* 85

Sacerdotis correctioni obediendum.

ALIQVI, cum sint minus subditi, moleste ferunt, cum à Sacerdotibus arguuntur, dicuntque: Grauiter irascitur Sacerdos, patientior esse deberet. Audi, optime clerice: Sacerdotis exigis patientiam, & tui non exigis disciplinam? nescis, quia mihi salutis causa arguere aliquando permissum est; tibi, numquam peccare concessum est? dicit enim Apostolus: Increpa opportune, importune, argue. 86

2. Ti.4. Esto ergo in omnibus subditus Sacerdoti, si vis eum esse mansuetum. *S. Ambros. serm. 65.*

De eodem.

87 In causa Dei, quem audies, si Sacerdotem non audis, cuius maiore peccatur periculo? Quis tibi verum audebit dicere, si Sacerdos non audeat? *S. Ambros. l. 5. c. 29.*

Non est petenda venia à subditis, si quando durius iusto fuerint increpati.

88 Quando necessitas disciplinæ, &c. *Vt sup. c. 4. §. 2. de const. n. 15.*

De eodem.

89 Necesse est, vt exasperatus rector, cum subditorum mentem plus se, quam debuit, percussisse considerat, apud se semper ad pœnitentiam recurrat: vt per lamenta veniam in conspectu veritatis obtineat ex eo etiam, quod per zeli eius studium peccat. Quod figurate Dominus præcipit per
Deu. 10 Moysen, dicens: Si quis abierit cum animo suo simpliciter in siluam ad ligna cædenda, & lignum securis effugerit manu, ferumq; lapsum de manubrio amicum eius percusserit, & occiderit, hic ad vnam suprædictarum vrbium fugiat, & viuet, &c. *S. Greg. Pastor. p. 2. c. 10.*

Excommunicetur, qui exierit de Ecclesia Sacerdote prædicante.

90 Sacerdote in Ecclesia verba faciente, qui egressus de auditorio fuerit sine graui necessitate, excom-

excommũnicetur. *Concil. Carthag.4. c.24. dist.1.de consecr.c.eod.*

Sacerdos ante prædicationem oret.

IPSA hora prædicationis Sacerdos iam vt dicat, accedens priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam sitientem, vt eructet quod biberit, vel quod impleuerit fundat. Cum enim de vna quaq; re, quæ secundum fidem, delectationemq; tractandæ sunt, multa sint, quæ dicantur; & multi modi, quibus dicantur, ab eis, qui hoc sciunt, quis nouit, quid ad præsens tempus vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? *S. Augustinus de doctrina Christiana, l. 4. c.15.* 91

Prædicator qualis.

SIT rector discretus in silentio, vtilis, & cautus in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat, &c. Præconis officium suspicit, quisquis ad Sacerdotim accedit, vt ante aduentum iudicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo, si prædicationis est nescius, quã clamoris vocem daturus est, pro eo mutus? &c. Et, cum se ad loquendũ pręparat, cũ quanto cautelæ studio loquatur, attendat: ne, si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere corda audientiũ feriantur; &, cum fortasse sapiens videri desiderat, vanitatis compagẽ insipienter abscõdat, &c. Prouidendũ quoq; est sollcita intentione illis, vt ab eis, nõ solum praua nullo modo, sed ne recta 92

quidem nimie,& inordinate proferantur:quia sæpe dictorum virtus perditur, cum apud corda audientium loquacitas incauta importunitate leuigatur; & auctorem suum hæc eadem loquacitas inquinat,quæ seruire auditoribus ad vsum profectus ignorat,&c. Et apud auditoris mentem ipsa sua auctoritate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit.*S. Greg. dist.43.c.eod.*

De eodem.

93 NVLLVS Sacerdos erit concionator absolutus, cui,præter vitam exemplarem,non adsint omnia, quę sequuntur: nempe cognitio Scripturarum vtriusque Testamenti;ingenium velox, solers,atque versatile; eloquentia vehemens, suadibilis,& suauis, neq; interim minus temperata, quam copiosa; prudentia rerum,ac personarum docendarum; experientia multiplex; immobilis constantia;deniq; Spiritus,qui si deerit,reliquis donis parum profecerit. Non enim vos estis,qui loquimini,sed Spiritus patris vestri,&c.*Concil.Colon.c.8.*

De eodem.

TRES sunt Pastoris voces,scilicet suauis,dulcis,
94 & alta.Suauis ad infirmum,ad morientem dulcis, ad surdum pertinet alta. *Hugo lib.2. de clausfro animæ.*Sonus autem medius est seruandus, vt neque lenitate sua auditum diffugiat,neque intensionis magnitudine sit molestus.*S. Basil.Orat.6.de inscit. & admonit.*

De

De eodem.

PREDICATOR debet habere aurum, argentum, & balsamum; videlicet sapientiam, eloquentiam, & honestatem: vt, quod dicit, intelligat; &, quod dixerit, & intellexerit, agat. Nam, qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum; alioqui dicetur ei: Medice, cura te ipsum, similis ficulneæ, quæ folia sine fructu producit. *Innoc. 3. in proœmio suorum operum.* 95 *Mat. 5.* *Luc. 4.*

De eodem.

LINGVA nostra bonis fomentum sit, prauis aculeus, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortatu succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consoletur. Et, quia ductores dicimur, viam salutis gradientibus ostendamus. *S. Bonau. in Phar. l. 4. c. 34. ex. S. Gregor. l. 7. indict. 2. ep. III.* 96

De eodem.

PENSARE debet doctor, quid, cui, quando, qualiter, & quantum loquatur. Si enim vnum horum defuerit, locutio apta non erit. Scriptum namque est: Si recte offeras, recte autem non dispenses, peccasti. Recte autem offerimus, cum bono studio bonum opus agimus, sed recte non diuidimus, si habere discretionem in bono opere postponamus, &c. *Idem S. Greg. hom. 2. super Ezechielem.* 97

De eodem : ac de Sanctorum historiis prædicandis.

98 SANCTORVM historiis ne nimis immoretur prædicator: quin potior pars Euangelio detur,& epistolæ explicandis. Quod si fabulosa videtur historia,ne attingat quidem;si verisimilis,leuiter,eaque decerpat,quæ imitanda videantur. Miracula quoq; ne imprudentius iactentur, nisi quæ scripturis prodita, aut à non leuibus scriptoribus summa cum historiæ fide tradita fuerint. *Concil. Colon.c.23.*

De eodem.

99 Hoc sane scire debemus, quod Sacerdos aliis vestimentis induitur, dum est in sacrificiorum ministerio, aliis vero,cum procedit ad populum. Quod Paulus sapiens Sacerdos fecit in cœtu perfectorum,velut intra sanctos positus,stolam summæ doctrinæ indutus, dicens: Sapientiam loquimur inter perfectos,sapientiam autem non huius mundi,&c. Et, cum vadit ad illos, qui incapaces sunt,mutat stolam,& inferiora docet,dicens: Lac vobis potum dedi,non escam,&c. *Ven.Beda super Leuit.c.6.Vide sup.c.3.§.3.de suauitate,cap.nihil tam oneroſum,n.32.*

1.Cor.2.

2.Cor.3.

De eodem:ac de inani gloria vitanda.

100 QVIA puluis inanis gloriæ pedibus prædicatorum frequenter adhæret,debet vtique prædicator excutere puluerem de pedibus suis, ipsosq; compun-

punctionis aqua lauare, vt mundus sit totus; ne forte, cum aliis prædicauerit, ipse reprobus fiat. *S. Augustin. de doctr. Christ. l. 4. c. 15. S. Gregor. Pastor. p. 2. c. 8. p. 3. admon. 25.*

De eodem: ac de contemptu laudis, & vituperij.

QVI aliorum edocendorum prouinciam suscepit, is ne de aliorum laudibus dependeat, &c. 101
Vt sup. c. 1. §. 2. de intentionis puritate, n. 14. & inf. c. 8. §. 6. n. 25. cum seqq. de temporalium contemptu.

De eodem.

CVM gaudio Sacerdotes arguunt populum, iuxta Apostolum, quando correcti proficiunt; & tristes hoc faciunt, quando se nihil proficere in suis contemptoribus ingemiscunt: ac sic hoc dicit illis expedire, vt cum gaudio, non gementes eos increpent Sacerdotes, qui doctores suos sua correctione lætificant, & eorũ gaudia incremento sui profectus accumulant. *S. Prosper de vita contempl. lib. 2. c. 3.* 102 *Heb. 3.*

Sacerdos secundum scripturas prædicet, non secundum sensum humanum.

QVI ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est, vt causarum origines à sacris paginis sumat, vt omne quod loquitur ad diuinæ auctoritatis fundamentum reuocet, atque in eo ædificium suæ locutionis firmet. *S. Bonau. in Phar. l. 4. c. 34. ex S. Gregor.* 103

De eodem.

104 ERAT Moyses indesinenter in tabernaculo Domini, vt à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt Pontificis opera, vt aut à Deo discat legendo Scripturas sacras, & sæpius meditando, aut populum doceat; sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet. *S. Hieron. dist. 36. c. si quis vult. S. Prosper vt sup. ille cui dispensatio, n. 66.*

De eodem.

105 CAVEBIT modis omnibus Sacerdos, ne lubricus in docendo sit, huc, illucque diffluens: & in primis, ne vento doctrinarum ab Ecclesia Catholica non receptarum, veluti nubes sine aqua, circumferatur; sed formam habebit bonorum verborum, ab Ecclesiæ (quæ columna veritatis est) instituto nihil discrepantium. *Concil. Colon. c. 9.*

De eodem.

106 AVDIENDI sunt Doctores, & Sacerdotes, dum docent, ex diuinis scilicet Scripturis, vt Deo placet, & non secundum proprias cupiditates, vt scriptum est: & non iudicate ipsos, etiam si malam vitam habeant. Quod si in fide labantur, tunc non oportet credere, sed eos fugere, & iudicare. *S. Nilus in Nomocanone.*

De eodem.

107 MANDAMVS omnibus, qui hoc onus prædicationis sustinent, & in futurum sustinebunt, vt Euange-

Euangelicam veritatem, & sanctam Scripturam, juxta interpretationem Doctorum, quos Ecclesia, vsusq; diuturnus approbauit, legendosque hactenus recepit, & in posterum recipiet, prædicent, & explanent; nec quidquam ex proprio sensu contrarium, vel dissonum adijciant. *Concil. Lateran. sub Leone x. sess.* 11.

Quæ docenda populos.

OMNIS Presbyter omnibus Parochianis suis 10
Symbolum, & Orationem Dominicam aut ipse insinuet, aut aliis insinuandam iniungat. Et, cum ad confessionem tempore Quadragesimæ veniunt, hoc ab vnoquoque sibi decantari faciat, nec ante sacram communionem alicui tradat, nisi hæc ex corde pronuntiare voluerit. Si quidem sine horum scientia nullus saluus esse poterit: in vno enim fides Christiana continetur; in alio, quid orare, & à Deo petere debeamus, exprimitur, &c. Nullus autem de stoliditate sensus, & tenuitate ingenij causetur; quia hæc tam parua sunt, vt nemo tam hebes, & barbarus sit, qui hæc dicere, & verbis communibus pronuntiare non possit. *Sacerdotale Romanum p.* 1. *c.* 5. *ex Concil. Rhem. c.* 8.

De eodem.

HORTAMVR vos, Domini Sacerdotes, paratos 109
esse ad docendas plebes vestras. Qui Scripturas scit, prædicet scripturas; qui vero nescit, hoc saltem, quod notissimum habet, plebibus dicat; Vt declinent à malo, & faciant bonum, inquirant pa-

Psal. 36. cem, & sequantur eam: Quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum vultus autem Domini, &c. Nullus ergo excusare se poterit, quod non habet linguam, vnde possit aliquem ædificare. Mox enim, vt quemlibet errantem viderit, prout potest, & valet, aut arguendo, aut obsecrando, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum opus hortetur. *Iuo p.2.c.54. ex S. Augustino.*

De eodem: & quæ non docenda.

110 APVD rudem plebem difficiliores, & subtiliores quæstiones, quæq; ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumq; nulla fit pietatis accessio, à popularibus concionibus secludantur. Incerta iterum, vel quæ specie falsi laborant, euulgari, ac tractari non permittant Episcopi. Ea vero, quæ ad curiositatem quandam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tamquã scandala, & fidelium offendicula, prohibeant. *Concil. Trident. Sess. 25. in decreto de purgatorio.*

Infirmis mentibus alta prædicari non debent.

111 SCIENDVM est Prædicatori, vt auditoris sui animum vltra vires non trahat; ne, vt ita dicam, dum plus quam valet tenditur, mentis chorda rumpatur. Alta enim quæque debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri. *S. Gregor. Pastor. p.3.c. 5. Moralium l.20.c.2.*

Præ-

Prædicandum etiam illis, de quorum cõuersione desperamus, & incredulis, & quos scimus non obedituros, vt in excusabiles sint.

Vide apud Isaiam c.6. Ieremiam c.7. Ezechielem c.1. 112
3.33.

De rebus à Sacerdote prædicandis.

Vide Concil. Rhem. c.2. & 45. Concil. Rhotomag. c.1. 113
2.3.5. & Brachar. c.6.20.21. Tribur. c.4. Agath. c.4. & 5. Aurelian. c.3.4.10. Turon. c.3. & 38. & optime omnium Concil. Lateran. sub Leone x. sess.19.

De Lectione, & Scientia Sacerdotum. §.11.

SVMMARIVM.

PRÆCEPTVM *est Sacerdotibus, vt habeant scientiam, & doceant legem, ab eisq; requiratur, & in ea meditentur assidue.* 1.2. 7.8.9.10.12.

Quia penes eos est scientia Scripturarum. 19.

Similes enim sunt vaccis, & populi vitulis. 45.

Et ideo debet esse Sacerdos illustratus, & illustrandi vim habere. 40.

Ea videlicet scire tenetur, quæ populis sunt necessaria ad salutem. 47.

Et Scripturas sacras, & alia multa. 48.49.50.

Non enim sufficit illi innocentia vitæ sine scientia. 41. 42.43.44.

Pro-

Propterea non debet ignorare Canones.51.52.
Quia illi ignorantia, vt pestis, abijcienda est.53.54.55.56.57.
Et ignorantes damnantur, & à Sacerdotio repelluntur, & à Domino ignorantur.5.6.11.
Et propterea populus Israël ductus est captiuus, quia non habuit scientiam.4.
Et, qui semel cœperit Scripturas contemnere, numquam excitabitur in illis, vt timeat.59.
Ideo beatus homo, qui eruditur à Deo.3.
Et prius debet esse discipulus, quam magister.39.
Quo fine studiis incumbendum.13.
Et qualiter disputandum.60.
Et scientia diuina, vel humana, qualiter acquirenda.14.
Ad diuinam comparandam non solum legendi commentarij, sed etiam vita emendanda.15.31.37.
Maxime humilitatis virtus amplectenda.32.
Et caritatis.33.
Et castitatis 34.35.
Nec mundanis rebus occupari, aut laudibus capi, vel ad plura distrahi debet Sacerdos ad veram scientiam peruenire contendens.36.18.
Lectioni non perfunctorie vacandum.16.
Lectioni certæ vacandum certis horis, & certis ingeniis assuefaciendus animus.17.
Veræ scientiæ intelligentiam difficile assequuntur potentes, nobiles, diuites, & eloquentes.58.
Scripturarum sanctarum lectio est salutis viaticum.20.
Et quasi quædam lucerna in nocte huius sæculi.21.
Et diuina incantatio.22.

Et puteus Iacob.38.
Earum laus,& varia epitheta.25.
Et auctoritas,& necessarius vsus.26.27.
Et finis.28.29.30.31.
Biblia sacra numquam è manibus deponenda.23.
Sacræ Theologiæ studium commendatur.24.
Inter legendum potest orari.38.
Inter loquendum debet Sacerdos sermonem suum Scripturarum lectione condire.46.
Apud sæculares magistros non inuenitur scientia, quam mundi contemptores assequuntur.61.
Poëmatum,& fabularum,& sæcularium literarum lectio, Sacerdotibus interdicta.62.63.64.
Aliquando tamen concessa,& quorsum.65.66.
Non tamen debet Sacerdos plus sapere, quam oportet.67.

PRÆCEPTVM sempiternum est in generationes vestras, & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum; doceatisq; filios Israël omnia legitima mea. *Leuit.10.* 1

Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam,& intelliges eam. *Ios.1.* 2

Beatus homo, quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum. *Psal.93.* 3

Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt 4

rierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. *Isa.* 5.

5 Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi: canes muti non valentes latrare, &c. Ipse pastores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam suam declinauerunt, &c. *Isa.* 56.

6 Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. *Osee.* 4.

7 Interroga Sacerdotes legem. *Agg.* 2.

8 Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2.

9 Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. *Luc.* 8.

10 Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. *Ioan.* 5.

11 Si quis ignorat, ignorabitur. 1. *Cor.* 14.

12 Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. 1. *Tim.* 4.

Quo fine studiis incumbendum.

13 SCIAS, quo ordine quo studio, quo fine quæq; nosse oporteat. Quo ordine? vt id prius addiscas, quod est maturius ad salutem: quo studio? vt id ardentius, quod est vehementius ad amorem: quo fine? vt non ad inanē gloriam, aut propter curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad tuam, & proximi ædificationem, &c. Sunt, qui scire volunt eo fine tantū, vt sciant ipsi: & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, vt scientiam suam aliis vendant; verbi gratia, pro pecunia, & honoribus:

& tur-

& turpis quæstus est. Sed sunt, qui scire volunt, vt alios ædificent: & caritas est. Et item, qui scire volunt, vt ædificentur: & prudentia est. *S. Bonau. in Phar. l. 1. c. 25. ex S. Bernardo super Cantica.*

Documentum de modo acquirendi scientiam, siue diuinam, siue humanam.

QVIA quæsisti à me, carissime Ioannes, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiæ acquirendo, tale à me tibi super hoc traditur consilium, vt per riuulos in mare non statim eligas introire: quia per faciliora ad difficiliora oportet deuenire. Hæc est ergo monitio mea, & instructio tua. Tardiloquũ te esse iubeo, & tarde ad locutionẽ ascendentem. Conscientiæ puritatẽ amplectere. Orationi vacare non desinas. Cellã frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe. Nihil quære penitus de factis aliorum. Nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum; & subtractionis ab studio materiam subministrat. De factis, & verbis sęculariũ nullatenus te intromittas. Discursus super omnia fugias. Sanctorum, & bonorum imitari vestigia non omittas. Non respicias, à quo audias; sed, quidquid boni dicatur, memorię commenda. Ea, quæ agis & audis, fac vt intelligas. De dubiis te certifices, &, quidquid potes in armariolo mentis reponere, satage, sicut cupiens vas implere. Altiora te ne quęsieris. Illa sequẽs vestigia, flores, & fructus in vineã Domini Sabbaoth vtiles, quam- 14

diu

diu vitam humeris proferes, ac produces: hæc si sectatus fueris, ad id attingere potes, quod affectas. *S. Thom. opusc. 68. Vide S. Bonau. in Luminaribus Ecclesiæ, super Genesim, serm. 19.*

Scripturarum notitiam habere cupiens non solum Commentarios legat, sed de emendatione vitæ curet, vt melius percipiat sensum Scripturarum.

15 AD Scripturarum notitiam pertingere cupiens, nequaquam debet omnes suos labores erga Commentariorum libros impendere, sed potius omnem mentis industriam, & intentionem cordis, erga emundationem vitiorum carnalium detinere. Quibus expulsis, confestim cordis oculi, sublato velamine passionum, Sacramenta Scripturarum velut naturaliter incipient contemplari: siquidem nobis, non vt essent incognita, vel obscura, Sancti Spiritus gratia promulgata sunt; sed, nostro vitio, velamine peccatorum cordis oculos obnubente, redduntur obscura. Quibus rursum naturali redditis sanitati, ipsa Scripturarum sanctarum lectio ad contemplationem veræ scientiæ abunde etiam sola sufficiat; nec eos commentariorum institutionibus indigere, sicut oculi isti carnales ad videndum nullius egent doctrina, si modo fuerint à suffusione, vel caligine cæcitatis immunes. Ideo namq; & tanta varietas, errores q; inter tractatores ipsos exorti sunt, quod plerique minime erga purgationem mentis adhibita diligentia

gentia, prosilientes ad interpretandum eas, pro pinguedine, vel immunditia cordis sui, diuersa atque contraria vel fidei, vel sibimet sentientes, veritatis lumen comprehendere nequiuerunt. *Cassianus l. 5. c. 34.*

Non damnat hic Cassianus Commentariorum libros, maxime Sanctorum; sed docet, præcipuum intelligendarum Scripturarum præsidium in cordis puritate positum esse.

Lectioni non perfunctiore vacandum.

DEBET Sacerdos amplecti eum, qui secundum 16
doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana; & eos, qui contradicunt, arguere. Quod vtique sollicitæ, atq; intentæ meditationis est, non perfunctoriæ lectionis. Et ad Timotheum scribens ait: Attende lectioni, & *Tim. 4.* exhortationi doctrinę. Lectio enim frequens, nec intermissione aliqua destituta, doctrinæ munus operatur. *S. Ambros. super Psal. 118. serm. 10.*

Lectioni certæ vacandum certis horis, & certis ingeniis assuefaciendus animus.

CERTÆ lectioni certis horis vacandum est. For- 17
tuita enim & varia lectio, & quasi casu reperta, non ædificat, sed reddit animum instabilem; & leuiter admissa leuius recedit à memoria. Sed certis ingeniis immorandum est, & assuefaciendus animus, &c. Et de quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memorię demittendum est, quod fidelius digeratur. *S. Bernard. ad fratres de Monte Dei.*

Animus ad plura non distrahendus.

18 QVÆ ad res plures animi fit distractio, & mentis identidem modo ad hanc, modo ad illam applicatio, præterquam quod opus nullum perfecte perduci ad exitum sinit, etiam morum leuitatem vel, si ineſt, arguit, vel, si non ineſt, ingenerat. *S. Basilius in reg. fuſ. interrog.* 41.

Scientia Scripturarum eſt penes Sacerdotes.

19 CLAVICVLARII regni cælorum ſunt Sacerdotes, quibus creditum eſt verbum docendi, & interpretandi Scripturas. Clauis eſt verbum ſcientiæ Scripturarum, per quam aperitur hominibus ianua veritatis: adapertio autem, eſt interpretatio vera. *S. Chryſoſt. ſuper Matth. hom.* 23.

Sacrarum Scripturarum lectio ſalutis eſt viaticum.

20 SACRARVM Scripturarum lectionẽ ſalutis viaticum eſſe exiſtima, vt quę eorum, qui eam ſtudioſe, atq; diligenter audiunt; probitatis amorem, ac virile robur, præclaris, & illuſtribus exemplis parat. *S. Iſidorus Peluſ. l.* 2. *ep.* 73.

Scriptura ſacra in nocte vitæ præſentis quaſi quædã nobis lucerna poſita eſt.

21 *S. Gregor. p* 3. *Paſtor. adm.* 25.

Diuinæ ſunt incantationes Scripturæ ſacræ.

22 *S. Bonau. in Phar. l.* 4. *c.* 33. *ex S. Bernardo.*

Biblia

Biblia sacra à clericorum manibus numquam deponenda.

HIC satis est admonuisse, omnes pariter Eccle- 23
siasticis muniis consecratos, ipsos precibus, supplicationibusque publicis Deo persoluendis mancipari. Quas vt non tantum ore murmurent, sed & corde persoluant, numquam à manibus eorum liber Legis, hoc est, Biblia, deponatur. Nam, vt, quę legunt, & canunt, discant intelligere, tota vita vix suffecerit: si tamen quid est in literis Sacris, quod totum humanus intellectus assequi possit, aliis subinde diuitiarum fonticulis ex eodem fonte semper scaturientibus. *Concil. Colon. de off. priuato, ac publico, c. 5.*

Sacræ Theologiæ studium commendatur.

Inf. p. 3. c. 6. §. 2. ne ambulet in foro, cap. Nulli om- 24
nino, n. 15.

Sacræ Scripturæ laus, & epithera.

LEGITE, fratres mei, Scripturam sacram, legite 25
eam, ne cæci sitis, & duces cæcorum: legite sacram Scripturam, in qua, quid tenendum, & quid fugiendum sit, plene inuenietis: legite eam, quia omni melle dulcior, omni pane suauior, omni vino hilarior inuenitur, &c. Quid enim homo sine literis reputatur? numquid non pecus, vel hædus? numquid non bos, vel asinus? numquid non equus, vel mulus? quibus non est intellectus. Eia ergo,

fratres mei, qui pastores rationalium ouium nuncupamini, festinate rapere non sophismata Paganorum, non carmina Poëtarum, non fallacias Philosophorum, de quibus doctores, & auditores reddituri sunt rationem; sed illam dulcissimam sapientiam sapientiarum, quæ hæreditas Dei, & filiorum eius cara possessio nuncupatur, &c. Hæc est scientia scientiarum, Angelorum ferculum, Archangelorum pulmentum, Apostolorum gloria, Patriarcharum fiducia, Prophetarũ spes, Martyrum corona, Virginum fortitudo, Monachorum refectio, Episcoporum vacatio, Sacerdotum cellarium, puerorum principium, viduarum doctrina, coniugatorum pulchritudo, mortuorum resurrectio, viuentium sempiterna protectio, &c. *S. Augusti. ad fratres Eremi, ep. 37. S. Gregor. Moralium l. 20. c. 1.*

De sacrorum liberorum auctoritate, & necessario vsu.

26 CVM essemus infirmi ad inueniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset auctoritate sanctarum literarum, iam credere cœperam, Domine, nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes iam terras auctoritatem, nisi & per ipsam sibi credi, & te quæri voluisses. Iam enim absurditatem, quæ me in illis literis solebat offendere, cum multa ex eis probabiliter exposita audissem, ad Sacramentorũ altitudinem referebam; eoq; mihi illa venerabilior,

lior, & sacrosancta fide dignior apparebat auctoritas, quo & omnibus ad legendum esset in promptu, & secreti sui dignitatem in intellectu profundiore seruaret verbis apertissimis, & humillimo genere loquendi se cunctis præbens, & exercens intentionem eorum, qui non sunt leues corde; vt exciperet omnes populari sinu, & per angusta foramina paucos ad te traijceret, multo tamen plures, quam si nec tanto apice auctoritatis emineret, nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret. *S. Augusti. Confessionum l. 6. c. 5.*

De eodem.

QVID est Scriptura sacra, nisi quædam epistola 27
omnipotentis Dei ad creaturam suam? Et certe, sicubi esset, &c. *S. Gregor. l. 4. ep. 40.*

Finis sacrarum Scripturarum.

AD hoc solum Deus per totam nobis sacram 28
Scripturam loquitur, vt nos ad suum, & proximi amorem trahat. *S. Bonau. in Phar. l. 4. c. 34. ex S. Gregor. super Ezech.*

De eodem.

GEMINVM confert bonum lectio sacrarum 29
Scripturarum, siue quia intellectum mentis erudit, siue quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. *S. Isidorus de summo bono l. 3. c. 8.*

De eodem.

NIHIL aliud docet nos tota Scriptura, nisi reli- 30
gionis vnionē seruare. *S. Bernard. in Meditationibus.*

Non propterea datæ sunt Scripturæ, vt in libris solum eas habeamus, sed vt in cordibus conglutinemus eas.

31 *S. Chrysost. super Ioann.*

Humilitatis virtus necessaria ad intelligentiam Scripturarum.

32 FESTINANDVM est tibi, si ad veram Scripturarum scientiam peruenire desideras, vt humilitatem cordis immobilem primitus consequaris, quę te non ad illam, quæ inflat, sed ad eam, quæ illuminat, scientiam caritatis consummatione perducat. Impossibile namque est, donum scientiæ spiritualis immundam mentem adipisci. *Cassianus collat. 14. c. 10.*

Caritatis virtus necessaria ad intelligentiam Scripturarum.

33 DIVINARVM Scripturarum multiplicem abundantiam, latissimamq; doctrinam, sine vllo errore comprehendit, & sine vllo labore custodit, cui cor
Ro. 18. plenum est caritate, dicente Apostolo: Plenitudo legis est caritas. *S. Bonau. in Phar. l. 2. c. 25. ex S. August. de laude caritatis.*

Scientia spiritualis sine castimonia non possidetur.

34 POSSIBILE quidem est, iutegritatem sine scientiæ gratia reperiri: impossibile vero, scientiam spiritualem sine integritatis castimonia possideri. *Cassianus l. 6, c. 18.*

Ama

Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.

S.Hieron. de consc.dist.5.c.numquam. 35

Donum scientiæ non acquirit qui mundanis rebus occupatur, aut capitur laudibus humanis.

IMPOSSIBILE est, animam, quę mundanis vel te- 36
nuiter distentionibus occupatur, donum scientiæ promereri, vel generationē spiritualium sensuum, aut tenacem sacrarum lectionum fieri, &c. Impossibile quoque est, eum, qui proposito acquirendæ laudis humanæ studio lectionis insistit, donum veræ scientiæ promereri, &c. Aliud namq; est, facilitatem oris, & nitorem habere sermonis; & aliud, venas, ac medullas cælestiū intrare dictorum, ac profunda, & abscondita Sacramenta purissimo cordis oculo contemplari. Quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio sæcularis, sed sola puritas mentis per illuminationem sancti Spiritus obtinebit. *Cassianus collat.* 14.*c.*9. *&* *l.*5.*c.*34. *S.Isidorus de summo bono l.*3.*c.*9.

Lector debet esse promptior ad operandum quæ legit, quam ad legendum.

LECTOR strenuus potius ad agendum, quæ le- 37
git, quam ad sciendum, erit promptissimus. Minor enim pœna est, nescire, quod appetas, quam ea, quæ noueris, non implere. *Idem S. Isidorus de summo bono l.*3.*c.*8.

Inter legendum potest orari etiam extra oratorium.

38 EST Scriptura sacra puteus Iacob, ex quo hauriuntur aquæ, quæ in oratione funduntur. Nec semper ad oratorium est eundum, sed in ipsa lectione poterit contemplari, & orare. *S. Bernardus in Speculo monachorum.*

Prius oportet esse discipulum, quam magistrum.

39 SI clericatus te titillat desiderium, discas, quod possis docere, & rationabilem Deo offeres hostiam; ne sis miles prius, quam tiro; ne prius magister sis, quam discipulus. *S. Hier. ep. 4. ad Rust. Mon. 16. q. 1. c. eod.*

Sacerdos debet esse illustratus, & illustrandi vim habere.

40 SACERDOTES, nuntij, & interpretes, secundum Pontifices, sunt diuinorum iudiciorum. Ab eis recte, & ordine tu per medios, interiectosque ministros, cum tempus postulabit, diuina disce, &c. Si Sacerdotum ordo illustrandi vim habet, profecto penitus abhorret à Sacerdotum ordine, atq; facultate is, qui illustrandi vi non est præditus, ac multo magis is, qui illustratus non est. Ac mihi quidē videtur audax, & temerarius, si quis ea sibi sumit, quæ sunt propria Sacerdotum; neq; metu, & pudore à Diuinorum tractatione præter captum, ac meritū deterretur; putatq; Deum ignorare, quæ ipse sibi conscius est, &c. *S. Dionys. ep. 8. ad Demophilū.*

Non

Non sufficit Sacerdoti innocentia sine scientia.

VBI sunt, qui innocentiam Sacerdoti dicunt 41
posse sufficere? Vetus lex nouæ congruit. Id ipsum Moses, quod Apostolus: ille Sacerdotis scientiam ornat in vestibus; iste Timotheũ, & Titum instruit disciplinis. *S. Hieron. ad Fabiolam de veste Sacerdotali. Et in Aggæum. c. 2. & S. Gregorius Nazianz. in Apologetico.*

De eodem.

BONI Sacerdotis conuersatio sine verbo tenet 42
quidem Sanctos in sanctitate per suum exemplũ; adducere autem ignorantem ad scientiam veritatis non potest. *S. Chrysost. hom. 10. super Matt.*

De eodem.

SANCTVS Petrus, cum rectoribus Ecclesiæ 43
scriberet, ait: Parati esse debetis reddere rationem *2. Pet. 3.*
omni poscenti vos satisfactionem de ea fide, & spe, quæ in vobis est. Hinc etiam Paulus ad Timotheum ait: Attende lectioni, & exhortationi, *1. Ti. 4.*
& doctrinæ. Ex quibus omnibus liquido colligitur, quod non sufficit prælatis bona conuersatio, & morum honestas, nisi addatur scientia doctrinæ. Vnde Sacerdotes ingressuri tabernaculum, prius lauabant in labro æneo, quod fecerat Moses *Exo. 38.*
ex speculis mulierum. Hinc etiam in Canticis, o *Cant. 5.*
culi, per quos prælati Ecclesiæ intelliguntur, assimilan-

milantur columbis, quæ resident iuxta fluenta pleniſſima. *Gratianus diſt. 36. cap. qui Eccleſiaſtica.*

Sacerdos debet ornari verbis, ſcientia, operibus.

44 *Vt ſup. §. proximo, cap. Nihil aliud accipit Sacerdos, n. 29.*

Sacerdotes ſunt ſimiles vaccis, & populi vitulis.

45 SACERDOTES in Eccleſia ſimilitudinem habent vaccarum: Chriſtiani vero populi typum præferunt vitulorum. Quomodo enim vaccæ per campos, & prata diſcurrunt, vineta, & oliueta circumeunt, vt, depaſtis herbis & frondibus, cibum lactis præparent vitulis ſuis: ita Sacerdotes, diuinis ſacrarum Scripturarum montibus aſſidue legendo, verbi Dei debent flores decerpere, ex quibus ſpiritualis lactis filiis ſuis valeant cibum miniſtrare; vt poſſint partem habere cum Apoſtolo, qui
1. Co. 6. dixit: Lac vobis potum dedi, non eſcam. Sicut enim vacca duo habet vbera, ex quibus nutriat vitulum ſuum, ita Sacerdotes duobus vberibus, veteris ſcilicet, & noui Teſtamenti, debent paſcere populum Chriſtianum, &c. *Cæſ. Arelat. hom. 22.*

Sermo Sacerdotis ſit Scripturarum lectione conditus.

46 SERMO Preſbyteri Scripturarum lectione con-
Colo. 4. ditus ſit. vnde & Apoſtolus præcipit: Sermo veſter ſit ſale conditus: quod ſi infatuatur, foras proijcitur, & perdit nominis dignitatem. *S. Hieron. in reg.*

reg. Monach. de correctione & doctrina præsidentis.

Sacerdos sciat docere ea, quæ necessaria sunt hominibus ad salutem.

Vt sup. p. 1. §. 1. *de institutione, cap. Qui pie, n.* 30. 47

Scripturarum scientia Sacerdoti necessaria.

LABIA Sacerdotum custodiunt scientiam, & 48
legem requirunt ex ore eius. Ostendit Propheta, *Mala.* 2.
præcipue debere esse in Sacerdotibus legis, doctrinæque notitiam; & additamento gratiæ spiritualis talem virũ institui, qui possit contradicentibus resistere: & nihil in se sinistri habere operis, quod ducat ad tartarum; sed dextrum brachium, & separatum, vt opera Sacerdotis comparatione virtutum eius à cunctis hominibus separata sint. *S. Hieron. ad Fabiolam de veste Sacer. Vide sup. p.* 1. *c.* 2. §. 1. *de off. Sacer. cap. Interroga, n.* 13.

Quæ Sacerdotes discere teneantur.

QVÆ ipsis Sacerdotib us necessaria sunt ad di- 49
scendum, id est, Liber Sacramentorum, Lectionarius, Antiphonarius, Baptisteriũ, Computus, Canon Pœnitentialis, Psalterium, Homiliæ per circulum anni Dominicis diebus, & singulis festiuitatibus aptæ. Ex quibus omnibus si vnũ defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo constabit: quia valde periculosæ sunt Euangelicæ minæ, quibus dicitur: Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam *Mat.* 15.
cadent. *S. Aug. dist.* 38. *c. eod. Burchar. l.* 2. *c.* 2, *l.* 19. *c.* 8. *S. Greg. Nazianz. orat de moderat. in disput. seruanda.*

Qua-

Quarum rerum scientia Sacerdoti necessaria.

50 INSTITVTIO Ecclesiastica, qualiter ad diuinum officium iustrui oporteat sanctissimum ordinem clericorum, multimoda narratione declarat: quia, & scientiæ plenitudinem, & vitæ rectitudinem, & eruditionis perfectionem maxime eos habere decet, qui in quodam culmine constituti gubernaculum regiminis in Ecclesia tenent. Neque enim eis aliqua eorum ignorare licet, cum quibus vel se, vel subiectos instruere debent, ideſt, scientiam sanctarum Scripturarum, puram veritatem historiarum, modos tropicarum locutionum, significationem rerum mysticarum, vtilitatem omnium disciplinarum, honestatem vitæ in probitate morum, elegantiam in probatione sermonum, discretionem in exhibitione dogmatum, differentiam medicaminum contra varietatem ægritudinum. Hæc ergo qui nescit, non dico aliorum, sed nec suam bene potest disponere vtilitatem. Ac ideo necesse est, vt futurus populi rector dum vacat, paret sibi ante arma, in quibus postmodum hostes fortiter superet, & gregem sibi commissum opportune defendat. Turpe est enim, tunc primum quemlibet velle discere, dum debet pastor constitutus docere; & periculosum est, eum magisterij pondus subire, qui non scientiæ præsidio fultus potens est & illud suffere. *Rabanus de instit. cler. l. 3. c. 1.*

Igno-

Ignorare numquam licuit Sacerdoti quod Canonum fuit regulis definitum.

S. Leo ep. 1. cap. 2. 51

De eodem.

NVLLI Sacerdotum liceat Canones ignorare, 52
nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digne seruabitur, si Decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur? *Cælestinus Papa dist. 38. c. eod.*

Ignorantia Sacerdotibus vt pestis abijcienda.

ELABORANDVM est Sacerdotibus, vt ignoran- 53
tiam à se, quasi quandam pestem abijciant. Licet enim seruus, nescius voluntatem Domini sui, & *Luc. 12.*
non faciens, dicatur vapulare paucis; non tamen generaliter hoc de omnibus intelligitur: ait enim *1. Co. 14*
enim Apostolus: Qui ignorat, ignorabitur. Quod *Psal. 35.*
de eo intelligendum est, qui noluit intelligere, vt bene ageret. *S. Isidorus dist. 37. c. ideo. S. Gregor. Pastor. p. 1. c. 1.*

De eodem.

IGNORANTIA, mater cunctorum errorum, 54
maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt, Sacerdotes enim

enim legere sacras Scripturas frequenter admonet
1.Ti.4. Apostolus, dicens, ad Timotheum: Attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ, & semper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones, vt omne opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat, atque ædiscent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina. *Conc. Toletan. 4. c. 24. dist. 38. c. eod. Concil. Arelat. 4. c. 3.*

De eodem.

55 SI in laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in his, qui præsunt? nec excusatione digna est, nec venia. *S. Leo dist. 38. c. eod.*

De eodem.

56 CAVEAT spiritualis iudex, sicut non committit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ. Oportet, vt sciat cognoscere, quidquid debet iudicare: Iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt quod debet iudicare, discernat. *S. August. de pœnit. dist. 6. c. qui vult. §. Sacerdos. Vide sup. p. 1. c. 4. de Sacramentorum ministratione, cap. diligens, n. 24.*

De eodem.

57 SICVT iniqui, & peccatores, ministerium Sacerdotale assequi probibentur; ita indocti, & imperiti, & tali officio retrahuntur: illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt; isti vero sua ignauia iniquos corrigere nesciunt. Quomodo docere poterunt, quod ipsi non didicerunt? desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere.

Cæcus

Cæcus enim si cæco ducatum præbuerit, ambo in foueam cadunt, &c. *S. Isidor. de summo bono. l. 3. c. 35.* *Mat. 15.*

Potentes, nobiles, diuites, eloquentes difficile credunt Deo, aut intelligunt Scripturæ simplicitatem.

58 DIFFICILE homines potētes, & nobiles, & diuites, & multo his difficilius eloquentes, credunt Deo. Obcęcatur enim mens eorum diuitiis, & opibus, atq; luxuria; &, circumdati diuitiis, non possunt videre virtutes, simplicitatemq; Scripturæ. *S. Hieron. super Ioannem, c. 3.*

Sacerdos, qui semel cœperit contemnere Scripturas, numquam excitabitur in illis vt timeat.

59 QVIDQVID terribile est in Scripturis, vsu vilescit: propterea Clericus, qui semper meditatur Scripturas, aut omnino obseruaturus est, & erit perfectus; aut, si semel cœperit illas contemnere, numquam excitatur in illis vt timeat. *S. Bernard. hom. 25. super Matth.*

Qualiter disputandum.

60 IN disputatione tolle certamen, tolle pertinacem vincendi defensionem, cede cito veritati, non contradicas iustitiæ, &c. disputare stude, non superare; plus dilige audire, quam dicere; plus auscultare, quam loqui. *S. Bonauen. in Phar. lib. 1. c. 25. ex S. Isidoro.*

Apud

Apud sæculares magistros non inuenitur scientia, quam mundi contemptores assequuntur.

61 FALLERIS, fili, falleris, si te putas inuenire apud mundi magistros scientiam, quam soli discipuli Christi, id est, mundi contemptores, Dei munere assequuntur. Non enim hanc lectio docet, sed vnctio; non litera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Dei. *S. Bonau. in Phar. l. 1. c. 25. ex S. Bernardo.*

In doctrina sacræ Scripturæ auctoritatē debes præferre, non sæcularium literarum peritiam ostentare.

62 *S. Augustinus dist. 86. cap. quando necessitas. cap. cum multa.*

S. Hieronymus correptus est ab Angelo, quod Ciceronis libros legeret.

63 LEGIMVS de S. Hieronymo, quod, cum libros legeret Ciceronis, ab Angelo sit correptus, eo quod vir Christianus paganorum figmentis in-
Luc. 5. tenderet. Hinc ille filius prodigus reprehenditur, quod de siliquis, quas porci manducabant, ventrem suum implere cupiebat. *Rabanus de presbyt. Eccles. dist. 37. c. eod. 1.*

Poëmatum, & fabularum lectio quare Sacerdotibus interdicta.

64 IDEO prohibetur, Christianos figmenta legere Poë-

Poëtarum, quia per oblectamenta inanium fabularum mentem excitant ad incentiua libidinum. non enim solum thura offerendo dæmonibus immolatur, sed etiam eorum dicta libentius capiendo. *S. Isidor. l. 3. de summo bono. dist. 37. c. eod.* Vt itaq; ex his apparet imperitia, Sacerdotibus semper debet esse aduersa: quia, cum per ignorantiam cæcati aliis ducatum præstare cœperint, ambo in fouea cadunt. *Mat. 15* Vnde dicitur in Psalmo: Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. *Psal. 68.* Cum enim obscurantur illi, qui præsunt, ad ferenda onera peccatorum, facile sequẽtes inclinantur, &c. *Gratianus ibidem. dist. 37. c. eod.*

Sæculares libri aliquando legendi, & quorsum.

TVRBAT acumen legentium, & deficere cogit, 65
qui eos à legendis sæcularibus literis omnimodo æstimat prohibendos; in quibus si qua inuenta sunt vtilia, quasi sua sumere licet. Alioqui nec Moyses, & Daniel, sapientia vel literis Ægyptiorum paterentur erudiri, quorum tamen & superstitiones simul, & delicias horrebant: nec ipse magister gentium aliquot versus Poëtarum suis vel scripturis, vel dictis indidisset. *Ven. Beda. l. 2. Reg. c. 9.* Cur ergo legi prohibentur, quę tam rationabiliter legenda probantur? sed sæculares literas quidam legunt ad voluptatem, Poëtarum figmentis, verborum ornatu delectati; quidam vero ad eruditionem addiscunt, vt errores gentilium legendo

deteſtentur; & vt illa, quæ in eis inueniuntur, ad vſum ſacræ eruditionis deuoti vertant. Tales laudabiliter ſæculares literas addiſcunt, &c. Poſſunt tamen ſæculares literas addiſcere, vt eorum famulatu ſacræ Scripturæ perfectiorem cognitionem habeant. *Gratianus diſt. 37. c. Turbat. S. Hieron. ep. 84. ad Magnum oratorem.*

De eodem.

66 LEGIMVS aliqua, ne negligantur; legimus, ne ignoremus; legimus, non vt teneamus, ſed vt repudiemus. *S. Ambroſ. diſt. 37. c. eod. 2.*

Sacerdos non debet plus ſapere, quam oportet.

67 SICVT, qui mel multum comedit, non eſt ei bo-
Pro. 25. num; ſic, qui ſcrutator eſt Maieſtatis, opprimitur à gloria, &c. Gloria inuiſibilis conditoris, quæ moderate inquiſita nos erigit, vltra vires perſcrutata premit. Vnde & hæretici, quantum de ſublimi intelligentia amplius repleri ambiunt, tanto amplius inaneſcunt: immoderatis enim auribus cognitionis ſupernæ ſcientiam, quo plus appetunt, plus amittunt. At contra, ij, qui in ſancta Eccleſia veraciter ſunt homines, & veraciter docti, norunt de ſecretis cæleſtibus & quædam conſiderata intelligere, & quædam non intellecta venerari; vt & quæ intelligunt veneranter teneant, & quæ necdum intelligunt, humiliter expectent. *S. Greg. Moral. l. 14. c. 12.*

CAP.

CAPVT VIII.

DE MODESTIA, ET MANSVETVDINE SACERDOTVM.

DE PATIENTIA:

DE HVMILITATE:

DE INTERIORI GAVDIO, ET PACE:

DE SILENTIO:

DE TEMPORALIVM CONTEMPTV.

De Modestia, & Mansuetudine Sacerdotum. §. 1.

SVMMARIVM.

RESPONSIO *mollis frangit iram, dura suscitat.* 1.

Modestia qualis. 9.

Laus propria vitanda. 10.

Mansuetudo quid. 11. 12. 13.

Præcedit humilitatem. 13. 14.

Eius effectus. 18.

Ad reprehendum necessaria. 8. 20.

Præcipue ornat eos, qui in potestatibus sunt. 22.

Ea nil potentius. 21.

In mansuetudine opera perfecta beneuolentiam hominum conciliant. 2. 4. 7. 8.

Mansueti à Domino diriguntur, & docentur, hæreditant terram, & delectantur in multitudine pacis, & inueniunt requiem animabus suis. 3. 5. 6.

Et incedunt cum cordis lætitia. 17.

Et sunt medici cordis. 19.

Aliquando tamen mansuetudo transit in torporem desidiæ. 23.

Seueritas cum mansuetudine temperanda. 15. 16.

1 RESPONSIO mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. *Prouer.* 15. 1. *Reg.* 25. 2. *Reg.* 10.

2 Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. *Eccl.* 3.

3 Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas: Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. *Psalm* 24. & 36.

4 In mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum. *Eccl.* 10.

5 Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. *Matth.* 5.

6 Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris *Matth.* 11.

7 Obsecro ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, supportantes inuicem in caritate. *Ephes.* 4. *Coloss.* 3.

Seruum

Seruum Domini non oportet litigare : sed 8
mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem,
cum modestia corripientem eos, qui resistunt ve-
ritati. 2. *Tim* 2.

Modestia qualis esse debeat.

In modestia maxime tranquillitas animi, stu- 9
dium mansuetudinis, moderationis gratia, hone-
statis cura, decoris consideratio spectatur, &
queritur. *S. Ambros. de offi. l.* 1. *c.* 18. *quem vide.*

Laus propria vitanda.

In familiaribus congressibus absit facinorum, 10
aut periculorum tuorum prolixa, & immodica
commemoratio: nec enim, vt tibi iucundum est,
tuorum certaminum meminisse, sic & aliis suaue
est, ea, quæ tibi acciderunt, audire. *Epictetus in En-
chiridio, c.* 53.

Mausuetudo quid.

Mansvetvdo est animi immobilis status, in- 11
ter vituperationem, & laudes eodem modo per-
seuerans. Initium quidem iræ vacuitatis, est labio-
rum silentium in perturbatione cordis: Medium
autem, silentium ipsarum quoque cogitationum
in animi tenuissimo motu: Finis vero, est inter im-
mundorum spirituum status stabilis, atque fixa
tranquillitas. S. *Ioan Climacus de iræ vacuitate, gra-
du.* 8.

De eodem.

Qvi sedati sunt, & compositis moribus, nempe 12
ab omni affectu vitioso liberi, adeo vt nullum re-

liquerint in animabus suis perturbationis locum, hi demum mansueti appellantur. *S. Basilius homil. in Psal. 33.*

De eodem: & quod mansuetudo præcedit humilitatem.

13 PRÆCVRRIT quidem solem matutina lux, omnem vero humilitatem mansuetudo præcedit. Quocirca Lucem ipsam audiamus ita eas grada-
Mat. 11. tim ordinantem: Discite, inquit, à me quia mitis sum, & humilis corde. Mansuetudo est, in perturbationibus proximi, pro illo affectu summo atque integerrime orare. Mansuetudo est, supereminens iracundiæ pelago scopulus, fluctus omnes impingentes dissoluens, & numquam penitus cedens, aut in alteram inclinans partem. *S. Climacus grad. 24. de mansuetudine.*

De eodem.

14 MANSVETOS appellamus manere consuetos, id est, patientes, & mites, qui alienas iniquitates tolerant, nec aliquem grauare præsumunt. *Cassiodorus super Psal. 39.*

Seueritas à Sacerdote cum mansuetudine temperanda.

15 SEMPER Sacerdotali pectore cum terrore seueritatis custodiri debet virtus mansuetudinis, vt & iram mansuetudo custodiat, & ira mansuetudinem; ne, si forte dissoluta sit zelus discretionis euanescat. *S. Gregor. hom. 6. in Lucam.*

De

De eodem.

DISCIPLINÆ rigor regere debet mansuetudinem, & mansuetudo ornare rigorem, vt nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. *Idem S. Greg. Moral. l. 19. c. 12. dist. 45 c. sunt namque. & p. 3. Pastoralis, admonitione 17. Vide sup. c. 3. §. 3. de suauitate, cap. sunt nonnulli, n. 24. & c. idcirco, n. 25.* 16

Mansuetorum est, incedere cum cordis lætitia.

MANSVETI lætentur, non dixit, in lege docti, non ieiunantes, non psallentes, sed mansueti lætentur, qui caritate præcipue habere rerum omnium temperantiã consueuerunt. *Cassio. super Psa. 33.* 17

Mansuetudinis effectus.

MANSVETVS in afflictione fortis est, in pugna tranquillus, sub alterius imperio lætus, sub iugo triumphat humilitatis. *S. Ephrem. c. de mansuet.* 18

Mansuetus homo cordis est medicus.

S. Ambros. ad Vercell. Episcopum. 19

Mansuetudo ad reprehendendum necessaria.

Vide sup. c. 7. §. 1. de doctrina, cap. non tantum in reprehendendo, num. 78. 20

Mansuetudine nihil potentius.

S. Chrysost. hom. 57. super Genesin. 21

Mansuetudo præcipue ornat eos, qui in potestatibus sunt.

Idem S. Chrysost. hom. 84. super acta Apostolorum. 22

Mansuetudo aliquando transit in desidiæ torporem.

23 MANSVETI, dum præsunt, nonnumquam vicinum, & quasi iuxta positum torporem desidiæ patiuntur; & plerumque, nimia resolutione lenitatis, vltra quam necesse est, vigorem districtionis emolliunt. *S. Gregor. in Pastor. p. 3. admon. 17. Adde, quæ scripsi. sup. c. 3, §. 3. de suauitate in verbis, & inf. p. 3. c. 11. Ne sit iracundus Sacerdos.*

De Patientia Sacerdotum.

§. II.

SVMMARIVM.

PATIENTIA *quid. 6.*
Vere patiens quis. 7. 8. 9. 10.
Et est vere Martyr sine ferro. 11. 12.
Finis patientiæ quis. 15.
Toleranda persecutio, & aduersitas, spe futuræ retributionis, exemplo Dauid, & Agricolæ. 1. 5. 20.
Et dulcedinis concordiæ mox futuræ. 17.
Vir patiens multa prudentia gubernatur. 2.
Et est melior viro forti, & expugnatore vrbium. 3.
Et semper lætus orat. 24.
Et omnibus virtutibus exornatur. 25.
Patientia omnibus exhibenda à Sacerdotibus, exemplo Domini. 4. 16. 17. 18.
Et qualiter. 19.
Suauius tolerantur iniustæ contumeliæ, quam iustæ. 7.

Et

Et corporis incommoda, quam iniuriæ. 22.
Et minoris meriti est, bonis operibus insudare, quam aduersa tolerare. 13.
Armus dexter, & pinguedo pectoris, quæ Sacerdoti seruabantur, quid notent. 14.
Concordia non nisi per patientiam seruatur. 22.
Tumidus tumidum sedare non potest. 23.
Parua Principum peccata statim manifesta fiunt. ibid.

DIMITTITE eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid, &c. Dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. 2. *Reg.* 16. 1

Qui patiens est, multa gubernatur prudentia. *Prou.* 14. 2

Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. *Prou.* 16. 3

Patientes estote ad omnes. 1. *Thess.* 5. 4

Patientes estote fratres vsq; ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum. Patientes estote & vos, & confirmate corda vestra. *Iacob.* 5. 5

Patientia quid.

IDCIRCO possessio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium, custosque virtutum patientia est. Per patientiam vero possidemus ani- 6 *Luc.* 21.

mas nostras, quia, dum nobis ipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere, quod sumus. Patientia vero est, aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi, &c. *S. Greg. hom. 35. super c. 21. Lucæ.* Est etiã patientia custos condicionis nostræ, *vt bene probat idem S. Gregor Pastor. p. 3. admon. 10.*

Patientia vera est, ferre iniurias innocentem; & suauius est, ferre iniuste illatas, quam iuste.

7 PATIENTIA vera & perfecta est, cum quis sustinet patienter iniurias, non solum cum reus est, sed
Iob. 17. etiam cum innocens, exemplo Iob, dicentis: Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Et, licet intolerabilior sit iniuria innocenti, quã culpabili; tamen multo suauius sufferri potest, & debet iniuria, cum nihil conscientia remordet de culpa aliqua præcedente. *Albertus Magnus in Paradiso animæ, c. 4.*

a Ille vere est patiens, qui & aduersis atteritur, & tamen ab spei suæ rectitudine non curuatur: b Nec potest esse vere patiens absq; magna animi virtute.

8 a *S. Greg. Moral. l. 11. c. 17.* b *S. Clemens Alex. Stromatum l. 2.*

Patienter fert iniuriam, qui proprios defectus considerat.

9 PATIENTER illatam iniuriam tolerat, qui pie memi-

meminit, quod fortasse adhuc habet, in quo debet ipse tolerari. *S. Bonau. in Phar. l 2. c. 28. ex S. Gregor.* Patientia enim vera, atq; tranquillitas absque profunda cordis humilitate nec acquiritur, nec tenetur. *Cassianus coll. 18. c. 11.*

De eodem.

Cum Sacerdos, n. 26. vt inf. de Humilitate, cum seqq. 10

Sine ferro Martyr esse poteris, si patientiam in animo veraciter conseruaueris, &c. Clypeo patientiæ frange sagittas contumeliæ, &c.

S. Bernardus de modo bene viuendi serm. 40. Lactantius Firmianus de vero cultu, c. 18. 11

De eodem.

Sine ferro, & flamma Martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodiamus. *S. Gregor. hom. 35 super Ezechielem.* 12

Maioris est meriti, aduersa patienter tolerare, quam bonis operibus insudare.

S. Bonau. de processu 6. religionis c. 25. ex S. Gregor. 13

Armus dexter, & pinguedo pectoris, quæ Sacerdoti de mactatis pecudibus seruabantur, quid notent.

De qualibet mactata pecude lex iubet duas certas partes Sacerdotibus decidi, armum dextrum, & pectoris pinguedinem. Quarum altera significat requiri in eis fortitudinem in omni actione le- 14

ne legitima, siue dandum, siue capiendum, siue operandum sit quippiam ; altera vero animum placatum, & alienum ab ira postulat. Hanc enim aiunt habitare in pectore, vbi natura collocauit vim irritabilem, ceu militem in præsidio munito, videlicet compage ossium firmissima neruis adstricta validis. *Philo de honoribus Sacerdotum.*

Finis patientiæ non in irascendo iuste, sed in penitus non irascendo consistit.

15 *Cassianus l.8.c.20.21.coll.16.c.6.27. Intellige nomine Iræ affectum quendam, qui rationem anteuertit. Alioqui, si ira non fuerit, cum causa subest, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. S.Chrysost.hom.11.in Matth.*

Patientes sint ad omnia Sacerdotes, exemplo Domini.

16 Si persecutiones veniunt, Sacerdotes mei, non deficiamus, sed patientiam habeamus: si necessitas paupertatis contingat, non desperemus, sed in Domino confidamus: si colaphis cædimur, aliam partem parare non differamus: si blasphemamur, non respondeamus, sed parcamus: si verbo, vel murmure percutiamur, taceamus: si occidimur, gaudenter ad mortem pergamus. Quare? Quia non est seruus maior Domino suo. Si enim me persecuti sunt, & vos persequentur, ait Dominus. Ita enim patiētia ornari debemus, si ministri Christi esse optamus. *S. Augustin. ad fratres Eremi, serm.37. S.Isidorus de contemptu mundi, cap. de patientia.*

Sacer-

Sacerdos ferat patienter iniurias, expectans dulcedinem concordiæ mox futuræ.

INIVRIIS laceſſitus, non ſolum labia, ſed & pro- 17
funda pectoris ſui tranquilla cuſtodiat, &c. Nec præſentem conſiderans ſtatum ea proferat, quæ ad horam turbatus ſuggerat furor, dictatque animus aſperatus; ſed vel præteritæ caritatis recolat gratiam, vel reformandæ pacis redintegrationem mente perſpiciat, eamq; velut continuo reuerſuram etiam in ipſo commotionis tempore contempletur. Dumq; ſe ad dulcedinem ſeruat concordię mox futuræ, amaritudinem præſentium non ſentit iurgiorum, & ea potiſſimum reſpondebit, è quibus vel à ſemetipſo reus fieri, vel ab alio reprehendi reſtituta caritate non poſſit; ſicq; adimplebit Propheticum illud eloquium: In ira miſeri- *Hab.* 3.
cordiæ memor eris. *Caſſianus coll.* 16. *c.* 26.

Patientia vincendæ à Sacerdote contumeliæ, non vindicandæ.

MAGIS optamus, & cupimus contumelias, & 18
iniurias ſingulorum clementi patientia vincere, quam Sacerdotali licentia vindicare. *S. Cyprianus l.* 3. *epiſtola* 9.

Tolerandi mali à Sacerdote vt emendentur, non vt fiat eorum malitiæ particeps.

PARATVS eſſe debet Sacerdos iuſtus, & pius, pa- 19
tienter

tienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, vt nunerus potius crescat bonorum, non vt pari malitia se quoq; numero addat malorum. *S. August. 23. q. 1. c. eod.*

Spe futuræ vitæ aduersa mundi toleranda.

20 NE indignemini, Sacerdotes, si mundo mali florent, & vos aduersa patimini: quia non est Christianæ religionis, in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali enim nihil habent in cęlo, & vos nihil habere debetis in terra: sed, spe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via contingit, gaudere debetis. *S. August. serm. de patientia.*

Facilius tolerantur corporis incommoda, quam contumeliæ.

21 CIBVM, potum, stratum item molle contemnere, multis ne labori quidem id esse videmus, iis præsertim, qui natura agrestiores per ætatis vigorem ita sunt educati, ac multis etiam aliis: at contumeliam, vim, incommodum, molestum aliquod verbum, tum vero scommata ab inferioribus nonnumquam leuiter, atq; impræmeditate, nonnumquam etiam reddendo iure contorta; præterea & quærelas temere, ac nulla causa tum à Principibus, tum à subditis natas, non multorum est ferre posse, sed vnius tantum, & alterius. Huiusmodi autem ingenio præditi homines ab Episcopatus cancellis, à Sacerdotij claustris procul arcendi sunt.

sunt. *S. Chrysost. de Sacerd. l. 3. S. Augustinus epistola ad Probam.*

Concordia nonnisi per patientiam seruatur.

NVMQVAM seruari concordia, nisi per solam pa- 22
tientiam, valet. Crebro namque in humana actione nascitur, vnde mentes hominū vicissim à suauitate, ac dilectione separentur. Et, nisi ad aduersa toleranda se animus præparet, procul dubio humerus corpori non inhæret. *S. Gregor, Moral. l. 21. c. 16.*

Qui tumidus est, tumidum sedare non potest: &, vel parua Principum peccata statim manifesta fiunt.

QVI fieri potest, vt illorum tumores & inflam- 23
mationes sedetis, qui ipse tumescit? Quis vero plebeius vir concupiscat statim temperans moderatusque fieri, Principem intuitus iracundum? Neq; enim possunt Episcoporū vitia dissimulari, sed vel parua, atque exigua confestim manifesta fiunt. *S. Chrysost. de Sacerd. l. 3. S. Bonau. de sex alis Seraph. c. 1.*

Si tolerans fueris, semper lætus orabis.

S. Nilus de oratione c. 21. 24

Vir patiens omnibus virtutibus exornatur.

PATIENTIA non manet sola, sed multis cum 25
virtutibus coniuncta est. Patiens enim omnibus virtu-

virtutibus exornatur: gaudet in rebus aduersis, in calamitatibus probatur, exultat in tentationibus, ad obedientiam promptus, in longanimitate stabilis, in caritate perfectus, maledicentibus benedicit, in bello pace perfruitur, in pace non est dissolutus, &c. Alacer in ieiuniis, frequens in orationibus, diligens in vitæ ratione instituenda, gratiosus in muneribus suis obeundis, in mutua consuetudine iucundus, in consilio dulcis, in vigilia lętus, in hospitum cura studiosus, in ægrotantium ministerio sedulus, velox ad subueniendum, sobrius ad cogitandum, ad omne denique negotium expeditus: ad cuncta enim opera bona est paratissimus. Quare magna cum fiducia ad Dominum exPsal. 39. clamat, dicens: Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas. S. *Ephraëm de virtutibus & vitiis, cap. de Patientia. Vide Inf. p. 3. c. 11. Ne sit iracundus.*

De Humilitate Sacerdotum.

§. III.

SVMMARIVM.

QVI *paruulus est in oculis suis, à Deo exaltatur.* 1. 12.

Qui se humiliat, à Deo liberatur à malis, & exauditur. 2. 3. 4. 5. 6. 9.

Quanto quis maior, eo humilior esse debet. 7. 8. 11. 21.

Pott.

Potestas cum humilitate suscipienda: quia ignoratur, an sit à Deo.22.23.

Quando quis iustior, eo humilior: quia proprius defectus clarius intuetur.18.19.20.

Humilitas vera quæ.13.14.

Eius varia epitheta.16.

In prosperis, & aduersis tenenda.24.

Ea nihil sublimius, ideo amplectenda.17.

Immoderata tamen reprehensibilis est.33.

Sacerdos debet esse humilis, quia pacatum, & tranquillum ministerium gerit.15.

Qui seipsum cognoscit, transit in Deum.25.

Et is alium non reprehendit.26.27.28.

Qui verbo humilis non est, nec opere erit.30.

Superbus appetit humilis apparere, ne vilis habeatur. 31.32.

Præstat cum inquinatione carnis, quam cum elatione mentis habere conflictum.29.

NONNE, cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es? 1. *Reg.*15. 1

Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius. 3. *Reg.*21. 2

Cum vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeram, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboq; eis pauxillum auxilij, & non stillabit furor meus super Ierusalem. 2. *Paralip.*12. 3

4 Hæc dicit Dominus: Quoniam audisti verba voluminis, atq; emollitum est cor tuum, & humiliatus est in conspectu Dei super his, quæ dicta sunt contra locum hunc, & habitatores Ierusalem, reueritusq; faciem meam, scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me: ego quoq; exaudiui te, dicit Dominus. 2. *Paralip.* 34.

5 Non in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi placuerunt tibi: sed humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. *Iudith* 9.

6 Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam ab humilibus honoratur. *Eccl.* 3.

7 In die honoris tui ne extollaris, &c. *Eccl.* 11. Rectorem te posuerunt: noli extolli: esto in illis quasi vnus ex istis, &c. *Eccl.* 32.

8 Oratio humiliantis se nubes penetrabit. *Eccl.* 35.

9 Humiliatus sum, & liberauit me. *Psal.* 14.

10 Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. *Matt.* 20. *Marc.* 10. *Luc.* 9. 22.

11 Facti sumus paruuli in medio vestrum. 1. *Thess.* 2.

12 Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos. *Iacob.* 4.

Humilitas vera quæ.

13 HVMILITAS vera & perfecta est, cum exhibita gloria contemnitur, nec exhibenda appetitur, &c. Verus humilis nec maiori, nec minori, nec æquali se comparat, immo nullum inferiorem se credit, nullum

nullum omnino spernit, &c. Talis nullam timet contumeliam, quia nullam amat gloriam, &c. *Albertus Magnus in Paradiso animæ, c. 2.* Est enim virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit. *S. Bernardus de gradibus humilitatis, & contemptus propriæ excellentiæ. Idem epistola 42. S. Bonau. de perfectione vitæ, c. 2. decem indiciis comprobatur. Cassianus l. 4. c. 39.*

Verus humilis nõ vult humilis prædicari, sed vilis reputari, gaudet cõtemptu sui. *Idem S. Bernardus in Cant. serm. 16.* 14

Humilis debet esse Sacerdos, quia pacatum & tranquillum ministerium gerit.

Si Christi altari ministras, da operam, vt cum 15
ipsius legibus munus tuum administres; mansuetum videlicet, atq; corde humilem, & submissum te præbens. Neque enim forensem quandam præfecturam, atq; imperium fastu, ac pompa, & insolentia tumidum tractas, sed pacatum, atque tranquillum ministerium, &c. *S. Isidorus Pelus. epist. 157. lib. 1.*

Humilitatis varia epitheta.

HVMILITAS tutissimus est virtutum omnium 16
thesaurus. *S. Basilius de constitutionibus monast. c. 17.* Est custos pudicitiæ, & mater patientiæ. *S. Bernardus de ordine vitæ. Cassianus l. 7. c. fin. & coll. 18. c. 13.* Est fundamentum, & custos omnium virtutum. *Idem S. Bernardus serm. 1. de Natali.* Est magistra

omnium virtutum,& cęleſtis ædificij firmiſſimum fundamentum. *Idem Caſsian. coll.* 15.c.7. Eſt virtutum omnium mater,ac totius ſpiritualis ſtructuræ ſolidiſſimum fundamentum. *Idem Caſsian.coll.*19.c. 2. Magiſtra rectitudinis. *S.Gregor. Moral.l.*25.c.14. *optime l.*34.*c.*18.

Humilitate nihil ſublimius, ideo amplectenda.

17 DVM ſe humiles deijciunt, ad Dei ſimilitudinem aſcendunt, &c. Quid humilitate ſublimius, quæ,dum ſe in ima deprimit, auctori ſuo manenti ſuper ſumma coniungitur. *S.Gregor.Paſtor.p.*3.*admon.*18. Humilitatem ergo amplectere, & diaboli retibus numquam capieris: leuiſſimis enim humilitatis alis ſublatus, velocior, ac ſublimior exiſtes, quam vt ab eo capi poſſis. *S. Ephraëm de recta vitæ ratione,c.*8.

Quo quis iuſtior,eo humilior, quia proprios defectus clarius intuetur.

18 SANCTI viri, quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo ſubtilius indignos ſe eſſe deprehendũt: quia,dum proximi luci fiunt,quidquid eos in ſeipſis latebat, inueniunt. *S. Bonau.in Phar.l.*1.*c* 34.*de reform. mentis c.*10. *de proceſſu 6.religionis c.*18.*ex S.Gregorio l.Moralium* 32.*c.*1.

De eodem.

19 SANCTI omnes, quando in Dei viſione proficiunt, quanto magis diuinitatis interna conſpiciunt,tanto magis ſe nihil eſſe cognoſcunt.Nusquã quip-

quippe legitur, quod Abraham cinerem, & pulue- *Gen.18.*
rem se esse professus est, nisi cum habere meruerit Dei colloquium. *S. Gregor. Moral. l.18. c.27. l.35. c.2. S. Bonau. in Phar. l.2. c.29. & in Spec. disc. partic.2. c.3.*

De eodem.

QVANTO magis profecerit mens humana, & ad 20
sinceriorem peruenerit contemplationis puritatem, tanto se immundiorem quasi per speculum suæ puritatis inspiciet. Quia necesse est, vt, dum animus ad sublimiorem se extendit intuitum, & maiora, quam agit, prospiciens concupiscit, illa, in quibus est, vt inferiora, ac semper viliora despiciat. *Cassianus coll. 23. c. 20. 21. & fere per totam collationem, & l. 12. c. 15. S. Chrysost. de Sacerd. l. 6. & dissimilitudine 62. S. Gregor. Moralium l. 5. c. 21.*

Quanto quis in dignitate sublimior, tanto humilior esse debet.

QVANTO ad maiores Sacerdotij gradus acce- 21
dere tibi propinquius contigerit, eo animos tuos magis demittito, idque territus exemplo filiorum Aaron. Pietatis enim cognitio, humilitatis, & mãsuetudinis cognitio est, quãdo, se animo scire submittere, Christum est scire imitari, &c. *S. Basilius serm. de abdicatione sæculi. S. Bernard. epist. 42.*

Potestas cum humilitate suscipienda.

IMPOSITAS tibi curas humiliter suscipe: tradi- 22
tum ministerium mente subdita exple. Esto obediens diuinæ dispensationi, voluntati eius contra ire non audeas, &c. *S. Isidorus in Synonymis. c. fin. dist. 100. c. contra morem.*

Tantum necesse est, vt se vnusquisque in humilitate deprimat, quantum si sit electus ignorat.

23 *S. Gregor. super 1. Regum 16.*

Humilitas in prosperis, & in aduersis tenenda.

24 *Idem S. Gregor. l. 2. epist. 51.*

Qui seipsum cognoscit, transit in Deum.

25 *Mercurius Trismegistus in Pimandro.*

Qui se considerat, alium non reprehendit.

26 CVM Sacerdos ad semetipsum reuertitur, & sese bene considerat, non exquirit, quid in aliis reprehendat, quia in semetipso inuenit multa, quę plangat, &c. *S. Bernardus de modo bene viuendi serm. 54.*

De eodem.

27 NVMQVAM detrahes, si te bene perspexeris. *S. Isidorus in Synonimis. Vide sup. §. 2. de patientia, cap. Patienter illatam, n. 9.*

De eodem.

28 Ex consideratione propriorum defectuum conseruatur humilitas in virtutibus. *S. Gregor. Moral. l. 28. c. 6.*

Præstat, cum inquinatione carnis, quam cum elatione mentis habere conflictum.

29 *S. Climacus gradu 4. de obe. S. Greg. Moral. l. 33. c. 11.*

Qui

Qui verbo non est humilis, nec erit opere.

QVI in verbo humilis non est, numquam profecto erit in opere, &c. Ex obedientia humilitas, ex humilitate vero placida animi tranquillitas nascitur. *Idem S. Climacus ibidem.* 30

Glorioſa res humilitas, qua ipſa quoq; ſuperbia palliare ſe appetit, ne vileſcat.

S. Bernardus de duodecim gradibus humilitatis. 31

De eodem.

QVID facit ſuperbia ſub pannis humilitatis tuę, Domine Ieſu? numquid non habet, quo ſe palliet humana malitia, niſi vnde inuoluta eſt ſaluatoris infantia? *Idem S. Bernardus in apologia.* 32

Immoderata humilitas damnatur.

SOLERTER intuendum eſt, ne, dum immoderatius cuſtoditur virtus humilitatis, ſoluantur iura regiminis; & dum prælatus quiſq; plus ſe, quam decet, deijcit, ſubditorum vitam diſtringere ſub diſciplinæ vinculo non poſſit, &c. *S. Gregor. Paſtor. p. 2. c. 6. l. 1. epiſt. 24. Moral. l. 26. c. 19. l. 1. c. 10.* Ne, etiam cum ſtudet plusquam neceſſe eſt hominibus ſubijci, compellatur etiam eorum vitia venerari. *Idem S. Greg. Paſt. p. 3. admon. 18. Alia vide inf. p. 3. c. 10. Ne ſit ſuperbus.* 33

De interiori Gaudio, & Pace Sacerdotum. §. IV.

SVMMARIVM.

MAGNA dulcedo, pax, & tranquillitas timentium, & diligentiũ Deum. 1.2.4.5.6.8.9.10

Anima, quæ renuit consolari, meminit Dei, ac delectatur. 3.

Nec est oblectamentum super cordis gaudium; quod de Deo, & de virtutibus concipitur. 7.

Quæ vera iusti lætitia, & consolatio. 11.12.13.

Quam ineffabilis tranquillitas, & dulcedo eius in domo solitudinis. 14.15.16.

Qualiter anima intra se consistens delectetur. 17.

De voluptate ignis, & lucis diuinæ. 18.

De differẽtia voluptatis, et amoris Diuini, et terreni. 19.

Quæ vtilis tristitia, quæ pernicioſa, & repellenda. 20.

Numquam est tristis, qui bene, & pie viuit. 21.

Melior est hilaris decantatio quinq; Psalmorum, quam anxia, & tristis totius Psalterij. 22.

Pax cordis quæ, & quæ solida, & firma tranquillitas animi. 23.24.25.

Ea vero acquiritur pro qualitate abnegationis. 28.29.

Ea nascitur ex vera humilitate. 30.

Et ideo illam habere non poterit iniquus. 26.

Cor tranquillum frequenter Deus visitat. 27.

Pax vitæ præsentis, & diligi debet, & contemni. 31.

Pax & mansuetudo characteres animæ piæ. 32.

Conscientiæ bonæ epitheta. 33.

Quam

QVAM magna multitudo dulcedinis tuæ Do- 1
mine, quam abscondisti timentibus te.
*Psal.*30.

Mansueti autem hæreditabunt terram,& dele- 2
ctabuntur in multitudine pacis. *Psal.*36.

Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, 3
& delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit
spiritus meus. *Psal.* 76.

Vox exultationis,& salutis in tabernaculis iu- 4
storum. *Psal.*117.

Pax multa diligentibus legem tuam: & non est 5
illis scandalum. *Psal.*118.

Qui me audierit,absque terrore requiescet, & 6
abundantia perfruetur,timore malorum sublato.
*Prou.*1.

Non est oblectamentum super cordis gaudi- 7
um. *Eccle,*30.

Vtinam attendisses mandata mea; facta fuisset 8
sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites
maris. *Isa.*48. *Baruch.*3.

Lætamini cum Ierusalem, & exultate in ea o- 9
mnes qui diligitis eam: gaudete cũ ea gaudio vni-
uersi, qui lugetis super eam, vt sugatis, & replea-
mini ab vbere consolationis eius:vt mulgeatis, &
deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. Quia
hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super
eam quasi fluuium pacis: & quasi torrentem in-
undantem gloriam gentium, quam sugetis: ad
vbera portabimini,& super genua blandietur vo-
bis,&c. *Isai.*66.

10 Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. *Matth.* 11.

Quæ vera lætitia.

11 GAVDIVM solum verum est, quod de creatore concipitur, &c. *S. Bernardus ep.* 114. Neque possidetur verum gaudium, nisi pax, & iustitia teneatur. Prima enim est, & quasi radix iustitia, secunda pax, tertia gaudium. De iustitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. *S. Cæs. admonit.* 2.

De eodem.

12 QVEM praua affectio prorsus nulla obturbat, contraque, cui virtus est omnis, omnisque dignitas comes adiuncta, hunc sine dubio rite, & vt par est lætari, existimandum est; eiusque iustitiam immutabilem esse, atque sempiternam, quando lætitia virtutis, & bonitatis est assectatrix, &c. *S. Basil. in constit. Monast. c.* 3.

De ineffabili iusti lætitia, & consolatione.

13 NVLLVS hominum est, qui, mira esse opera Dei, etiam ex ipsius creaturæ magnitudine, non agnoscat. Cæterum illa, quæ in Sanctis suis quotidiana operatione dispensat, ac speciali munificentia affluenter effundit, nullus alius, nisi anima perfruentis, agnoscit: quæ in secreto conscientiæ suæ ita est beneficiorum eius arbitra singularis, vt ea non solum nullo valeat sermone differere, sed ne sensu quidem, & cogitatione complecti, cum

ab

abillo ignito feruore discedens, ad istos materiales, ac terrenos intuitus fuerit deuoluta, &c. Prætermitto illas secretas, atque absconditas dispensationes Dei, quas intra se peculiariter exercere mens Sanctorum omnium momentis singulis intuetur; illam cæleſtem infusionem lætitiæ spiritualis, qua deiectus animus insperati gaudij alacritate sustollitur; illosque ignitos cordis excessus, & tam ineffabilia, quam inaudita solatia gaudiorũ, quibus nonnumquã ignauissimo stupore torpentes ad orationem feruentissimã, velut de somno profundissimo, suscitamur, &c. *Cass. col.* 12. *c.* 12.

De ineffabili dulcedine, quam sentit cor iusti in domo solitudinis.

STANS in domo solitudinis, quasi onager soli- 14
tarius, & habitaculum habens in terra salsuginis, *Osee.* 8.
& attrahens ventum amoris mei, os meum aperio ad te Domine, & attraho spiritum; & nonnunquam, Domine, quasi clausis oculis ad te inhianti mittis in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quidem sentio dulcedinem adeo confortantem, vt, si perficeretur in me, nihil vltra quærerem, &c. *S. Bernard. tract. de amore Dei, c.* 9.

Sacerdotes sancti magna mentis tranquillitate & dulcedine perfruuntur, qui transitoria despiciunt, & in secessu mentis habitant.

SANCTI Sacerdotes, qui nihil huius mundi ap- 15
petũt, nullis procul dubio in corde tũultibus premuntur.

muntur. Omnes quippe inordinatos desiderio-
rum motus à cubili cordis manu sanctæ consi-
derationis eijciunt;&, quia transitoria cuncta despi-
ciunt,ex his nascentes cogitationum insolentias
non patiuntur.Solam enim æternam patriam ap-
petunt; &, quia nulla huius mundi diligunt, ma-
gna mentis tranquillitate perfruuntur. Vnde re-
Iob. 3. cte dicitur: Qui ædificant sibi solitudines. Solitu-
dines quippe ædificare,est,à secreto cordis terre-
norum desideriorum tumultus expellere,& vna
intentione æternæ patriæ in amorem intimæ qui-
etis anhelare.An non cunctos à se cogitationum
Psal.26. tumultus expulerat, qui dicebat. Vnam petij à
Domino,hanc requiram, vt inhabitem in domo
Domini omnibus diebus vitæ meæ. A frequen-
tia quippe terrenorum desideriorum fugerat, &
ad magnum videlicet solitudinem semetipsum
contulerat, &c. A tumultu rerum corporalium
magnum quendam secessum petierat quietam
mentem, in qua tanto purius Deum cerneret,
quanto hunc cum se solo solum inueniret. *S. Gre-
gor. Moral. l. 4. c. 28.*

De eodem.

16 DIVINA aspiratio humanam mentem tangen-
do subleuat, &, temporales cogitationes depri-
mens,æternis hanc desideriis inflammat, &c. Di-
citur autem absconditum; quia non potest sciri,
nisi à quo potest haberi, &c. Sicut enim Paraclitus
inuisibilis est,ita omnem, quem repleuerit, ad de-
sideran-

sideranda inuisibilia accendit, &c. Sæculares autem mentes, quanto se foris per desideria dilatant, tanto ad receptionem illius sinum cordis angustant, &c. *Idem Gregor. Moral. l. 5. c. 19.*

Qualiter anima delectatur intra se consistens.

QVAMVIS sine anima nihil caro desideret, & 17
inde accipiat sensus, vnde sumit & motus; eiusdem tamen est animæ, quædam sibi subditæ negare substantiæ, & interiori iudicio ab inconuenientibus exteriora frenare: vt à corporeis cupiditatibus sæpius libera, in aula mentis possit diuinæ vacare sapientiæ, vbi, omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis, & in deliciis lætetur æternis. *S. Leo serm. 8. de ieiunio decimi mensis.*

De voluptate ignis, & lucis Diuinæ.

ECCE video lumen cæli oculis mentis meæ, 18
desuper interlucet radius à facie luminis, & lætificat omnia ossa mea. O si perficeretur in me! Auge quæso, luminis auctor, auge, quæso, quod interlucet in me: dilatetur, obsecro, dilatetur ex me. Quid hoc est, quod sentio? Quis est ignis, qui calefacit cor meum? O ignis, qui semper ardes, & numquam extingueris, accende me! O lux, quæ semper luces, & numquam obfuscaris, illumina me! O vtinam arderem ex te! Ignis sancte, quam dulciter ardes,

ardes, quam secrete luces, quam desideranter audiris! *S. Augusti. c. 20. Meditationum.*

De differentia voluptatis, & amoris Diuini, & terreni.

19 QVAMQVAM hæc infima habeant suas delectationes, suosque amores, non tamen tali modo delectant, sicut tu Deus noster. In te enim delectatur iustus, quia amor tui suauis est, & quietus: nam pectora, quæ possides, dulcedine, & suauitate, & tranquillitate replet. E contra, amor sæculi, & carnis, anxius est, & perturbatus; animas certe, quas ingreditur, quietas esse non patitur: semper enim suspicionibus, & perturbationibus, variisq; timoribus sollicitat eas. Tu itaque es delectatio rectorum, & merito: quies enim valida est apud te, & inperturbabilis vita. Qui intrat in te, bone Domine, intrat in gaudium Domini sui, & non timebit amplius, sed habebit se optime in optimo. *Idem S. Augusti. ibidem, c. 35. De septem differentiis amoris spiritualis & carnalis, vide S. Bonau. opusculo de processu. S. Relig. c.* 16.

Quæ vtilis tristitia, quæ pernicioſa, & repellenda.

20 OMNIS tristitia, quæ non pro salutari pœnitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, tamquam sæculi, & quæ mortem inferat, æqualiter repellenda est; ac, sicut fornicationis Spiritus, seu philargyriæ, vel iræ, de nostris

nostris cordibus penitus extrudenda. *Cassianus lib. 9. c. 12.* Et nimia, vt quæ auctrix peccati esse solet, reijcienda. *S. Basil. orat. 12. de tristitia & mœrore.*

Si bene, & pie vixeris numquam eris tristis. Bona vita semper habet gaudium.

S. Bernardus de modo bene viuendi sermo. 12. ex S. Isidoro. 21

Decantatio hilaris paucorum Psalmorum melior est, quam tristis, & anxia totius Psalterij.

MELIOR est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, & spirituali hilaritate, quam totius Psalterii modulatio cum anxietate cordis, atque tristitia. *S. Hieron de cons. dist. 5. c. Non Mediocriter.* 22

Pax cordis quæ.

PAX est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium caritatis. *S. Augustin. de verbis Domini.* 23

De eodem.

PAX vera ad Deum est cum quinque sensus, & vsus membrorum omnium, & omnia exteriora opera ad nutum rationis disponuntur, cumque omnes affectiones, cogitationes, & voluntates, & inuentiones, & omnia interiora secundum ordinationem rationis fiunt, &c. *Albertus Magnus in Paradiso animæ. cap. 13.* 24

Quæ

Quæ solida, & firma animi tranquillitas.

25 VNA placida & fida tranquillitas, vna solida & firma securitas, si quis, ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fũdatus, ad celos oculos tollat a terris; & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mẽte iam proximus, quidquid apud cæteros in rebus humãis sublime, ac magnum videtur, intra suam iacere conscientiam glorietur. Nihil appetere iam, nihil desiderare de sęculo potest, qui sęculo maior est. Quã stabilis, quam inconcussa tutela est, quã perennibus bonis celeste præsidium, implicantis mundi laqueis solui, in lucem immortalitatis æternæ, de terrena fece purgari. Nec ad hoc pretij, aut ambitu, aut manu opus est, vt hominis sũma vel dignitas vel potestas elaborata mole pariatur; sed gratuitum de Deo munus, & facile est: vt sponte Sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat; ita se Spiritus celestis infundit, postquam auctorem suũ cælum intuens anima cognouit, Sole altior, & hac omni terrena potestate sublimior, id esse incipit, quod esse se credit. Tu tantum, quem iam spiritualibus castris cælestis militia signauit, tene incorruptam, tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam. Sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum. Ille te præceptis instruat, ille disponat: quem ille diuitem fecerit, nemo pauperem faciet, &c. *S. Cyprianus l. 2. epist. 2.*

Pacem

Pacem cordis habere non poterit, qui iustus opere non fuerit.

DVÆ sunt amicæ Iustitia & Pax. Tu forte vnum 26
vis, & alteram non facis: nemo enim est, qui non velit pacem, sed non omnes volunt operari iustitiam. Interroga omnes homines: Vis pacem? vno ore respondebit tibi genus humanum: Opto, cupio, amo, volo. Ama iustitiam, quia duæ amicæ sunt Iustitia & Pax; ipsæ se osculantur. Si amicam pacis non amaueris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. *S. August. super Psal. 84.*

Frequenter Deus visitat cor tranquillum.

DEVS frequenter visitat, & libenter inhabitat 27
tranquillitatem cordis, & otium quietæ mentis: *Psal. 75.*
quoniam pax est, & in pace factus est locus eius. *S. Bernard. de interiori domo, c. 5.*

Pro qualitate abnegationis pax in corde possidetur.

QVANTVM teipsum, & omnia deseris, & exis, 28
tantum, & non plus, neque minus, Deus cum omnibus diuitiis suis intima tua ingreditur; quantumque moreris tibi ipsi, tantum intra te viuit Deus. Quidquid igitur habes, & potes, totum pro tui abnegatione impende; sicq;, & non aliter, vera pace perfrueris: quam etiam, vt pote in Deo formatam, atque fundatam, nemo facile turbare

poterit,&c. *Io. Rusbrochius lib. de præcipuis quibusdam virtutibus.c.4.*

De eodem.

29 VTINAM Deus solus occuparet interiora tua. Nam,quamdiu omnibus aliis cor tuum non fuerit expeditum, quamdiu alicui rei transitoriæ adhæseris,quamdiu tuam magis, quam Dei,voluntatem amaueris,non poteris eidem Domino perfectius coniungi. Beatus ille, qui ab omnibus intus nudatus, qui neque propter damna indigne perturbatur,neq; propter commoda insipienter euanescit,qui omnia inæqualia æquali fert animo, qui se derelinquere,& vt ita dicam,penitus egredi didicit;qui deniq; per perfectam sui abnegationē ia m adperfectam caritatem peruenit. Quantam enim putas pacem talis possidebit? nimirū tantā,vt ea nullo sermone explicari possit. Vsq; adeo profuse diuinæ consolationis torrens interdum intima aliquorum, qui eiusmodi sunt,influit, vtipsi illum vix sustinentes veluti cogantur subducere sese,& exclamare,atque dicere: Domine, contine vndas gratiæ tuæ,&c. O pacem iucundam, qua mens ad interiora rapitur, & omnium rerum externarum oblita feliciter conquiescit in Domino! O pacem amabilem,per quam, & in qua spiritus seipsum super gressus, atque in diuitias ineffabilis gloriæ absorptus,totus in Deum transit! Felix,terque,quaterq;,illa anima, quæ in sinu sponsi sui ad hunc modum sæpe confoueri, & inter amplexus dilecti

dilecti sui hoc pacto frequenter obdormire meretur, &c. *Ludo. Blosius in canone vitæ spiritualis. c. 14.*

Ex humilitate nascitur animi tranquillitas.

QVI in verbo humilis non est, &c. *Vt sup. §. proximo de humilitate, n. 30.* 30

Pax vitæ præsentis & diligi debet, & contemni.

PACEM relinquo vobis, pacem meam do vobis, relinquo transituram, do mansuram. Si ergo in eam cor, quæ relicta est, figitur, nusquam ad illam, quæ danda est, peruenitur. Pax ergo præsens ita tenenda est, vt & diligi debeat, & contemni; ne, si immoderate diligitur, diligentis animus in culpa capiatur. *S. Gregor. Pastor. p. 3. admon. 23.* 31 *Ioan. 14*

Pax, & mansuetudo, characteres animæ piæ.

S. Basilius. 32

Conscientiæ bonæ epitheta.

CONSCIENTIA bona, titulus religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, reclinatorium aureum, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus regius, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus etiam clausus, & in die iudicij aperiendus. Nihil enim in hac vita securius, nihil iucundius possidetur bona conscientia. *S. Bernard. de cons. cap. penultimo.* 33

De Silentio Sacerdotum.

§. V.

SVMMARIVM.

QVI moderatur labia sua, prudentissimus, & doctus est, & custodit ab angustiis animam suam. 1. 2. 3. 6. 7. 14.

Qui nescit tacere, similis est vrbi sine murorum ambitu, & patet iaculis inimici. 4. 26.

Et est ignorans sui, & aliorum. 28.

Qui autem nouit tacere, nouit & dicere. 15.

Omnis labor hominis in ore eius. 5.

Fortitudo autem eius in silentio, & spe. 8.

Per illud melius vincitur iniquus, quam per verba. 23.

Sit homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. 9.

Silentium est primus disciplinæ actualis ingressus. 10.

In illo virtutes omnes conquiescunt. 16.

In illo esse otiosum, peccatum est. 17.

Vir tacitus, Philosophiæ filius. 14.

Difficilius tacere, quam loqui. 16.

Audit Deus tacente lingua pias cogitationes, & cordis clamorem. 18. 19.

Iusti enim vita habet linguam suam. 20.

Lingua debet esse menti subdita. 11. 12.

Per eam enim cor euacuatur. 13.

Nihil temere dicendum, maxime coram imperitis. 24.

Neque vnde possit propria æstimatio augeri. 12.

Neque

Neque solum mala non proferenda, sed ne recta quidem inordinate. 21.
Ideo in locutione tria seruanda, vnde quatuor commoda proueniunt. 22.
Sacerdos nugas proferens, blasphemus & sacrilegus est. 25.
Otiosum verbum quid. 26.
Silentij epitheta. 30.
Commendatio. 31.
De miro silentio monachorum Ægyptiorum. 32.

QVI moderatur labia sua, prudentissimus est. *Prou.* 10. 1

Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est. *Prou.* 17. 2

Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. *Prou.* 21. 3

Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. *Prou.* 25. 4

Omnis labor hominis in ore eius. *Eccl.* 6. 5

Verba sapientium audiuntur in silentio. *Eccl.* 9. 6

In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. *Eccl.* 32. 7

In silentio, & in spe erit fortitudo vestra. *Isa.* 30. 8

Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem adloquendum. *Iac.* 1.

Silentium est primus disciplinæ actualis ingressus. 9

OBSERVA, ne studium lectionis, ac desiderij tui labor 10

labor vana elatione cassetur, vt indicas summum ori tuo silentium: hic est enim primus disciplinæ
Eccl. 6. actualis ingressus. Omnis quippe labor hominis in ore ipsius. Et, vt omnium seniorum instituta, atque sententias intento corde, & quasi muto ore, suscipias, ac diligenter in tuo pectore condens, ad perficienda ea potius, quam ad docenda, festines. *Cass. Coll.* 14. *c.* 9.

Lingua sit menti subdita.

11 IVGVM sit verbis tuis, & statera, hoc est, humilitas, atque mensura, vt lingua tua menti subdita sit, &c. *Vt sup. c.* 3. §. 2. *de grauitate, num.* 24.

De eodem: quodq; nihil dicendum, vnde possit augeri propria æstimatio.

12 ANTEQVAM verba proferas, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam, &c. Et loquens nihil dicas, vnde multum eruditus, multumue religiosus possis putari. *S. Bernard. in Speculo monachorum* Et *vide sup. cap.* 8. §. 1. *de modestia in familiaribus, n.* 10.

Per linguam cor euacuatur.

13 LINGVA, modicum membrum est; sed, nisi caueas, maximum malum: tenuis est, & lata, aptissimum vacuandis cordibus instrumentum. *Idem S. Bernard. serm.* 17. *de triplici custodia, &c.*

Vir tacitus, philosophiæ filius, plurimam semper sapientiam possidet.

S. Climacus gradu. 4. *de obed.*

14 Illo

Ille Sacerdos scit recte dicere, qui & ordinate nouit tacere.

S. Gregorius. Moral. l. 30. c. 7. 15

In silentio virtutes conquiescunt: difficilius, tacere, quam loqui.

In silentio est virtutum reliquarum otium, &c. 16

Tacere, quam loqui, difficilius. Scio plerosque, qui, cum tacere nesciant, &c. Est fructuosum, & negotiosum silentium. *S. Bernardus de ordinæ vitæ.*

In silentio fui otiosus, quod est maximũ peccatum.

Idem S. Bernardus Meditationum. c. 11. 17

Audit Dominus cogitationes pias, etiam si lingua taceat.

Fidelivm, atque deuotæ mentis clamor affectus est, qui non tantum sermone promitur, sed magna cordis intentione profertur. Clamabat enim populus Iudæorum, murmurans, & non exaudiebatur à Domino: tacebat Moyses, & Dominus ei dicebat: Quid clamas ad me? scilicet, quoniam illas cogitationes audit altissimus, quæ pia intentione deuoluuntur? Additum est, In toto corde meo. ne putares aliud cogitandũ, quando clamatur ad Dominum: in sola enim religiosa cogitatione totus debet spiritus occupari, ne mens diuisa effectum nequeat impetrare, quem postulat. *Cassiodor. super Psal.* 118. 18 *Exo. 14* *Psal. 118*

De eodem: ac de cordis clamore.

19 CLAMOR ad Dominum, qui fit ab Oratoribus, si sonitu vocis corporalis fiat, non intento in Deum corde, quis dubitet inaniter fieri? si autem corde, etiam silente corporis voce, alium quemlibet hominem potest latere, non Deum. Siue ergo cum voce carnis id opus est, siue cum silentio ad Dominum cum oramus, corde clamandum est. Est autem clamor cordis magna cogitationis intentio: quæ cum est in oratione, magnum exprimit desiderantis, & petentis affectum, vt non desperet effectum. Tunc porro in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur. S. *August. super Psalm.* 118. *concione.* 29. *Vide Rabanum de institutione clericorum, c.*48.

Iusti vita habet linguam suam.

EXAVDI, Domine, iustitiam meam, intende
20 voci deprecationis meæ. Apud Dominum certum est habere iustitiam vocem suam, qui res tacitas intelligentiæ suæ virtute cognoscit. *Idem S. August. super Psal.*16.

Non solum mala non proferenda, sed ne recta quidem nimie, & inordinate.

21 SIT rector discretus. *Vt sup. cap.*7. §.1. *de doctrina, n.* 29.

Tria

Tria in locutione seruanda, vnde quatuor commoda proueniunt.

IN locutione tria sunt seruanda. Primo, vt tar- 22
dus sis ad loquendum; secundo, circumspectus; tertio, breuis, &c. Et ita cautus, & peritus in verbis, sicut auarus in nummis suis, &c. Et quadruplex ei bonum proueniet, qui cauebit à peccato vaniloquij: quia intellectus eius magis profundabitur, & sublimabitur; sicut aqua concluſa, quæ nullum exitum habet, per quem effluat, crescit in altum: item quod loquetur magis habebitur authenticum, sciant eum cum maturitate loqui, & non leuiter effundere sua verba: item singularē gratiam meretur in cælo: item vitabit peccatum multiloquij. *S. Bonau. de processu S. religionis. c. 1. & de perfectione vitæ, c. 4. S. Isidorus de summo bono l. 2. c. 29.*

Malus homo melius vincitur silentio, quam verbis.

MALVM hominem melius potest tacendo Sa- 23
cerdos vincere, quam respondendo: quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. Ideo Dominus tacendo compescere studuit, quos respondendo non compescuit. *S. Chrysost. super Matthæum, c. 7.*

Nihil temere effundendum, maxime coram imperitis.

SI apud imperitos sermo de aliquo præcepto 24
inciderit, maxima ex parte taceto: magni enim

periculi est, statim euomere, quod non concoxeris. Quod si quis dixerit: Te nihil scire, tuq; commotus non fueris, tum scito rem esse inchoatam: nam & oues non fenum afferunt opilionibus, ac demonstrant quantum commederint; sed pastu intra se concocta extra ferunt lanam, & lac. Et tu igitur ne verba celeriter ostendas imperitis; sed opera, quæ concoctionem verborum sequuntur. *Epictetus in Enchiridio.c.69.*

Sacerdos nugas proferens, blasphemus & sacrilegus est.

25 INTER sæculares nugæ nugæ sunt, in ore Sacerdotum blasphemiæ. Consecrasti os tuũ Euangelio: nugis igitur iam os aperire, illicitum est, assuescere vero nugas loqui, sacrilegum est. Labia Sacerdotis, ait Propheta, custodiunt scientiam, & ex ore eius requirunt legem. non nugas, aut fabulas. *S. Bernardus de consider.l.2.*

Otiosum verbum quid.

26 OTIOSVM est verbum, quod aut ratione iustæ necessitatis, aut intententione piæ vtilitatis caret. *S.Gregor.in Pastor.p.3.c.15. S. Basilius in reg. breu.respons.23* Item est, quod sine necessitate dicitur proferentis, aut vtilitate audientis. *S. Bonau. opuscul. de perfectione vitæ,c.4.*

Qui otiosa verba non reprimit, ad noxia cito transit.

27 *S Isidorus de Soliloquiorum.c 31. In norma viuendi, c.6. S.Gregor.in Pastor.p.3 c.15. S.Bernard.de ord. vitæ.*

Loquax

Loquax ignorãs est sui ipsius, & aliorum: è contra tacitus.

QVI peccata cognoscit, continet linguam suam: qui vero loquax est, nondũ seipsum, vt oportet, agnouit. Studiosus silentij appropiat Deo, ipsiq; iugiter in abdito cordis assistens illustratur ab eo, &c. Loquacitas ignorantiæ est certum argumentum, &c. *S. Climacus gradu* 11. *de loquacitate. S. Greg. Pastor. p.* 3. *c.* 15. 28

Loquax, sicut vrbs sine muris, patet iaculis inimici.

QVIA murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis; &, cum se per multa verba extra semetipsam eijcit, apertam se totam aduersario ostendit, quam ille tanto sine labore superat, quanto & hæc eadem, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat: Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. *S. Greg. d. p.* 3. *c.* 15. *S. Bonau. in Phar. l.* 3. *c.* 3. *de multiloq.* 29 Pro. 25.

Silentij epitheta.

TACITVRNITAS in oratione mater est orationis, captiuitatis reuocatio, ignis amoris diuini obseruatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, carcer luctus, lacrymarum amica, memoriæ mortis operatrix, suppliciorum pictor, iudicij indagatrix, sagax mæroris subministratrix, inimica fiduciæ, quietis coniux, ambitiosæ doctrinæ aduersatrix, scientiæ adiectio, speculationis opifex, secre- 30

secretus in Deum profectus, occultus ascensus. *S. Climacus gradu* 11. *de loquacitate.*

Silentij commendatio.

31 O VALIDVM scutum circumspectę munitionis silentium! O fidissimum stabilitatis fundamentum, quo si quis potuerit stare, lubricum verbi timere non possit! Multi enim, etiam stabili corde firmati, incauti tamen, sermonis fluctuantis errore sæpe ceciderunt. *S. Ambros. super Psalm.* 38.

De miro Ægyptiorum monachorum silentio.

32 CVM solemnitates, quas Ægyptij Synaxes vocant, celebraturi conueniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, vt cum *a* in vnum tam innumerosa fratrum multitudo conueniat, præter illum, qui consurgens in medio Psalmum decantat, nullus hominum penitus adesse credatur. Ac præcipue cum consummatur oratio, in qua non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dissutis malis, & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla suspiria etiam adstantes impeditura promuntur, nulla vox absq; Sacerdotis precem concludentis auditur; nisi forte hæc, quæ per excessum mentis claustra oris effugerit, quæq; insensibiliter cordi subrepserit, immoderato scilicet, atq; intolerabili spiritus feruore succensa, dum ea, quæ ignita mens in semetipsa non præualet continere, per ineffabilem quendam gemitum ex intimis pectoris sui con-

conclauibus euaporare conatur, &c. *Cassianus l. 2. c. 10.*

a In vnum tam innumerosa fratrum multitudo] *Pluris fiet tam stupenda silentij obseruatio, si consideretur in illis Ægypti cœnobiis plus quam quinque millia fratrum intra vnum cœnobium ab vno Abbate regi, vt auctores sunt idem Cassianus l. 4 c. 1. S. Basilius in reg. fus. interrog. 35. S. Bonau. de reformatione animæ, l. 2. c. 23.*

De temporalium Contemptu.

§. VI.

SVMMARIVM.

SACERDOS *moueri non debet temporalibus pœnis, quas vulgus formidat, & patitur. 1.*

Nec laudibus, aut vituperiis, & quare. 25. 26. 27. 28.

Nec vulgi querelis, quando veram excusationem non admittit. 24.

Sed potius contemnere debet omnia, qui semel Deum prægustauerit. 29. 30.

Bona videlicet temporalia, terrena, & vana, & vitam ipsam. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 30.

Tum etiam propinquos, amicos, & domesticos. 2. 14. 15. 16.

Et aduersa quæq; despicere, & prospera formidare. 17.

Ignominia eius est, propriis studere diuitiis. 18.

Nudus

Nudus Sacerdos, totius mundi est Dominus. 8.
Arduum est, præsentia contemnere. 19.
Contemnenda tamen. 10. 11. 12. 13.
Quæ qui contempserit, tristitiam effugiet. 20.
Verus philosophus diuitias contemnit. 21.
Anima quanto delectatur infimis, tanto arcetur à summis; & è contra. 22. 23.
Quæ extra nos, nihil ad nos. 31.
Corporis epitheta. 30.

1 OMNIS domus Israël plangat incendiũ, quod Dominus suscitauit: Vos autem non egredi-emini fores tabernaculi, alioqui peribitis; oleum quippe sanctæ vnctionis est super vos. *Leuit.* 10.

2 Leui ait: Perfectio tua, &c. Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos. & fratribus suis: Ignoro illos. & nescierunt filios suos. hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt. *Deuter.* 33.

3 Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum, si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituamque vobis. 1. *Reg.* 12. *Simile de Moyse Num.* 16. *de S. Paulo Actorum* 20.

4 Nolite declinare post vana, quę non proderunt vobis, neq; eruent vos, quia vana sunt. 1. *Reg.* 12.

5 Cuncta subiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter reuertentur. *Eccl.* 3.

Nolite

Nolite possidere aurum, neque argentum, ne- 6
que pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neq; virgam, &c. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. *Matt.* 10. *Luc.* 12.

Nihil vereor: nec facio animam meam pretio- 7
siorem quam me, dummodo consummem cursum meum, & ministeriũ verbi, quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangeliũ gratię Dei. *Act.* 20.

Nudus Sacerdos totius mundi dominus est.

NVDITAS rerum omnium curarum est depositio, securitas vitæ, viator omnibus impedimentis liber, mæroris alienatio, mandatorum fides; nudus Sacerdos mundi totius est Dominus. *S. Climacus gradu.* 16. *de Auaritia.* 8

Clericus sæcularia contemnere debet.

CLERICVS, qui Christi seruit Ecclesiæ, interpre- 9
tetur primo vocabulum suum; &, nominis definitione probata, nitatur esse, quod dicitur. Si enim κλῆρος Græce, Sors Latine appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte Domini sunt; vel quia Dominus, sors, id est, pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominũ possidet, cum Propheta dicit: Pars mea Dominus. nihil extra Dominum habere potest. *Psal.* 15.

Quod

Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus non dignatur Dominus fieri pars eius. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partes inter cæteras tribus; sed, quasi Leuita, & Sacerdos, viuo de decimis; &, altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. *S. Hieron. Ad Nepotian. 12. q. 1. c. eod.*

Sacerdos terrena despicere tenetur.

10 SI Sacerdos pastor est, & populus oues, dignum est, vt in nullo appareat ouibus pastor dissimilis. Si instar mei, qui ouis sum, pastor meus, & ipse incuruus graditur, vultum gerens deorsum, & terram semper respiciens, & soli ventri mente ieiunus pabula quæritans, in quo discernimur? Væ, si venerit lupus, non erit qui præuideat, qui occurrat, qui eripiat. Decet ne pastorem, more pecorum, sensibus incubare corporeis, hærere infimis, inhiare terrenis; & non potius erectum stare, vt hominem, cælum mente suspicere, quæ sursum sunt quærere, & sapere, non quæ super terram? *S. Bernardus epist. 42. ad Episcopum Senonensem.*

De eodem.

11 BEATVS Sacerdos, qui peregrinationis suę tempora casta sobrietate transcurrit, & in iis, per quæ necesse est eum ambulare, non remanet, vt hospes magis,

magis, quam Dominus terrenorum, nec affectibus sit innexus humanis, nec promissionibus desit diuinis. *S. Leo serm. 11. de Quadragesima.*

De eodem.

NE nos terrenorum occupent species, nec ad 12
se contemplationem nostram à cælestibus terrena deflectant: pro transactis habeantur, quæ maxima ex parte iam non sunt; & mens intenta mansuris ibi desiderium suum figat, vbi, quod offertur, æternum est. *Idem S. Leo serm. 1. de resurrectione Domini.*

De eodem.

CONTEMNE viuens, quæ post mortem habere 13
non poteris. *S. Bernardus de modo bene viuendi, serm. 53.*

Sacerdos impediri non debet propinquorum affectu.

Nos, qui Christum induimus, & facti sumus, 14
iuxta Apostolum, genus Regium, & Sacerdotale, 1. Pet. 2.
non debemus super mortuos cõtristari, &c. Mors nostra peccatum est. Et, quod forsan crudele alicui videatur, sed fidei necessarium est, in eodem Leuitico scribitur, quo modo Sacerdos magnus ad patrem, matrem, fratresque, vel liberos mortuos Leu. 21.
prohibeatur accedere: ne videlicet anima, Dei sacrificiis vacans, & tota in illis mysteriis occupata, aliquo impediatur affectu. *S. Hieron. ad Paulam de obitu Blæsillæ.*

Altaris ministeri fugere debet domesticos, & amicos.

15 HÆc est vera Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, & quædam alienatio carissimorum, vt suis se abneget, qui seruire Deo gestit, &c. Fugitans igitur est suorum sacri altaris ministeri. Vnde Dominus, quasi Principes Sacerdotum, formam Mat.12. Leuitis in Euangelio dans suo dixit: Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? hoc est, nõ agnosco matrem, non recognosco fratres, ignoro proximos. Mater mea, & fratres mei ij sunt, qui audiunt verbum Dei, & faciunt. Solum ergo verbum Dei nouit ministeri, cum eos nouit, in quibus operatur Dei verbum, & ideo exul est mundi, fugitiuus corporis, fugitans passionum, qui abdicat se 3.Re.19. omnibus, vt solus remaneat, sicut Elias dixit: Et ego relictus sum solus. cum quo erat Christus. *S. Ambros. de fuga sæculi c.2.*

De eodem.

16 QVI natus est Spiritu, Spiritu consecutus est filium Dei fieri: tunc iam pudet cognationis, quæ est secundum carnem; & propinquos agnoscit, qui sunt propinqui Dei. *S. Basilius in reg. fus. interrog.32. & de constit. monast. c.21.*

Aduersa quæq; despicienda Sacerdoti, & prospera formidanda.

17 DISCANT Sacerdotes fauores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate aduersa diligere,

gere, prospera formidando declinare: quia & ista per tremorem sæpe cor inquinant, & illa per dolorem purgant, &c. Nam plerumque aduersitatis magisterio sub disciplina cor premitur: quod si ad regiminis culmen eruperit, in elatione protinus vsu gloriæ permutatur. Sic Saul, &c. *S. Gregor. Pastor. p. 1. c. 3.*

Ignominia Sacerdotis est, propriis studere diuitiis.

S. Hieron. ad Nepotianum. Et vide inf. p. 3. c. 7. Ne sit cupidus, Virum Catholicum, n. 9. 18

Arduum est, præsentia contemnere.

ARDVVM est, consueta, ac præsentia relinquentem, ad superiora se potioraque conuertere: illa enim, quæ oculis cernimus, nimirū nos delectant; latentia diffidentiam pariunt; patentia autem sane mala sunt. bonum occultum iis, qui manifestis incumbunt: nec enim forma eius vlla, nec figura. *Mercurius Trismeg. in Pimandro c. 4.* 19

Si quis mundum omnino odit, hic tristitiam effugit.

S. Climacus gradu 2. de vacuitate affectionum. 20

Verus philosophus diuitias contemnit.

CRATES ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit; nec putauit se posse & virtutes & diuitias simul possidere. Nos, suffarcinati auro, Christum pauperem sequimur, 21

& sub prætextu eleemosynę, pristinis opibus incubantes, quomodo possumus aliena fideliter distribuere, qui nostra timide reseruamus? *S. Hieron. 12. q. 2. c. Gloria.*

Quanto anima delectatur infimis, tanto arcetur à summis: & è contra.

22 Esse quidem anima sine delectatione non potest. Nam aut delectatur infimis, aut summis: &, quanto altiore studio exercetur ad summa, tanto maiori fastidio torpescit ad infima; quantoq; acriori cura inardescit in infimis, tanto tempore damnabili frigescit à summis. *S. Gregor. Moral. l. 18. c. 8.*

De eodem.

23 Mentes Sanctorum transitoria cuncta despiciunt, & sub se labi, quidquid superbit, quidquid præterit, contemplantur; &, quasi in quodam rerum vertice constitutæ, tanto sibi omnia subesse conspiciunt, quanto semetipsas verius auctori omniũ subdunt: atque inde cuncta transcendunt, vnde creatori cunctorum vera se humilitate substernunt. *Idem Moral. l. 26. c. 13.*

Contemnendũ vulgus, quando non vult excusationem nostram admittere.

24 Te non oportet vulgus contemnere, quin potius suspiciones prauas, statim atq; exortæ illæ fuerint, intercidere; blande item appellare eos, quite simulauerint, vt illi etiam iniquissimi sint, ac nihil prorsus omittere earum rerum, quæ prauam de te opinionem delere possint: sin vero, omnia cum

præ-

præstiterimus, noluerint qui nos accusant quiescere, tum demum contemnere eos licebit. Quandoquidem, si quis ob populi dicta, &c. *Vt sup. c. 4. §. 2. de Constantia, si quis ob populi, n. 10, S. Chrys. de Sacerdotio l. 5. S. Augustinus ep. 137. Vide optimam epistolam Sixti Papæ 3. S. Gregor. 11. q. 3. c. inter verba. c. in cunctis. optimam eius dem epistolam 39. l. 9.*

Contemnendæ laudes simul, & vituperia.

25 Qvi aliorum edocendorum curam susceperit, is ne de aliorum laudibus dependeat, neue ab aliis animum despondeat. *Vt sup. c. 1, §. 2. de intentionis puritate, n. 14. & n. 15.*

De eodem.

26 Contemne laudem hominum, non exquiras si quis te laudet, aut si quis te vituperet: laus te non seducat, nec vituperatio frangat. Qui laudem non appetit, nec contumeliam sentit. *S. Bernardus de modo bene viuendi serm. 38. de interiori domo c. 38. Vide sup. c. 4. §. de Constantia, à cap. non carebis, n. 11.*

De eodem.

27 Qvidqvid de te dictum fuerit, id ne curato: id enim non iam tui est arbitrij. *Epictetus in Enchiridio, c. 34.* Si quis nunciarit, quendam tibi maledicere, ne refuta quæ sunt dicta; sed responde, eum nescisse cætera tua vitia: nam alioqui non illa solum fuisse dicturum. *Idem, c. 48.*

Adulatio statim reijcienda: & quare.

28 Adulatio, si vel ad tempus patienter susci-

tur, augetur, & pauliſper demulcet animum, vtà rigore ſuæ rectitudinis molleſcat in delectatione ſermonis; ſed ne creſcere debeat, ſtatim eſt & ſine mora ferienda. *S. Gregor. homil. 2. ſuper Ezechielem.* Quia honores eos, quos viri largiuntur, niſi quis magna cum animi conſtantia admiſerit, morbis duobus contrariis capitur: quorum alter eſt adulationis ſeruitus, alter arrogantiæ amentia, dum huic ſui adulatoribus, palpatoribusque ſeſe ſubmittere, huic propter honores illos, quos illi deferunt, aduerſus tenuiores criſtas tollere, atque adeo in faſtidij', aut contumaciæ barathrum præceps ferri cogitur. *S. Chryſoſt. de Sacerdotio l. 6.*

Omnia contemnenda illi, qui Deum prę-guſtauerit.

29 SI qui ſe Dei cognitioni dedicant, nec ipſi vulgo placent, nec vulgus illis, inſanire demum putantur, riſumque reportant; interdum etiam odio habentur, contumeliis afficiuntur, vitaque priuantur, &c. Verumtamen homo Deo deuotus, quamprimum diuinam præguſtauerit viſionem, obliuioni reliqua omnia tradit, atque etiam, quæ reliquis hominibus mala ſunt, huic vt bona contingunt conſulenti prudenter, & ad ſcientiam ſingula referenti, quodque mirandum eſt, mala ſemper in bona penitus conuertenti. *Mercurius Triſmeg. in Pimandro, cap. 9.*

Pro-

Proprium corpus necessario contemnendum ad cælestium contemplationem.

In primis oportet vestem, quam circumfers, exuere, indumentum insciticę, prauitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, viuam mortem, sensitiuum cadauer, sepulcrum circumuertile, domesticum denique furem, qui, dum blanditur odit, dum odit inuidet. Huiuscemodi est, quo circumtegeris, vmbraculum inimicum. Ad seipsum te deorsum raptat, ne forte conspiciens veritatis decorem, atque proximum bonum, huius oderis prauitatē; neue huius insidias, quas in te assidue machinatur, aliquando præsentias. Hoc aciem interiorum sensuum hebetat, & obtundit, crassa illam materia suffocat, abominabili fastidioſaque ebriat voluptate, ne audias vmquam, neue perspicias ea, quæ iure & audienda sunt, & in primis inspicienda. *Idem Mercurius in eodem Pimandro, c. 7.* 30

Quæ extra nos, nihil ad nos.

Memento, si ea, quæ natura seruiunt, libera putaris, & aliena pro tuis habueris, fore, vt impediaris, lugeas, perturberis, Deos hominesque accuses: sin id solum tuum existimaris, quod tuum est, aliena vero quæ aliena sunt, te nemo coget vmquam, nemo impediet, neminem accusabis, neminem criminaberis, nihil ages inuitus, nemo te lædet, inimicum non habebis, neque enim vllam calamitatem accipies. *Epictetus in* 31

Enchiridio c.3. Quisquis igitur liber esse volet, neque cupiat quidquam, neq; auersetur eorum, quæ penes alios sunt. Sin minus, seruire necesse erit. *Idem c.20.* Te quidem alius non lædet, nisi ipse velis: tum autem læsus eris, cum te læsum esse existimaris. *Idem c.37.*

Vide de hac materia totum librum Ecclesiastæ. S. Basilium in reg. fus. c.32. & de constitut. monast. c.21. & serm. de abdicatione sæculi. Tertullianum de fuga in persecutione. S. Ambrosium de fuga sæculi. S. Augustinum de contemptu mundi tom. 9. & ep. 36.38.39.45. 180. de fuga in persecutione. S. Isidorum de contemptu mundi. S. Bernardum de mutatione aquæ in vinum serm. 2. S. Bonauenturam de contemptu sæculi ad fin. tom. 1. S. Laurentium Iustinianum de contemptu mundi. Cardinalem Petrum Damianum de contemptu sæculi. Exemplum Cassiani coll. 24. c. 9. & sup. hoc cap. §. 2. de Patientia, & §. 3. de Humilitate.

CAP.

CAPVT IX.

DE FAMILIÆ GVBERNATIONE: DE ONERIBVS, TRIBVLATIONIBVS, ET PERICVLIS SACERDOTVM.

De Familiæ gubernatione. §. 1.

SVMMARIVM.

PARENTES, *qui filios, & domesticos non corripiunt, à Domino puniuntur, & sunt deteriores infidelibus.* 1. 10. 16.

In eorum educatione agnoscitur vir. 3. 4.

Homines à pueritia delicate nutriti euadunt contumaces. 2. 7.

Ideo à teneris annis erudiendi, & corripiendi. 5.

Et panis seruo tribuendus, & disciplina, & opus. 8.

Melior est enim vnus timens Deum, quam mille impij. 6.

Qui domui suæ præesse nescit, nec Ecclesiæ poterit. 9. 11.

Qui iustus non est, alios in iustitia continere non poterit. 12. 13.

Quantum prosit bona educatio. 14.

Ingenia liberaliter educata plus vincuntur verecundia, quam metu; & eorum commendatio. 15.

1 PRÆDIXI Heli, quod iudicaturus essem domũ eius in æternum, propter iniquitatem, eo quod nouerit indigne agere filios suos, & non corripuerit eos. Idcirco iuraui domum Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum. 1. *Reg.* 3.

2 Qui delicate à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem. *Prou.* 29.

3 In filiis suis agnoscitur vir. *Eccl.* 11.

4 Ex iniquis somnis filij, qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua. *Sap.* 4.

5 Filij tibi sunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. *Eccl.* 7.

6 Ne iucunderis in filiis impiis, si multiplicentur; nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Non credas vitæ illorum, & ne respexeris in labores eorum. Melior est enim vnus timens Deum, quam mille filij impij. Et vtile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios. *Eccl.* 16.

7 Lacta filium, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi: ne doleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui. *Eccl.* 30.

8 Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo, &c. *Eccl.* 33.

9 Si quis domui suæ præesse nescit, quo modo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? 1. *Tim.* 3.

10 Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. 1. *Tim.* 5.

Qui

Qui nescit præesse domui suæ, nec poterit Ecclesiæ.

IVRE quidem ac merito Legislator: qui nobis à Deo datus est, non vult Ecclesiæ Dei præesse eũ, qui non domui, ac familiæ suæ iam antea præclarè præfuerit. Etenim, qui se ipse rexerit, alterum etiam reget: &, qui alterum, etiam domum: qui domum, & ciuitatem: qui ciuitatem, etiam nationem. *S. Dionysius epist. ad Demophilum.* 11 1. Ti. 3.

Qui iustus non est, alios in iustitia continere non poterit.

ABSVRDVM fuerit, & res admodum insolens, si is aliis imperet, qui ipse domi ex alieno pendet arbitrio; & is administandæ Reipublicæ præficiatur, qui in intimis ædibus captiuus premitur iugo vilissimi scorti, nec rem familiarem rite dispensat. Conuenit eum assumi ad aliorum præfecturam, qui, quæ sibi sunt intima, probe ac decenti ordine moderari nouit. Alioqui, si in rem domesticam negligenter se gesserit, nec illam sciuerit recte disponere, iure à subditis ei subijcietur Euangelicus sermo: Medice cura te ipsum. *S. Basilius de opificio Dei, hom. 10.* 12 Luc. 4.

De eodem.

QVI sibi ipse imperare nescit, quo tandem modo alios legibus regere poterit? *S. Chrysost. de comparatione Regis, & monachi.* 13

Quan-

Quantum prosit bona educatio.

14 Hoc loco expressius requiramus, quæ tandem
2.Ma.7 causa paruulis septem Machabæis vires dedit, vt inter tam exquisitos, nouosque cruciatus, infatigabiles in Dei confessione durarent? Quæ, inquam, alia causa, carissimi, nisi diuina gratia, & doctrina domestica? Quæ causa alia, nisi quia statim post transacta cunabula inter annos infantiæ religionis affectum de institutione, & conuersatione piæ parentis acceperant, & de tam sanctæ Matris pectore Deum traxerant, & in nomine Domini vincula linguæ trepidantis absoluerant? Quæ cum ita sint, discant boni parentes, tantæ Matris exemplo, erudire filios suos, vt, quos sein hanc vitam munere acquisiere naturæ, præparent æternitati sedulitate doctrinæ. Quapropter studete eos ad Domini seruitutem (quæ nobis sola est causa viuendi) non lingua erudire, sed vita.
Gen.18. Abraham diuina voce laudatur: Scio, inquit Dominus, quia Abraham præcepturus sit filiis suis, vt custodiant viam Domini. *Eusebius Emissenus hom. 4. de Epiphania.*

Ingenia liberaliter educata facilius verecundia, quam metus, vincit: & eorũ, & pudoris commendatio.

15 INGENIA liberaliter educata facilius verecundia, quam metus, superat: &, quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor. *S. Hieron. ad Pammachium epist. 26.* Quid autem amabilius verecundo

do adoleſcente? Quam pulchra, & ſplendida gemma morum eſt verecundia in vita, & vultu adoleſcentis? quam vera, & minimæ dubia bonæ ſpei nuncia, bonæ indolis index? Virga diſciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, ſpecialis gloria conſcientiæ, formæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, & naturæ laus, & inſigne totius honeſtatis. *S. Bernardus ſuper Cantic. ſerm.* 86.

Heli punitus eſt, quia filiorum peccata minus ſeuere corripuerit.

Vt ſup. c. 7. §. 1. *de doctrina, & prædicatione, à cap.* 16 *Sacerdotes populorum, n.* 61. *cum ſequentibus.*

De Oneribus, Tribulationibus, & periculis Sacerdotum.

§. II.

SVMMARIVM.

AMICI *Dei per multas, & varias tentationes probantur, & tamen à Deo liberantur.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 24.

Quarum quidem tentationum variæ ſunt cauſæ. 32.

Qui autem non tentatur nihil ſcit. 3.

Nihil difficilius, & laborioſius officio Preſbyteri, ſi rite peragatur. 13.

Et

Et difficilius eorum ministerium quam monachorum. 23.

Graue enim est pondus, & pericula eorum. 14.15.

Et ideo comparantur virgis nuceis. 22.

Et appellantur Muri Ecclesiæ. 19.

Nam variis modis ab omnibus impetuntur, & eorum virtus periclitatur. 16.17.18.20.21.

Et multis se debent accommodare. 20.21.

Propterea est illis diffcilimum inter vitia multitudinis animum tranquillum seruare. 25.26.

Etiam inter amicos, quia ab illis etiam persecutionem patiuntur. 27.

Vndique illis pericula, nullibi securitas. 29.

Ideo fugienda illis periculorum propinquitas. 30.

Siquidem ex ipsa etiam victoria nascitur fortior pugna. 31.

Quo fit, vt plures ex illis damnentur, quam salui fiant. 28.

1 MEMORES esse debemus, quomodo pater noster Abraham tentatus est; & per multas tribulationes probatus Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, & Moses, & omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. *Iudith* 8. *Tobiæ.* 12. *Eccl.* 8. *Eccl.* 2. 2. *Tim.* 3.

2 Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus. *Psal.* 33.

3 Qui non est tentatus, quid scit? *Eccl.* 34.

4 Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo, &c. *Matth.* 10.

Tradent

Tradent vos in tribulationem,& occident vos: 5
& eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum, *Matth.*24.

Non est seruus maior Domino suo. Si me per- 6
secuti sunt,& vos persequentur. *Ioan.* 15.

In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut 7
Dei ministros in multa patientia,in tribulationibus,in necessitatibus,in angustiis,in plagis,in carceribus,in seditionibus,&c. 2. *Cor.* 6.

Cum venissemus in Macedoniam, nullam re- 8
quiem habuit caro nostra,sed omnem tribulationē passi sumus:foris pugnæ,intus timores. 2.*Cor.*7.

In laboribus plurimis, in carceribus abundan- 9
tius,in plagis supra modum, &c. Periculis fluminum,periculis latronum,&c.2.*Cor.*11.

Nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi 10
enim scitis quod in hoc positi sumus.1.*Thess.*13.

Omnes, qui pie volunt viuere in Christo Iesu, 11
persecutionem patientur.2.*Tim.* 3.

Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in 12
æternam suam gloriam in Christo Iesu,modicum passos ipse perficiet,confirmabit,solidabitque. 1. *Pet.*5.

Nihil difficilius,laboriosus,aut periculosius officio Presbyteri, si rite peragatur.

ANTE omnia peto,vt cogitet religiosa pruden- 13
tia tua,nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore,facilius,& lætius,& hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctorie, atque adulatorie res agatur;

sed

sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet. Quis autem iste sit modus, &c. *S. Augustinus ep.* 148. *ad Valer. dist.* 40. *c. eod.*

Graue pondus Sacerdotij.

14 MAGNVM onus, & intolerabile mihi iniunctum est, Sacerdotisque dignitas me terret immodice. *Ioannes Moschus Euiratus in suo Prato spirituali, c.* 149.

De eodem.

15 *Vt sup. p.* 1. *c.* 2. §. 1. *de offic. Sacerdotum, graue pondus, n.* 24.

Variis modis impetitur Sacerdos, & eius virtus periclitatur.

16 INGENS adhibere studium oportet, vt Christi sermo in nobis largiter inhabitet. Neque enim nobis pugnæ species vna parata est, sed bellum nobis varium, ac multiplex propositum, variis, multiplicibusque aduersariis constans, atque instructum. Qui ipsi neque iisdem armis vtuntur omnes, neque vno eodemque nos artificio adoriri meditantur. Eumque oportet, qui cum illis omnibus prælio decertaturus sit, omnium artes notas habere, eundemque & sagittarium, & funditorem, & centuriorem, &c. *S. Chrysost. de Sacerdotio*

dotio l.4. Periclitatur Sacerdotis castitas in deliciis, humilitas in diuitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, caritas in hoc sæculo nequam. Fugite de medio Babylonis, fugite, & saluate animas vestras. *S. Bernard. de conuers. ad cler. c. 30.*

Grande periculum Sacerdotum, à quibus non tantũ sua, sed omnium etiam sunt animæ requirendæ.

17 Si diligenter attenditis, fratres carissimi, omnes Sacerdotes Domini, & ministros Ecclesiarum in grandi periculo esse cognoscetis. Ipsis enim contestatur Spiritus sanctus, dicens: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. *Ezech. 3* Et iterum: Si non annunciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram. De ipsis etiam Apostolus dicit: Obedite præpositis vestris, ipsi enim peruigilant tamquam rationem reddituri pro animabus vestris. *Heb. 13.* Si pro se, fratres, vnusquisque vix poterit in die iudicij rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnium animæ requirendæ? Et ideo considerantes periculum nostrum orate pro nobis, & commissis nobis gregibus ita spiritualia pascua studeamus iugiter prouidere, vt pro eis rationem bonam reddere mereamur, adiuuante me qui terret me, &c. *S. August. serm. 15. in appendice de diuersis.*

De eodem.

18 PENSET Sacerdos, qui ad satisfaciendum districto Iudici de sua tantum anima vix sufficit, quia, quod regendis subditis præest reddendæ apud Deum rationis tempore, vt ita dicam, tot solus animas habet. *S. Greg. Moral. l. 24. c. 6.*

Sacerdotes sunt Muri Ecclesiæ.

19 MVRI Ecclesiæ sunt Sacerdotes, ceterique
Isai. 60. Doctores, de quibus dicit Propheta ad Ierusalem spiritualem: Et alienigenæ ædificabunt muros tuos, quoniam ex gentibus vocati facti sunt Sacerdotes, & gubernatores Ecclesiæ. Sicut enim Muri omnium gentilium, & hæreticorm impetuum ipsi susciptunt, qui, tamquam arietibus quibusdam, sic assiduis persecutionibus feriunt clerum, id est, Murum Ecclesiæ. *S. Chrysost. hom. 10. in Matth.*

De eodem: quodq; se multis accommodare debet Sacerdos, ac de proprio iure concedere.

20 SACERDOTIS nauem assiduæ tempestates circumsistunt: huiusmodi autem tempestates non solum extrinsecus adoriuntur, sed etiam intrinsecus enascuntur. Quo fit, vt Sacerdos diligenter accommodare sese ad multos, ac de iure suo quodāmodo concedere debeat: quæ omnia vel inter se pugnantia ad hunc vnum finem spectant, nimirum ad Dei optimi laudem, atque Ecclesiæ ædificationem. *Idem S. Chrysost. de Sacerd. l. 6.*

De

De eodem.

Vide sup. c. 3. §. 3. de suauitate, Nihil tam oneroſum, 25
n. 32.

Sacerdos ſimilis virgæ nuceæ.

VIRGAM nuceam vidit Ieremias vir, in pluri- 22
bus, quam alii Prophetæ, periculis verſatus, Sacer- Ierem. 1
dotij typum, & argumentum. Cuius perſpicuæ, & ſuperficiariæ partes, atque (vt quiſpiam fortaſſe dixerit) primordia aſtringentia, & aſpera ſunt, acrimoniaque prædita: occultæ autem, atque interiores partes ſtabiles, & firmæ ſunt, ac fulciendi vim habent. Quamobrem & Sacerdotij labores ſtrenue ferre oportet, & ipſius præmia prompto & alacri animo expectare. *S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. ep. 50.*

Sacerdotum miniſteriũ difficilius quam monachorum.

MONACHORVM quidem labor multus, & cer- 23
tamen ingens: ſed, qui volet eius inſtitui ſudores cum Sacerdotij adminiſtratione conferre, tantum inter alia duo diſcrimen eſſe comperiet, quantum inter priuatam, & Regem interuallum: tanto hoc recte adminiſtrare, quam illud exercere difficilius. *S. Chryſoſt. diſſimilitudine 6 2. & l. 6. de Sacerdotio. Vide alia ſup. p. 2. c. 1. §. 1. de ſanctitate Sacerdotum, cap. Sacerdotis animum, n. 14. & Hæc duo, n. 34.*

Tribulationes, & labores Sacerdotibus necessarij.

24 *Vide sup. c. 8. §. 6. de Temporalium contemptu, cap. Discant Sacerdotes, n. 17.*

Difficilimum Sacerdoti inter vitia multitudinis vitam agenti, animi tranquillitatem seruare.

25 SACERDOTVM virtus eo mihi mirabilior, & maiori prædicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiori seruare: non enim sanatis magis, quam sanandis hominibus præest. Perpetienda sunt vitia multitudinis vt curentur; & prius toleranda, quam sananda pestilentia. Difficilimum est hic tenere optimum vitæ modum, & animum pacatum, atque tranquillum: quippe, vt breuiter explicem, hi agunt, vbi viuere discitur; illi, vbi viuitur. *S. Augustin. tract. de morib. Eccl. cathol. S. Bernardus serm. 48, in Cantica.*

De eodem.

26 CVM magno timore Sacerdotes super eos sollicitati sunt, quorum bonis participantur: quia magnum periculum est iudicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ. *Iuo. p. 6. c. 183. ex eod. S. Augustin.*

Ipsimet

Ipsimet amici Sacerdotes persequuntur.

CIRCVMSTANT ceteri parati, vt vulnerent Sa- 27
cerdotem, ac, si liceat, supplantent; neque hi ex hostium, atque aduersariorum numero, sed ex iis, qui se amicos esse adsimulant, &c. Nam, qui Sacerdotem paulo ante, ac dum munere potiretur, reuerebantur colebantque, ij, occasionem nacti perexiguam, magno se studio accingunt, vt illum infestius etiam, quam Tyrannum, imperio depellant: atque, vt Tyrannus sui corporis custodes timet, sic Sacerdos eos, quos sibi propinquos, collegasque habet, maxime omnium reformidat, &c. *S. Chrysost. hom. 3. de Sacerd. l. 6.*

Plures Sacerdotes damnantur, quam salui fiunt.

NON arbitror, inter Sacerdotes multos esse, 28
qui salui fiant, sed plures multo, qui pereant. In causa est, quoniam res excelsum requirit animum: multas enim habet causas, quæ depellant ipsum à suis moribus, & innumeris oculis illi opus vndique, &c. *Idem S. Chrysost. hom. 3. in Acta Apostolorum.*

Vndique pericula, nullibi securitas.

ORAMVS quotidie, vt Dei voluntas, sicut in 29
cælestibus facta est creaturis, sic fiat & in terrenis: vt, sicut Angelus, sic & homo adhærens Deo vnus spiritus cum eo sit. Sed, heu me, quod obstacula

separant, quod prohibent impedimenta? Obijcit enim se mediam malitia nostra, infirmitas nostra, concupiscentia nostra, & ignorantia nostra, &c. Heu me, Domine Deus, quia vndique mihi bella, vndique tela volant, vndiq; pericula, vndiq; impedimenta! Quocumq; vertam me, nulla vsque securitas est; &, quæ mulcent, &, quæ molestant, timeo; & esuries, & refectio, & somnus, & vigiliæ, & labor, & requies militant contra me. *S. Bonauen. in Phar. l. 2. c. 1. ex S. Bernardo. S. Leo serm. 5. de Quadragesima.*

Periculi propinquitas fugienda.

30 NEMO diu tutus esse potest periculo proximus; nec euadere diabolum seruus Dei poterit, qui se diaboli laqueis implicauerit. *S. Cyprianus lib. 1. epist. 11.* Et in hac parte expedit plus, bene timere, quam male fidere: *Idem S. Cyprianus (si tamen eius id opus est) de singularitate clericorum. S. Hieron. contra Vigilantium. S. Bernardus de modo bene viuendi c. 58.* Et melius est, perire non posse, quam iuxta periculum non periisse. *Idem S. Hieron. epist. 47. de vitando suspecto contubernio.* Fugienda igitur non segnius, quam infestiuum flagellum ruinæ proxima loca, &c. *S. Climacus gradu 3. de peregrinatione, & somnis.*

Ex victoria nascitur fortior pugna.

31 QVANTO magis athleta triumphorum successibus creuerit, tanto ei etiam colluctationum robustior ordo succedit. *S. Cassianus l. 5. c. 19. S. Bonau. de processu 6. Relig. c. 40.*

Ten-

Tentationum variæ causæ.

SCIENDVM est, omnes homines triplici ratione tentari: plerumque ob probationem; nonnumquam ob emendationem; interdum ob merita delictorum, &c. Inuenimus sane & quartam rationem, qua ob manifestandam solummodo gloriam, & opera Dei inferri quibusdam aliquas passiones Scripturarum auctoritate cognoscimus. *Idem S. Cassianus coll. 6. c. 11. Quinque rationes affert. Ven. Beda hom. Dominicæ 22. post Trinitatem*: Vt scilicet homo probetur sicut Iob: vt emendetur, sicut Magdalena: vt conseruetur, sicut Paulus: vt manifestentur opera Deo in illo, sicut cæcus: vt incipiat cruciari in hoc mundo, sicut Pharao. 32

CAPVT X.

DE BONO TESTIMONIO, ET EXEMPLO SACERDOTVM.

SVMMARIVM.

EXEMPLVM *bonum per bona opera præbendum, vt glorificetur Deus.* 1. 2. 4. 11.

Nec solum coram Deo, sed etiam coram omnibus. 5. 7. 9. 10. 11.

Nam curare debet Sacerdos non solum de bona conscientia interius, sed etiam de bona fama exterius. 20.

Exemplum enim eius bonum ab interiori bona intentione ortum, plurimum conducit. 21.

Nihilque tantum valet ad aliorum pietatem commouendam. 16.

Eorum enim bona conuersatio est populi conditura. 12.

Et speculum aliorum eorum vita. 13. 14.

Et ideo per bonum eorum exemplum multi corriguntur. 6.

Et per malum multi ad peccandum alliciuntur, & commune omnibus damnum inducitur. 3. 31. 32.

Vtpote quos peccantes facile populus sequatur. 33. 34. 35.

Vt plus videantur persequi Christum, qui per malum exemplum alios ad peccandum inducunt, quam qui eius sanguinem fundunt. 30.

Propte-

Propterea cunctis se imitandos præbere debẽt.17.18.19
Et ab omni specie mala abstinere.26.
Et prauas opiniones de se conceptas statim vellere, & non conceptas præuenire.27.28.29.
Plus valet continentis hominis aspectus ad corrigendum incontinentem, quam verba.22.
Bona enim prædicatio non minus cõstat exemplis, quam verbis.24.25.
In aduersis lucet vera virtus, quæ latebat in prosperis.23.
Qui enim sunt in Christo fundati, sicut in monte abscondi non possunt.14.

SIC luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. *Matth. 5. Luc. 11.* 1

Vide, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. *Ibidem.* 2

Si quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia eius, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter, &c. 1. *Cor.* 8. 3

Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia. 2. *Cor.* 6. 4

5 Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. *Rom.* 12. 2. *Cor.* 8.

6 Vestra æmulatio prouocauit plurimos. 2. *Cor.* 9. Videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant, &c. *Iob.* 29.

7 Sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ, & peuersæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi. *Phil.* 2.

8 Ab omni specie mala abstinete vos. 1. *Thess.* 5.

9 Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersione, in caritate, in fide, in castitate, &c. Vt profectus tuus manifestus sit omnibus. 1. *Tim.* 4.

10 In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile: vt is, qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. *Tit.* 2.

11 Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam: vt in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis, &c. 1. *Pet.* 2.

Sacerdotum bona conuersatio populi conditura est.

12 *S. Chrysost. hom.* 10. *in Matth.*

Sacer-

Sacerdotum vita, speculum aliorum.

MVLTA in sæculari Principe, &c. *Vt inf. p. 3. c. 1. de leuibus peccatis, n. 34.* 13

De eodem.

OPTANDVM est, vt hi, &c. *Vt sup. c. 1. §. de sanctitate Sacerdotum, n. 31.* 14

Sacerdotes in Christo fundati, velut in monte, abscondi non possunt.

QVAMVIS ipsa ciuitas voluerit esse velata, mons ipse, qui portat eam, facit eam omnibus manifestam: sic & Apostoli, & Sacerdotes, qui fundati sunt in Christo, monte excelso, non possunt esse absconditi; quod si voluerint se abscondere, Christus ipse manifestat eos, &c. *S. Chrysost. hom. 10. in Matth.* 15

Nihil tam valet ad aliorum pietatẽ commouendam, quam Sacerdotum vita, & exemplum.

NIHIL est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt, &c. *Vt sup. c. 1. §. 1. de sanctitate Sacerd. n. 30.* 16

Sacerdos cunctis se imitandum præbere debet.

DEVS lucernam, hoc est, Sacerdotem accendit, atque candelabro imponit suæ lucem ferenti cathedræ, vt & dogmatum, & actionum ab omni 17 *Mat. 5.*

omni caligine liberatum splendorem Ecclesię, fulgoræ instar, afferat: quo nimirum plebs viuifici fulgoris radios spectãs ad eos sese dirigat, patrisq; luminum gloriam prædicet. *S. Isidorus Pelusiota l. 1. epist. 32.*

De eodem.

18 CVM Sacerdotalis dignitas aliis videatur dignitatibus eminere, ita, quisquis ea ornatus est, cunctis se imitandum debet ostendere: vt exemplo suo nulli nocere, sed vitam potius valeat componere subditorum. *S. Gregor. l. 7. reg. epist. 117.*

De eodem.

19 SEMINEMVS hominibus bonum exemplum per aperta opera, seminemus Angelis gaudium per occulta suspiria. *S. Bern. serm. 30.*

Et bona conscientia interius, & exterius bona fama Sacerdotem ornari oportet.

20 QVAMVIS conscientiam puram apud Deum Sacerdotes habere oportet, tamen apud homines famam optimam custodire oportet. Ideo conuenit testimonium probabilium personarum conuersationis, & vitæ in conclaui suo habere: vt & Deo placeant per conuersationem bonam, & Ecclesiæ per optimam famam. *Concil. Toletan. 4. c. 21. & 22. S. Bonau. l. 4. Pharetræ, c. 47.*

Exem-

Exemplum exterius ab interiori bona intentione ortum plurimum conducit.

Sic sit opus nostrum in publico, quatenus in- 21
tentio maneat in occulto, vt & de bono opere *Heb.* 13.
proximis exempla præbeamus; & tamen per intentionem, qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum. *S. Gregor. hom.* 11. *in Matth.*

Continentis hominis aspectus plus valet ad corrigēdum incontinentem, quam vlla cuiusuis generis verba.

Ad animum illius, qui ventris libidinibus ser- 22
uiat, peruellendum, & ad frugem reuocandum meliorem, nullam cuiusuis generis orationē posse excogitari opinor, quæ tantumdem valeat, quantum vel solum continentis alicuius aspectus. *S. Basilius in reg. fus. interrog.* 17.

Virtus vera Sacerdotis, quæ absconditur in prosperis, lucet in aduersis.

Cælvm est sancta anima Sacerdotis, habens 23
Solem intellectum, Lunam fidem, astra virtutes, &c. Stellas dixisse virtutes non me pænitet considerantem congruentiam similitudinis: quo modo nempe Stellæ in nocte lucent, in die latent; sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in aduersis. *S. Bern. super Cant, serm.* 27.

Bona prædicatio constat verbis, & exemplis.

Tvnc aliis vere recta prædicamus, si dicta ver- 24
bis,

verbis,& exemplis monſtramus. *S. Gregor. hom.17. in c.10. Lucæ.*

De eodem.

25 TAM vita,quam doctrina clarere debet Eccleſiaſticus Doctor. nam doctrina ſine vita arrogantem reddit; vita ſine doctrina inutilem facit. *S. Iſidorus de ſummo bono l.3.c.36.*

Ab omni ſpecie mala abſtinendum.

26 INTEREST tuæ perfectionis, & malas res,& malas pariter ſpecies deuitare: in altero conſcientiæ, in altero famæ conſulis. *S. Bernardus l.2.de conſideratione. Vide inf.p.3.c.1. de leuibus peccatis,cap. Multa in ſæculari,n.34.*

Curandum, vt ſtatim euellantur prauæ opiniones de Sacerdotibus conceptæ.

27 TE non oportet vulgus contemnere. *Vt ſup.c.8. §.6.de temporalium contemptu, n.24.*

Præueniendæ malæ de nobis opiniones, ita, vt ſeminari non ſinantur, aut natæ euellantur.

28 TANTVM certe oportet, immo vero longe maius ſtudium adhibere, vt malas opiniones non ſolum dum erumpunt, diuellamus, arceamusque; ſed & procul, vnde erumpere poſſint, proſpiciamus; atque adeo cauſas ipſas,è quibus enaſcantur, longo ante tempore interimamus; non etiam dum coaleſcunt, & in vulgi ore verſentur, ac diuulgẽtur,expectemus. *S. Chryſoſtomus de Sacerd.l.6.*

S. Bonau.

I.Bonau.in Phar.l.4.c.47. opusculo de informat,nouitiorum,c.6.partic.1.

Suspiciones,quę de familiaritate cum feminis oriri possunt,amputandæ.

QVOTIDIE conuersari vis cum muliere,& continens putari: esto, quod sis, maculam tamen suspicionis portas. *Idem S. Bonauentura de ratione confitendi, c.14. ex S. Bernardo. S. Augusti. epistola 132.* Quanti non dederunt locum errori, dederunt autem suspicioni? *S. Ambros. de offic. l.1.c.20.* 29

Plus persequitur Christum, qui malo exemplo aliis est in ruina, quam qui eius sanguinem fudit.

SI Dominus proprium sanguinẽ dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur grauiorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione mala, exemplo pernicioso, scandali occasione auertit ab eo animas, quas redemit, quam ab illo, qui sanguinem suum fudit? *S. Bonau. in Phar. l. 3.c.3.& 9. ex S. Bernardo.* 30

Sacerdotis delictum commune omnibus damnum affert.

SACERDOTALIS animi pulchritudinem vndique splendescere oportet, vt oblectare pariter, & illuminare possit eorum animos, qui suos in illum oculos conijciunt. Nam vulgarium hominum delicta, velut in tenebris cõmissa, auctores suos solos perdunt: cæterũ hominis illustris, ac vulgo cogniti delictum commune omnibus damnũ affert, &c. 31

& par-

& parua eorum peccata aliis magna videntur. Neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum plerique omnes metiuntur. *S. Chrysost. de Sacerdotio l. 3.*

De eodem.

32 PERIT reuerentia, adimitur disciplina, si, qui culpas debuit emendare, committit. *S. Gregor. l. 7. reg. epistola 113. indictione 2.*

Facile sequitur populus Sacerdotem peccantem, vt grex pastorem.

33 CVM pastor per abrupta graditur, consequens est, vt grex ad precipitium sequatur; &, qui labenti innititur, necesse est, vt cum labente pariter labatur: persuadent enim sibi subditi, id eis in primis licere, quod à suis pastoribus fieri palam conspiciunt, & audentius idem perpetrant. Ex quo superiorum maior longe redditur culpa. *S. Gregor. Pastor. p. 2. c. 3.*

De eodem.

34 A subditis inferiora gerenda sunt, à rectoribus summa cogitanda: vt scilicet oculum, qui prouidendis gressibus præeminet, cura pulueris non obscuret. Caput namque subiectorum sunt cuncti qui præsunt; &, vt recta valeant pedes itinera carpere, hæc proculdubio caput debet ex alto prouidere, ne à profectus sui itinere pedes torpeant, cum curuata rectitudine corporis caput sese ad terram declinat. *Idem S. Gregor. in eod. Pastorali, p. 2. c. 7.*

De

De eodem.

SI Sacerdotes mores suos correxerint, spes est plebem quoq; secuturam esse. *S. Isidorus Pelus. l. 3. epist. 326. Alia vide sup. c. 3. §. 4. de gestu, risu, &c.*

CAPVT XI.

DE SOLLICITVDINE, VIGILANTIA, ET ZELO SACERDOTVM IN PRÆDICTIS.

SVMMARIVM.

MINISTRI *Ecclesiæ debent esse solliciti, & vigiles in ministeriis suis. 1. 4. 7. 8. 9.*
Et compati infirmitatibus, & scandalis aliorum. 6.
Et ex omni parte debent esse oculi. 5. 10. 11. 12.
Et seipsos caute custodire. 2. 19. 20.
Et cum magno timore præesse subditis suis. 14.
Et pro eorum salute commoda propria postponere. 17.
Quia pœnas maximas luent suæ negligentiæ. 15. 16.
Hæc autem eorum sollicitudo qualis esse debeat. 9.
Neq; solum de spiritualibus, sed etiã de temporalibus. 18
Magna quippe sublimitas magnã debet habere cautelam. 13.
Qualis etiam debeat esse zelus eorum. 3. 21. 23.

Et quis perfectus.22.23.
Zelus animarum optimum sacrificium.24.

1 LEVITÆ per gyrũ tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinẽ filiorum Israël,& excubabũt in custodiis tabernaculi. *Nu.1.*

2 Custodi temetipsum,& animam tuam sollicite. *Deut.4. Mich.6.*

3 Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituũ: quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël, altaria tua destruxerunt,Prophetas tuos occiderunt gladio,derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam. *Exo.32. Num.14.3.Reg.19. Vide optima exempla Gen.34. Num.25. Iudic.2.3. Reg.18. 1.Machab.2. Matth.25.*

4 Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. *Prou.4.*

5 Omne corpus, & colla, & manus, & pennæ, & circuli plena erant oculis,in circuitu quatuor rotarum. *Ezech.10.*

6 Instantia mea quotidiana,sollicitudo omnium Ecclesiarum: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? *2. Corinth.11.*

7 Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, non gementes: hoc enim non expedit vobis. *Heb.13.*

8 Sobrij estote,& vigilate:quia aduersarius vester diabolus tamquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: Cui resistite fortes in fide. *1. Pet.5.*

Sacer-

Sacerdotalis sollicitudo, qualis.

QVOD ait Apostolus: Ipsi peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Sacerdotalem curam pro populo sibi commisso satis ostendit, qui tam in suis actibus, quam in prædicationibus vigilantes sollicite hostis antiqui rimantur insidias, ne quem velut dormiente pastore lupus diabolus astuta fraude subripiat, & in damnum pastoris abreptum secum vsque ad supplicia sempiterna perducat. *S. Prosper de vita contempl. l. 2. c. 3.* 9 *Heb. 13.*

Sacerdos debet esse omni ex parte oculo.

DEI Sacerdos, quoniam ad Deum appropinquat, animalium illorum multis oculis præditorum in morem, omni ex parte oculus esse debet, eorum instar nihil nescius, &c. *S. Isidorus Pelus. l. 1. ep. 151. Vide sup. c. 4. §. 1. de prudentia, Animalia, n. 14.* 10 *Eze. 10.*

De eodem.

SAPIENTISSIMVM esse oportet, & in omnibus perspicacem Sacerdotem, & mille, vt aiunt, omni ex parte oculos habentem, quippe qui non solum sibi, sed etiam populo viuit. *S. Chrysost. de Sacerd. l. 3.* 11

De eodem: maxime in dignoscendis virtutibus, & vitiis.

SÆPE sub parsimoniæ nomine se tenacia palliat, contraq; se effusio sub appellatione largitatis occultat: sæpe inordinata remissio pietas creditur, & effrenata ira spiritalis zeli virtus æstimatur: sæpe præcipitat actio, &c. Vnde necesse est, vt Sacerdos 12

animarum virtutes, ac vitia vigilanti cura discernat. *S. Gregor. Pastor. p. 2. c. 9. optime. l. 13. Moral. c. 14. & 17. & l. 32. c. 17. dist. 41. c. sæpe. S. Bonau. de proœssu 6. relig. c. 36. S. Augustinus l. 4. contra Iulianum, c. 3. tom. 7.*

Magna sublimitas, magnam debet habere cautelam.

13 *S. Ambros. de dignitate Sacerdotali, c. 3.*

Cum magno timore præesse debent subditis Sacerdotes.

14 ADMONENDI sunt Presbyteri, vt perpendant, quia, quidquid à fidelibus datur, redemptio peccatorum est. Et ideo non glorientur talibus sumptibus vti; sed magis timeant, quod in veteri Testamento de Sacerdotibus dictum est: iniquitatem
Leu. 10. eos debere portare. Et ideo cum magno timore
Nu. 18. super eos solliciti sint, quorum bonis participantur: quia magnum periculum est, iudicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ. *Iuo Carnot. p. 6. c. 183. ex S. August. Idem S. August. epist. 147.*

Sacerdos, qui subditis sollicite annunciauerit malum imminens, coronabitur; secus, qui tacuerit.

15 SI Sacerdos, quoniam speculator à Deo constitutus est. *Vt sup. c. 7. §. 1. de prædicatione, n. 70.*

Ratio-

Rationem reddet Sacerdos de pigra sollicitudine erga subditorum salutem.

GRANDIS dignitas Sacerdotum,&c. *Vt inf. p.* 16
3.c.2.de grauibus peccatis Sacerdotum, n.46.

Crudelitas est, non curare de subditorum salute, propriis etiam commodis posthabitis.

SICVT crudele est, ex ore famelici infantis manibus panem rapere; ita & seipsum, & operarium lædit, qui animas suscipit regendas, nisi illi coronas, quantas illum sustinere posse nouit, horis singulis prouidere satagit, siue per contumelias, siue per ignominias, siue per obiectiones, siue per ludibria. *S. Io. Climacus gradu 4. de obedientia.* 17

Sollicitudo necessaria non tantum de bonis spiritualibus, sed etiam de temporalibus.

HOC tempore talis in regiminis arce debet constitui, qui non solum de salute animarum, sed etiam de extrinseca vtilitate & cautela sciat esse sollicitus. *S. Gregor. lib. 8 epist. 40. dist. 39. c. Petrus. & epist. l. 1. Reg. ad fin. & epist. 4. l. 6. & in Pastor. p. 2. c. 7.* 18

De vigilantia, quam aduersus se debet habere Sacerdos.

CVM rerum necessitas exposcit. *Vt sup. p. 1. c. 1. de institutione Sacerdotum, n. 7.* 19

De eodem.

20 CAVEAT Sacerdos motus animi sui. Ipse enim sibi & obseruandus,& circumspiciendus est; &,vt aduersum se cauendus, ita etiam de se tuendus. *S. Ambros. de officiis l.1. c.47.*

Quem zelum habere debeat Sacerdos.

21 ZELVM habere debet Sacerdos, qui in corruptam seruare studet Ecclesiæ castitatem. Et ideo Princeps Sacerdotum dicit: Zelus domus tuæ deuorauit me. Et Phinees Sacerdos erat & nepos Sacerdotis,& filius Sacerdotis. Bonus zelus, & vtilis in Sacerdote, præcipue ne negligens, ne remissus sit. Melius est, vt vnius, aut duorum damnatione plurimi liberentur, quam duorum absolutione plurimi periclitentur. *Idem S. Ambr. sup. Psalm.118. in illa verba: Tabescere me fecit zelus meus. S. Bernardus serm.25.in Cantica,& 76.*

Zelus perfectus quis.

22 ZELVS animarum verus,& perfectus est, quando aliquis sanctis meditationibus,feruentibus desideriis,lacrymis,orationibus,vigiliis,ieiuniis,atq; aliis bonis operibus pro salute animarum laborat,&c. *Albertus Magnus in Paradiso animæ, c.26.*

De eodem.

23 BONVS zelus est feruor animi, quo mens obiecto humano timore pro defensione veritatis accenditur, & eo magis commendabilis, quo quæ-

libet

libet praua, quæ viderit, corrigere satagit: si nequit, tolerat, & gemit. *Glos. super Psalm. 68.*

Zelus animarum, optimum Sacrificium.

NVLLVM omnipotenti Deo tale est Sacrificium, quale est Zelus animarum, & hoc propter imaginem Trinitatis impressam animabus, *S. Gregor. super Ezechielem, hom. 12.* 24

Zelus debet esse secundum scientiam.

ZELVS minus absque scientia efficax, minusq; vtilis inuenitur, plerumque autem, & pernicioſus valde sentitur. Quo igitur zelus feruidior, vehementior Spiritus, profusiorque caritas, eo vigilantiori opus est scientia, quæ zelum supprimat, Spiritum temperet, ordinet caritatem. *S. Bonau. in Phar. l. 3. c. 35. ex S. Bernardo.* 25

CAPVT XII.

DE OCCVPATIONE SACERDOTVM EX PRÆDICTIS.

SVMMARIVM.

OMNI *tempore meditari debet Sacerdos in lege Domini, & vacare Deo.* 1.3.9.11.

Vigilare, euangelizare, & ministerium suum implere. 7.

Ideo præstatur illis pars à populo in alimoniam. 2.

Non vero propterea operari non debet manibus suis, quando sit necesse, vt faciebat Paulus. 4.5.6.

Sed corporaliter in quibusdam rebus occupari, in quibusdam vero non. 10.11.12.13.14.15.17.

Lectio tamen, & oratio debent esse assidua Sacerdotum exercitia. 11.

Et se sibi tenentur occupare interdum, & à proximorum causis abstrahere. 8.

Vitæ contemplatiuæ descriptio, & qualiter comparanda. 9.

Et otium vitandum 17.

Plato volebat Sacerdotes separatos ab omni turba vitam agere. 16.

1 ERVNT verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atq; con-

consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine, & ostiis domus tuæ. *Deut.* 6. & 11.

Præcepit Ezechias populo habitantium Ie- 2
rusalem, vt darent partes Sacerdotibus & Leuitis, vt possent vacare legi Domini. 2. *Par.* 31.

In lege Domini voluntas eius, & in lege eius 3
meditabitur die ac nocte. *Psal.* 1.

Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, 4
& laboramus operantes manibus nostris. 1. *Cor.* 4.

Operamini manibus vestris, sicut præcepimus 5
vobis: & vt honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt: & nullius aliquid desideretis. 1. *Thess.* 4.

Non inquieti fuimus inter vos: neque gratis 6
panem manducauimus ab aliquo; sed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus, &c. Si quis non vult operari, nec manducet. 2. *Thess.* 3. *Elon.* 20. *Reg.* 12.

Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac 7
Euangelistæ, ministerium tuum imple. 2. *Tim.* 4.

Non est æquum, vt Sacerdos ab aliis occupetur, & se sibi non occupet.

Quid tibi prodest, iuxta verbum Domini, si 8
vniuersos lucreris, te vnum perdens? Quare, cum *Ma.* 16.
omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus vnus. Quid solus fraudaris munere tui? Vsquequo *Psa.* 77.
vadens spiritus, & non rediens? Vsquequo non recipis te, & ipse inter alios vice tua? Sapientibus,

& insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? stultus & sapiens, seruus & liber, diues & pauper, vir & femina, senex & iuuenis, clericus & laicus, iustus & impius, omnes pariter participant te, omnes de fonte publico viuunt pectore tuo; & tu seorsum sitiens stabis? si maledictus, qui partem suam facit deteriorem, quid ille qui te penitus reddit expertem? &c. *S. Bernard. de considerat. l.* 1.

Vitæ contemplatiuæ descriptio, & qualiter comparetur à Sacerdotibus.

VITA contemplatiua nihil aliud est, quam rerum latentium, futurarumq; notitia, siue vacatio ab omnibus mundi occupationibus, siue diuinarum studium literarum, siue (quod hic probatur esse perfectius) ipsa visio Dei. Non video, quid impedimenti sanctis Sacerdotibus possit afferri, quo minus ad hæc quatuor perueniant. Duo enim, primum & vltimum incomparabiliter præstantiora erunt in illa beata vita, quam in ista diuersis erroribus implicata. Duo autem media, vacationem videlicet ab omnibus mundi occupationibus, & diuinarum studium literarum, etiam hic possunt habere: sed illi, qui se ab omnibus implicamentis negotiorum sæcularium remouentes non torpent otio, sed insistunt perfectionis suæ negotio, & ab stultitia sæcularis Sapientiæ auersi verbo Dei infatigabiliter vacant, sapientes veraciter fiunt, cælestia sapiunt, terrena despiciunt, &c. *S. Prosp. de vita contempl. l.* 1. *c.* 13.

Occu-

Occupatio corporalis Sacerdotis.

PRESBYTER, mane peractis horis, & infirmis 10
visitatis, si voluerit, exeat, & opus rurale ieiunus, vt iterum necessitatibus peregrinorum, & hospitum, siue diuersorum commeantium infirmorũ, atque defunctorum succurrere possit, vsque ad statutam horam, pro temporis qualitate. *Concil Agathe alias Nannet c.60. vt notatur sup. p.1.c.6.§.1.de horis canonicis, n.22.*

Lectio, & Oratio, sunt Sacerdotum exercitia: iemq; de corporalibus.

PRESBYTERI, oportet vos assiduitatem habere 11
legendi, & instantiam orandi: quia viri iusti vita lectione instruitur, oratione ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo à peccato, iuxta illum, qui dicebat: In corde meo abscondi eloquia tua, *Psal.118*
vt non pcecem tibi. Hæc sunt enim arma, quibus diabolus expugnatur, videlicet Lectio, & Oratio: hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur: his armis vitia reprimũtur: his alimentis virtutes nutriuntur. Sed &, si quando à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi; quia otiositas inimica est animæ; & antiquus hostis, quem à lectione, seu oratione vacantem inuenerit, facile ad vitia rapit. Per vsum namque lectionis discetis, qualiter & vos viuatis, & alios doceatis: per vsum orationis & vobis & his, quibus in caritate coniuncti estis, prodesse valebitis: per manuum operationem, & corporis macerationẽ,

&

& vitiis alimenta negabitis, & vestris necessitati-
Ephe.4. bus subuenietis, & habebitis vnde necessitatem patientibus impendatis. *Burchardus lib.2.cap.100. ex S.Augustino, Iuo.p.6.c.177.*

De quotidiana forma viuendi Sacerdotum.

12 NVMQVAM de manu tua, & oculis tuis recedat liber, dicatur Psalterium ad verbum, oratio sine intermissione. Vigil sensus sit, nec cogitationibus patens corpus: pariterque animus ostendatur ad Dominum. Iram vince patientia. Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Nec vacet mens tua variis perturbationibus, quæ si pectori insederint, dominabuntur tui, & te deducent ad delictum maximum. Facito aliquid operis, vt semper te Diabolus inueniat occupatum, &c. *S.Hieron de cons.dist.5.c.eod.ad Rust.monach.de forma viuendi.*

Sine officij detrimento, artificiolo Clericus sibi necessaria quærat.

13 CLERICVS victum & vestitum sibi artificiolo, vel agricultura, absque officij sui dumtaxat detrimento, paret. Clericus enim, qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendio privatus excommunicetur. *Concil. Carthag. 4. dist.91. cap.eod.*

De eodem.

14 CLERICVS quantumlibet verbo Dei eruditus, artificiolo victum quærat. Omnes Clerici, qui ad

ad operandum validi sunt,& artificiola, & literas discant. *Idem Concil. Carthagin. eadem dist. 91. c. eod.*

De eodem.

QVIBVS non suppetit ex Sacerdotio, honesto 15
artificiolo victum quærant, secuti beati Pauli exemplum: sic tamen, ne sordidam aliquam artem Sacerdotio ignominiosam exerceant. *Concil. Colon. de vita cleric. c. 30.*

Sacerdotes, separati ab omni turba vitam agant.

Plato in Timæo. 16

De otio vitando, & aliquo opere faciẽdo.

Vide S. Augustinum de opere monachorum, ad Aurelium. S. Basilium in regulis monachorum. c. 76. Antoninum p. 2. tt. 9. c. 1. Cassianum l. 10. c. 3. Et, quod operari manibus interdum sit clericis necessarium, & præceptum, scilicet ad victum sibi necessarium querendum, alio honesto medio sibi comparare non valentibus, extant S. Tho. duo quodlibeta 17. & 18. 17

PARS TERTIA.

DE REBVS SACERDOTI PROHIBITIS: AC DE POENIS TRANSGRESSORI A IVRE, VEL AB HOMINE IMPOSITIS, VEL IMPONENDIS.

CAPVT I.

DE LEVIBVS, PECCATIS SACERDOTVM.

SVMMARIVM.

QVIA *vinum bibere Sacerdotibus veteris legis interdictum est; prohibetur etiam illis aceti potio, & vuarum esus etiam siccarum.* 1.

Cui multum commendatum est, plus petent ab eo. 4.

Nulla vel parua offensio vlli danda, ne ministerium Sacerdotale vituperetur. 5.

Qui multa bona opera fecerunt, iudicandi propter pauca, quæ omiserunt. 6.

Qui modica spernit, paulatim decidet. 2. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

Ideo leuia delicta Sacerdoti vitanda, & non contemnenda. 7. 8. 10. 11. 16. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

Quia leue illius peccatum obliuionem facit suæ præteritæ religionis. 9.

Et aliquando peccatur deterius in parua, quam in maiore culpa. 10. 11. 12.

Propter ea licita etiam illi cauenda, ne in illicita dilabatur. 26.

Sæpe Deus permittit leuia peccata committere eos, quo grauia non committant: & quare. 27.

Grauius peccatũ Sacerdotis est, quam Scribarũ, & Pharisæorum, & aliorũ. 3. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36

Etiam

Etiam monachi. 39.

Quo purior conscientia, eo se plus peccatricem agnoscit, & pœnitet. 38. 39.

1 ACETVM ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de vua exprimitur, non bibent: vuas recentes siccasque non comedent cunctis diebus quibus ex voto Domino consecrantur: quidquid ex vinea esse potest, ab vua passa vsque ad acinum non comedent. *Num.* 6.

Et nota quod in Hebræo habetur, A cortice vsque ad granula, quæ sunt in medio granorũ vuæ. Per quod datur intelligi quod nihil de vua procedens debebant gustare Sacerdotes veteris legis, quia vini potio illis prohibebatur.

2 Qui spernit modica, paulatim decidet. *Eccles.* 19.

3 Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. *Matth.* 5.

4 Cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. *Luc.* 12. *Matth.* 24.

5 Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. 2. *Cor.* 6.

6 Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos, &c. & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. Sed habeo aduersum te, &c. Memor esto itaque vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. sin autem, venio tibi, & mouebo

mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. *Apoc.* 2.

Leuia delicta Sacerdoti vitanda.

NON mediocris virtus Sacerdotalis est: cui ca- 7
uendum, non solum, ne grauioribus vitiis sit affinis, sed ne minimis quidem: vt sit promptus ad misericordiam, promissum non remordeat, &c. sit quidam lituus plebis excitandæ ad deuotionem, mortificandæ ad tranquillitatem, &c. *S. Ambros. l.* 10. *ep.* 82.

De eodem.

LEVIA delicta, quæ in Sacerdotibus maxima 8
essent, effugiant Sacerdotes, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. *Concil. Trident. sess.* 22. *c.* 1. *de reform.*

Leue Sacerdotis peccatum obliuionem facit præteritæ suæ religionis, ac si non esset humana fragilitate præditus,

QVAMDIV Sacerdotis vita pulchre partibus ex 9
omnibus congruens, concinnataque fuerit, nullæ illi aduersariorum insidiæ nocere possunt. Qui simulatque vel tantillum officij recti prætermiserit (vt par est nonnumquam prætermittete eum, qui homo quidem ipse sit, quique humanæ vitæ plenum erroribus pelagus traijciat) iam illum nihil anteactæ vitæ honestas adiuuat ad incusantium voculas fugiendas: quin immo leue illud com-

missum reliquæ illius vitæ luminibus officit. Ac certe sic Sacerdoti omnes iudices esse volunt, vt carne nequaquam composito, vt humanam naturam non sortito, verum vt Angelo, vt humanæ infirmitatis minime participi. *S. Chry. de Sacerd. l. 3.*

Aliquando peccatur deterius in parua culpa, quam in maiore.

10 NONNVMQVAM in parua deterius, quam in maiore culpa peccatur. Maior enim, quo citius quia sit culpa agnoscitur, eo etiam celerius emendatur: minor vero dum quasi nulla creditur, eo peius, quo & securius in vsu retinetur. Vnde fit plerumque, vt mens assueta malis leuibus, nec grauiora perhorrescat, vtque ad quandam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perueniat; & tanto in maioribus contemnat pertimescere, quanto in minimis didicit non timendo peccare. *S. Greg. Pastor. p. 3. admonit. 34.*

De eodem.

11 MIRABILE quiddam, atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnũquam non tanto studio magna videri peccata esse euitanda, quanto parua, & vilia. Illa enim vt auersemur, ipsa peccati natura efficit: hæc autem hac ipsa re, quia parua sunt, desides reddunt; &, dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generose insurgere. Vnde cito ex paruis maxima fiunt negligentia nostra. Nemo enim repente ad extremam improbitatem insiliit: habet quippe insitum quendam

quendam anima pudorem, atque innatum, quem subito calcare, atque proijcere non potest; sed sensim, atque paulatim ex negligenita perit, &c. *S. Chrys. hom. 87. in Matth.*

Quanto leuiora sunt peccata, tanto maius supplicium his qui non obediunt.

S. Bonau. in Phar. l. 2. c. 44. ex eodem S. Chrysost. super Ioan. 12

Qui leuia facile comittit, decidet in graviora.

Cvm per leuia delicta deflectimus, vsu cuncta 13
leuigante, non timemus postea grauiora committere. *S. Gregor. Moral. l. 10. cap. 14. & Pastor. p. 3. adm. 34.*

De eodem.

Nvllvm peccatum adeo paruum, quod non 14
crescat neglectum. Non enim considerandum est, quid fecerit, sed quem offenderit, quam bonus est, quam benignus, quam pius. *S. Augustinus l. 1. de pœnitentia.*

De eodem.

Mens Deo dicata sic caueat minõra vitia, vt 15
maiora: qui à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt. *S. Bernardus de ordine vitæ.*

De eodem.

Vestis, quæ scindi cœperit, neglecta, tota di- 16
scinditur; & tectum, paucarum tegularum casu contempto, totam domum diruit. Hæc nos

reputantes, numquam paruum contemnamus, ne procidamus in maiora. *S. Chryſoſt. hom. 8. in epiſt. 1. ad Cor. & ſerm. de leuium peccatorum periculis.*

De eodem.

17 QVI verba mala non reprimit, ad noxia cito tranſit; &, qui minima non reſpuit, in maxima valde prorumpit. Minorum namque culpa maiorem generat. Particulatim creſcunt vitia; &, dum parua non cauemus, in magna prolabimur. Minora itaque deuita, & ad maiora non deuenies. *S. Iſidorus in norma viuendi. c. 6.*

De eodem.

18 DVM facta quædam non grauia libere, ac ſine metu committimus, ad peiora ſcelera, & horrenda peccati conſuetudine labimur. *Idem S. Iſidorus de ſummo bono. l. 2. c. 23. Vide ſup. p. 2. c. 3. §. 2. de grauitate, & ſeueritate, Verba otioſa, num. 26.*

Venialia non ſpernenda.

19 NOLITE contemnere venialia, quia minima ſunt, ſed timete, quia plura ſunt. Plerumque enim beſtiæ minutæ necant. Numquid non minutiſſima ſunt grana arenæ? ſed, ſi arenæ multum in nauem mittatur, mergit illam. Quam minutæ guttæ pluuiæ? nonne flumina implent, & domos deijciunt? Timenda eſt ergo ruina multitudinis, etſi non magnitudinis, &c. *S. Aug. de decem cordis, c. 11. S. Bonauen. de proceſſu. 4. religionis cap. 10. & de triplici ſtatu religioſorum. p. 1. c. 27.*

De

De eodem.

Qvo modo minuta plura peccata, si negligantur, occidunt? Minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent; minuta sunt grana arenæ; sed, si multa arena imponatur, premit, atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens. paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, & non exhauriendo, mergit nauim, &c. *Idem S. Aug. tract. 12. in Ioannem. S. Tom. 12. q. 88. art. 4.*

De eodem.

Qvid homines peccatores de magnis sceleribus agere debent, quando etiam perfecti leuia quoque delicta quasi grauissima lugent? Non solũ grauia, sed & leuia lugenda sunt peccata. Multa enim leuia vnum grande efficiunt, sicut solent ex paruissimis guttis immensa flumina crescere, &c. *S. Isidorus de summo bono l. 2. c. 18.*

De eodem.

Si dicis: Minora sunt peccata mea, minuta sunt, sine quibus non potest esse ista vita. Congere minuta, & faciunt vnum aceruum: nam & grana minuta sunt, & tamen massam faciunt; & guttæ minutæ sunt & flumina implent, & moles trahunt. *S. Augustin. in Psalm. 129.*

De eodem.

Tv qui dicis: Quia paruum peccatum est, velim scire, quoties tale peccatum admittis, si tot paruulas

uulas plagas in corpore, & tot maculas, aut sciſſuras in veſtibus tuis fieri velis? Cum ergo necin corpore tuo plagas, nec in veſte tua sciſſuras, vel maculas fieri acquieſcis, qua conſcientia hoc fieri in anima tua non metuis? *Idem S. Augu. ſerm.* 244. *de tempore.*

De eodem.

24 INTERDVM nobis leuia, ac vilia facit peccata noſtra ipſa conſuetudo peccandi; cum certum ſit, nos, ſicut de minimis bonis augeri, ita de minimis negligentiis debere compungi. Non eſt enim minimum in vita hominum negligere minima. Neſcio de quibus delictis debeant eſſe ſecuri, etiam de peccatis ignorantiæ iudicandi, ac de otioſis ſermonibus, ac de cogitationibus rationem reddituri. *Euſebius Emiſs. ad monach. hom.* 5. *S. Greg. Paſtor. p.* 3. *cap.* 34.

De eodem.

25 CAVETE, ne quis parua reputet quantum libet parua ſcienter commiſſa. Nemo dicit in corde ſuo: Leuia ſunt iſta non curo corrigere, non eſt magnum, ſi in his maneam venialibus, minimisque peccatis. Hæc eſt enim, dilectiſſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum ſanctum, blaſphemia irremiſſibilis. *S. Bernard. ſerm.* 1. *de conuerſ. S. Pauli, & tract. de præcepto, & diſpenſatione. c.* 14.

Licita etiam abſcindenda, ne in illicita incidamus.

26 HABENT ſancti viri hoc proprium, nam, vt ſemper

semper ab illicitis longe sint, à se plerumque etiam licita abscindunt. *S. Greg. dialog. l. 4. c. 11.*

Quare Deus plerumq; permittat, leuiora committere eos, qui vitant grauiora peccata.

PLERVMQVE omnipotens Deus idcirco rectorum mentes quamuis ex magna parte perficit, imperfectas tamen ex parua aliqua parte derelinquit: vt, cum miris virtutibus rutilant, imperfectionis suæ tædio tabescant; & nequaquam se de magnis erigant, dum adhuc contra minima innitentes laborant. Sed, quia extrema non valent vincere, de præcipuis actibus non audent superbire. 27
Idem S. Greg. Pastor. p. 4. c. vnico. moral. l. 4. c. 21. l. 19. c. 5. l. 33. c. 17. Dialogorum l. 3. c. 14. ad finem. S. Bonau. in stimulo amoris. p. 2. c. 10.

Grauius est peccatum Sacerdotis, quam aliorum.

ANTE Prophetarum tempora ostendere volens Deus, hominum peccata longe maiori supplicio expiari, dum à Sacerdotibus, quam dum à priuatis fiunt, mandat, vt tantundem pro Sacerdotibus, quantum pro vniuerso populo, sacrificiū offeratur. Quod quidem quid aliud signat, quam Sacerdotis vulnera maiori medicamento atq; auxilio indigere, atq; adeo tanto, quanto coniuncta simul vniuersi populi vulnera indigēt? Porro maiori nequaquā indigerent, nisi ea grauiora forent. 28

Atqui grauiora certe fiunt non natura ipsa, sed Sacerdotis, qui ea commiserat, conditione, ac dignitate. *S. Chrysost. de Sacerd. l. 6. Optima epistola S. Isidori Pelus. 15. l. 3. Vide inf. §. seq. de grauibus peccatis, cap. Sicut in corpore, n. 28.*

De eodem.

29 REATV maiore delinquit, qui potiore honore perfruitur, & grauiora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium. *Hilarius Papa. 25. q. 1. cap. nulli fas.*

De eodem.

30 VVLGARIVM hominum delicta, *Vt sup. p. 3. c. 10. de bono testimonio, c. Sacer. animi, num. 31.*

De eodem.

31 SACERDOTVM tam excellens est electio, vt hæc, quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita, &c. *Vt sup. p. 2. c. 5. de pudicitia, n. 11. Auth. Quomodo oporteat Episcopos, in principio.*

De eodem.

32 INTER sæculares nugæ nugæ sunt, in ore Sacerdotum blasphemiæ, &c. *Vt sup. p. 2. c. 8. §. 5. de silentio, n. 25.*

De eodem.

33 MVLTA in sæculari Principe ferunt homines, quæ abhorrent in Ecclesiastico: quæ in laico pusilla, & læuia existimant delicta, in clerico maxima, & grauissima iudicant. Sacerdotes, quorum vita velut speculum inferioribus est, non solum à malis

malis operibus abstinere, sed omnia declinare conuenit, quæ quoquo modo præ se speciem mali ferunt. *Pius Papa 2. Commentariorum l. 11.*

De eodem.

TANTO maius cognoscitur esse peccatũ, quanto maior, qui peccat, habetur. Crescit enim delicti cumulus iuxta ordinem meritorum: & sæpe, quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur. *S. Isidorus de summo bono l. 2. c. 18.* 34

De eodem.

VEHEMENTER Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse, quam clericos. *S. Hieron. 8. q. 1. c. qualis. Et vide inf. c. seq. de grauibus peccatis cap. Vere magna confusio, n. 51.* 35

Grauius punitur Sacerdos, quam subditus.

MAIOR scientia maioris fit pœnæ materia: propterea Sacerdos, eadem cum subditis peccata committens, non eadem, sed acerbiora multo patietur. *S. Chrysost. homil. 27. super Matth. & hom. 77. tom. 5.* 36

Grauius peccatum clerici, quam monachi.

GRAVIVS peccat clericus in sacris constitutus, & agens aliquid contrarium sanctitati, quam monachus. *S. Thom. 22. q. 184. art. 8. S. Isidorus Pelus. l. 2. epist. 284.* 37

Quo purior conscientia, eo se plus peccatricem agnoscit, & crescunt in ea compunctio cordis & suspiria.

38 QVIBVSDAM hoc præcipue sui cordis acquisita duritas conferebat, vt magis magisque se deprimi peccatis agnoscerent: tanta namque in eis delictorum compunctio per dies singulos augebatur, quanto puritas animi profeciſſet, trahebantque iugiter imo corde suspiria, &c. *Cassianus l.12.c.15.& coll.23.c.7.8.9.10.17.*

De eodem.

39 QVANTO magis profecerit. *Vt sup.c.8.§.3.de humilitate, num.20. Vide de hac materia S. Basilium in proœmio Ethicorum, de iudicio Dei.*

CAP.

CAPVT II.

DE GRAVIBVS PECCATIS SACERDOTVM IN GENERE.

SVMMARIVM.

PECCATVM *Sacerdotis præponderat peccato totius populi.* 1.28.

Si Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo? 2.5.

Aut qualiter pro populo intercedet, si deo gratus non est? 30.48.49.50.

Sacerdotum mores corrumpuntur, ex eo quod commiscentur inter gentes. 3.

Mali malos fructus faciunt. 54.

Et ideo damnantur. 49.

Et reddent rationem suæ negligentiæ. 46.

Sunt inemendabiles. 52.

Et sunt contemptibiles omnibus. 26.27.

Et eorum lapsus difficile restituitur. 53.

Sacerdotum aliquorum prævaricatio, & corruptio tam in moribus, quam in doctrina. 6.7.8.9.11.12.14.15. 16.17.19.20.23.41.

A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio, super omnem terram. 10.13.

Et à Sacerdotibus malis super sanctuarium, & sacrificium. 16.19.24.

Et timendum est populis, quibus præsunt mali Sacerdotes.30.
Quia sunt in ruinam populorum. 13.18.21.22.30.50.
Et suo prauo exemplo delinquit populus.29.35.
Qui si est indisciplinatus, indicat ibi Sacerdotium non esse sanum.28.
Sacerdotes mali sunt, qui semper sciderunt Ecclesiam Dei, & seduxerunt populum.43.
Et repellunt à suo ministerio Spiritum sanctum. 40.
Et detrimentum maximum afferunt.38.
Et sunt similes aquæ baptismatis.39.
Et qui sunt ex eis auari, & amici ventris, sunt idololatræ.44.
Propterea odit Dominus sacrificia eorum & maledicit illis.25.26.27.
Et timere debent exemplo Iudæ deterriti. 47.
Grauius est peccatum Sacerdotis, quam aliorum.31.32. 33.34.
Vnde fit, vt nemo plus in Ecclesia noceat, quam malus Sacerdos.35.
Neque plus Deum offendat. 36.37.
Neq; solum ille peccat indigne ministrans, sed quotquot illi communicant.45.
Et est magna eorum confusio, laicos esse meliores illis, vel æquales.51.
Qualiter autem meritum, vel crimen de Sacerdotio suo acquirant.42.
Quibus quidem non tam lætum est ascendisse, quam triste cadere.46.
Mali Sacerdotis descriptio.55.

SI Sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, delin- 1
quere faciens populum, offeret pro peccato
suo vitulum immaculatum Domino, &c. Quod si
omnis turba Israël ignorauerit, & per imperitiam
fecerit quod contra mandatum Domini est, & po-
stea intellexerit peccatum suum, offeret pro pec-
cato suo vitulum. *Leu.* 4. *Vbi aduerte, æqui parari ex-
piationem peccati Sacerdotis expiationi peccati totius
populi. S. Chrysost. Isychius.*

Si Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo? 1. *Re.* 2
2. *ex translatione S. Gregorij. ibidem c.* 3.

Commisti sunt inter gentes, & didicerunt ope- 3
ra eorum: & seruierunt sculptilibus eorum: & fa-
ctum est illis in scandalum. *Psal.* 105.

Vidi impios sepultos: qui etiam cum adhuc vi- 4
uerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ci-
uitate quasi iustorum operum. *Eccl.* 8.

Quis miserebitur incantatori à serpente per- 5
cusso, & omnibus, qui appropiant bestiis. *Eccl.* 12.

Argentum tuum versum est in scoriam: vinum 6
tuum mistum est aqua. Principes tui, &c. *Isa.* 1.

Speculatores eius cæci omnes, nescieruut vni- 7
uersi: canes muti non valentes latrare, videntes
vana, dormientes, & amantes somnia. Et canes
impudentissimi nescierunt, &c. *Isa.* 56.

Stupor, & mirabilia facta sunt in terra. Prophe- 8
tæ prophetabant mendacium, & Sacerdos applau-
debant manibus suis: & populus meus dilexit ta-
lia: quid igitur fiet in nouissimo eius? *Ierem.* 5.

A Propheta vsq; ad Sacerdotem cuncti faciunt 9
men-

mendacium. Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax, cum non esset pax. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin immo confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt: idcirco cadent inter corruentes, in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus, &c. *Ierem.* 8.

10 A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram. *Ierem.* 23.

11 Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. *Thren.* 2.

12 Quo modo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quo modo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Thren. 4. *Aurum obscuratur, cum terrenis affectibus sanctitatis vita polluitur. Color optimus commutatur, cum quorundã, qui religiose degere credebantur, æstimatio anteacta minuitur: Sanctuarij lapides in plateas dispergũtur, cum causarum sæcularium foras lata itinera expetunt Sacerdotes, &c. S. Gregor in Pastorali, p. 2. c. 7.*

13 Non crediderunt Reges terræ, & vniuersi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Ierusalẽ: propter peccata Prophetarũ eius, & iniquitates Sacerdotũ eius, qui effuderunt in medio eius sanguinẽ iustorũ. Errauerunt cæci in plateis, polluti sunt sanguine. *Thren.* 4.

14 Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum

titum ſuum,& nihil vident. Quaſi vulpes in deſertis, Prophetæ tui Iſraël erant. Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, vt ſtaretis in prælio in die Domini. Vident vana,& diuinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miſerit eos. *Ezech.*13.

Verſa eſt mihi domus Iſraël in ſcoriam: omnes 15
ſili æs, & ſtanum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: ſcoria argenti facti ſunt. *Ezech.*22.

Sacerdotes eius contempſerunt legem meam, 16
& polluerunt ſanctuaria mea: inter ſanctum & profanum non habuerunt diſtantiam: & inter pollutum, & mundum non intellexerunt: & à ſabbatis meis auerterunt oculos ſuos, & coinquinabar in medio eorum. *Ezech.*22.

Væ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos, 17
&c. *Ezech.*34.

Nonne ſatis vobis erat paſcua bona depaſci? in- 18
ſuper & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris: &, cum puriſſimam aquam biberetis, reliquam pedibus veſtris turbabatis. Et oues meæ his, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur: &, quæ pedes veſtri turbauerant, hæc bibebant. *Ezech.* 34. *Aquam pedibus turbare, eſt ſanctæ meditationis ſtudia male viuendo corrumpere. S. Gregor. Paſtor. p.* 1. *c.* 2.

Sufficiant vobis omnia ſcelera veſtra domus 19
Iſraël: eo quod inducitis filios alienos incircũciſos corde, & incircumciſos carne, vt ſint in ſanctuario meo, & polluant domũ meam: & offertis panes meos,

meos, adipem, & sanguinem: & dissoluitis pactum meum in omnibus sceleribus vestris. Et non seruastis præcepta sanctuarij mei, &c. *Ezech.* 44.

20 Et erit sicut populus, sic Sacerdos: & visitabo super eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei. *Oseæ.* 4.

21 Audite hæc Sacerdotes, & attendite domus Israël, & domus Regis auscultate: quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum, &c. *Oseæ.* 5.

22 Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis: scitote Israël stultum Prophetam, insanum virum spiritualem, propter multitudinē iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ. Speculator Ephraim cum Deo meo: Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius, insania in domo Dei eius. Profunde peccauerunt, sicut, &c. *Oseæ.* 9.

23 Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum: qui mordēt dentibus suis, & prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium, Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione: & occumbet Sol super Prophetas, & obtenebrabitur super eos dies, &c. *Mich.* 3.

24 Ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum? offertis super altare meum panem pollutum. *Malach.* 1.

Et

Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes: 25
Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis: quoniam non posuistis super cor. Ecce ego proijciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, & assumet vos secum. *Malach.* 2.

Vos recessistis de via; & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege. *Ibidem.* 26

Si sal euanuerit in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. *Matth.* 5. 27

Peccatum Sacerdotis, totius populi peccatum censetur: & vbi populus est indisciplinatus, ibi Sacerdotium non est sanum.

Sicvt in corpore, si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omnino languet & stomachus; si autem stomachus languerit omnia membra inueniuntur infirma: sic, si aliquis Christianorum peccauerit, non omnino peccauit & Sacerdos; si autem & Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. Ideo vnusquisque 28

Christianorum pro suo peccato reddet rationem: Sacerdotes autem non solum pro suis, sed & pro omnium peccatis reddent rationem. Et, quemadmodum, cum videris arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis, quia aliquam culpam habet circa radicem: ita, cum videris populum indisciplinatum, & irreligiosum, sine dubio cognosce, quia Sacerdotium eius non est sanum. *S. Chrysost. hom. 38. super Matt. Vide sup. cap. prox. à cap. Ante Prophetarum, num. 28. & p. 2. c. 7. § 1. de prædicatione, Peccatum, num. 54.*

Exemplo Sacerdotis delinquentis delinquit laicus.

29 FINGE, aliquem in Sacerdotali culmine, constitutum non bene viuere, & deturpare operibus dignitatem: Nonne imitatione vitiorum eius laicus frater corrumpitur? Nam & qui vnum de minimis scandalizauerit, mola collo alligata præcipitatur in profundum. Sorores quoq; Ierusalem Sodoma, & Samaria iustificantur, non quo per se iustæ sunt, sed comparatione peioris. *S. Hieron. super Ezech. c. 17.*

Mat. 18

Timendum est populis, quibus præsunt mali Sacerdotes, quia sunt illis in ruinã.

30 VVLNERATO pastore, quis curandis ouibus adhibeat medicinam? aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui iaculis se hostilibus ferendum exponit? aut, qualem de se fructũ producturus est, cuius graui peste radix infecta est? Maior

ior ego metuenda est locis illis calamitas, vbi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam prouocant, quam per semetipsos placare debuerant. *S. Gregor. lib. 7. epistola. 114.*

Grauius peccatum Sacerdotis, quam aliorum.

EGRESSA est iniquitas à senioribus Iudicibus 31
tuis, Domine, qui videntur regere populum tuum. Non est iam dicere: Vt populus, sic Sacerdos, quia, Nec sic populus, vt Sacerdos. Heu, heu, heu, *Osee 4.*
Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, & regere principatum. *S. Bonau. l. 1. Phar. c. 21. ex S. Bernardo, quamuis alij ex S. Gregorio.*

De eodem.

SICVT leuius est, de plano corruere; sic grauius 32
est, qui de sublimiori exciderit dignitate, &c. Magna sublimitas magnam habere debet cautelam, &c. *S. Ambros. de dignitate Sacerdotali. c. 3.*

De eodem.

EBRIETAS in alio crimen est, in Sacerdote sacri- 33
legium. *Petrus Rauennas.*

De eodem.

ANTE Prophetarum tempora, *nu. 28. cum seqq.* 34
sup. c. proximo.

Nemo plus nocet in Ecclesia, quam malus Sacerdos.

35 NEMO in Ecclesia plus nocet, quam qui peruerse agens nomen, vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. *S. Gregor. pastor. parte* 1. *c.* 2. *dist.* 83. *c. eod. Idem hom.* 17. *in c.* 10. *Lucæ.*

Nemo plus offendit Deum, quam malus Sacerdos.

36 NVLLVM puto maius prejudicium, quam à malis Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exem-
Phil. 3. pla prauitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus; nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus; terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus: &, quia eo ipso, quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. *S. Gregor. hom.* 17. *super Lucam.*

De eodem.

37 NIHIL est in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctorie, atque adulatorie res agatur: sed nihil apud

apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius, &c. *S. August. ep.* 148. *dist.* 40. *c. ante omnia.*

De detrimento, quod afferunt mali Sacerdotes.

SICVT acetum dentibus, aut fumus contrarius est oculis: ita Sacerdos in Ecclesia prauus per acredinem peccati fidelium sensus obtendere facit, atque erroris ignorantia oculos cordis eorum ab intuitu fidei, seu intellectu rectitudinis dum caligāt, velut fumus excæcat, &c. Oculi quippe & dentes prædicatores sunt sanctæ Ecclesiæ, qui ei & recta itinera præuidere, & alimenta spiritualia suggerere solent, &c. *S. Hieron. super c.* 12. *Prouerb.* 38

Malus Sacerdos similis est aquæ baptismatis.

CVI rei dixerim similes malos Sacerdotes, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cęleste mittit, & ipsa in cloacas descendit? *S. Greg. hom.* 17. *super Lucam.* 39

Sacerdos malus à suo ministerio repellit Spiritum sanctum.

SACROSANCTA religio, quæ Catholicam continet disciplinam, tantam sibi reuerentiam vindicat, vt ad eam quilibet nisi pura conscientia non audeat peruenire. Nam, quomodo ad diuini mysterij consecrationem cælestis spiritus inuocatus aduenier, si Sacerdos, & qui cum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus reprobatur? *Gelasius Papa* 1. *q.* 1. *c. eod.* 40

Sacerdos peccat per corruptionem doctrinæ, & per remissionem seueritatis.

41 PECCATVM Sacerdotis in duobus arguit Propheta: scilicet, in corruptione veritatis doctrinæ; *Isa. 1.* vnde dicit: Argentū tuum versum est in scoriam, &c. secundo, in remissione seueritatis disciplinæ, quæ significatur in vino. Hoc est enim vinum, quod infundit Samaritanus, quando dicit: Vinum *Eze. 13.* tuum mistum est aqua. & Ezechiel: Væ quæ consuunt puluillos sub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas. *S. Thom. sup. c. 1. Isaiæ.*

Sacerdos de Sacerdotio suo qualiter meritum, vel crimen acquirat.

42 *Vide sup. c. 7. §. 1. de doctrina, Multi Sacerdotes, n. 75.*

Sacerdotes mali sunt, qui semper scinderunt Ecclesiam Dei & seduxerunt populum.

43 VETERES scrutans historias, inuenire non possum scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populos seduxisse, præter eos, qui Sacerdotes à Deo positi fuerant, & Prophetæ, id est, speculatores. Isti ergo vertuntur in laqueum tortuosum, in omnibus locis ponentes scandalum. *S. Hieron. ad c. 3. Oseæ. 24. q. 3. Transferunt.*

Auari Sacerdotes, & amici ventris sunt idololatræ.

44 VÆ væ, in domo Dei horrendum videmus. Quid?

Quid? Idololatras miniſtrantes. Mentior, ſi non idolorum ſeruitus auaritia eſt, ſi non quibusdam etiam venter ſuus factus eſt Deus ſuus. Quod enim quisq; præ cæteris colit id ſibi Deum conſtituiſſe perhibetur. *S. Bonau. in Phar. l. 1. c. 22. ex S. Bernardo.* *Phil. 3.*

Non ſolum Sacerdotes mali peccant indigne miniſtrantes, ſed quotquot illis communicant.

45 NON ſolum Sacerdotes, qui Sacramenta indigne tractant, iram Dei ſuper ſe prouocant, ſed omnes, qui ipſis indigne celebrantibus quodam modo communicant, vel fauendo, vel negligendo, vel fouendo, vel permittendo cum oportet remedia adhibere, &c. *Ioan. Driedo de libertate Chriſtiana l. 3. c. 11. infra c. 12. ne ſit fornicarius. c. 12. 13. 14.*

Rationem reddet Sacerdos de negligentia, quam habuerit circa ſubditorum ſalutem, cui quidem non tam lætum eſt aſcendere, quam triſte cadere.

46 GRANDIS dignitas Sacerdotum; ſed grandis ruina, ſi peccant. Lętemur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum: Non eſt tanti gaudij excelſa tenuiſſe, quanti mæroris de ſublimioribus corruiſſe. Nec enim ſolum pro noſtris delictis reddemus rationem, ſed pro omnium, quorum abutimur, donis, & nequaquam ſumus de eorum ſalute ſolliciti. *S. Hieron. ſuper Ezech. c. 2. Concil. Pariſ. c. 12.*

Timere debent Sacerdotes, deterriti exemplo Iudæ.

47 SI ipse Iudas Apostolatum perdidit, custodiant se Sacerdotes, & Episcopi, vt non & ipsi suum Sacerdotium perdant. *Idem S. Hieron. super Psal.* 108.

Qualis erit apud Deum interceſſor, qui illi gratus non ſit.

48 SI homo apud hominem, de quo minime præsumit, fieri interceſſor erubescit, qua mente apud Dominum interceſſoris locum pro populo accipit, qui familiarem se eius gratiæ per vitæ meritum nescit? aut ab eo quo modo aliis veniam postulat, qui, vtrum sibi sit placatus, ignorat? *S. Greg. in Pastor. p. 1. c. 11. dist. 61. c. non negamus.*

De eodem.

49 QVIS ei interceſſor remanet, cum ille se transgrediendo præcipitat, qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est? *Idem S. Gregor. 1. Reg. 2. c. 3. ad moralem interpretationem dist. 49. c. 1. 3. q. 7. c. in grauibus.*

De eodem.

50 CAVSÆ sunt ruinæ populi Sacerdotes mali. Quis enim se pro populi peccatis interceſſor obijciat, si Sacerdos, qui orare debuerat, grauiora committat? *Idem S. Gregor. l. 9. ep. 64.*

Confuſio Sacerdotum est, laicos esse iuſtiores illis, vel æquales.

51 VERE magna confusio Sacerdotũ, & omnium cleri-

clericorum, quando laici inueniuntur fideliores eis, & iustiores. Quo modo non sit confusio, esse inferiores illos laicis, quos & æquales esse confusio est? *S. Chysost. hom. 5. in Matth. Vide sup. c. proximo, Vehementer, n. 36.*

Clerici delinquētes inemendabiles sunt.

LAICI delinquentes facile emendantur; clerici 52
autem, si semel euaserint, inemendabiles fiunt. *Idem ibid.*

Sacerdotis lapsus difficile restituitur.

S. Hieron. ad Heliodorum. 53

Sacerdos malus malos fructus facit.

Vide sup. p. 2. c. 1. §. 1. de sanctita. Sacer. Docet per ea, 54
quæ sequuntur, n. 20.

Mali Sacerdotis descripsio.

Nos Sacerdotes, præsentibus delectati, dum in 55
hac vita commoda nostra, & honores inquirimus, non vt meliores, sed vt ditiores; nec vt sanctiores, sed vt honoratiores simus cæteris, festinamus in gregem Domini, qui nobis pascendus, tuendusque commissus est; sed nostras voluntates, dominationem, diuitias, & cætera blandimenta carnaliter cogitamus, &c. *S. Prosper de vita contemplat. l. 1. c. 21. vbi late discribitur luctuosa vita Sacerdotis carnaliter viuentis.*

PVNITIONES *aliquas prauorum Sacerdotum in Scripturis sanctis inter alias multas, quas referunt Sancti patres, profanique Scriptores, vide Numerorum*

c.16.l.1. Reg.c.2. & 3.l.2. Reg.c.2. Isa.c. 3. Ierem.c.2.8. Oseæ.4.5. Malach.1.2.1. Machab.7.9. Apoc.2. Alia de hac materia vide sup. p.2.c.7.§.1. de prædic.& doctri.

CAPVT III.

DE REBVS SACERDOTI PROHIBITIS IN GENERE.

SVMMARIVM.

SACERDOS debet veterem hominem exuere & induere nouum.1.

Et non vacare negotiis sæcularibus.2.3.

Quæ autem sint illa negotia.5.

Quædam sunt Sacerdotibus prohibita, quæ sunt Episcopis concessa. 3.

Quædam illis, & Episcopis.4.5.

Quædam exercitia manualia Sacerdotibus interdicta.6

Sacerdos inferior non benedicit, maiore Sacerdote non annuente.7.

Sacerdos cum sæcularibus non habitet sine licentia sui Episcopi 8.

Chorepiscopi qui sint.3.

Formata Epistola quid sit.3.

Pacifica.ibidem.

1 NVNC autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, de ore vestro, expoliantes vos veterem hominem, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitione

tione Dei secundum imaginem eius, qui creauit eum. *Colos.* 3.

Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcu- 2
laribus, vt ei placeat, cui se probauit. 2. *Tim.* 2.

Quæ sint Presbyteris prohibita, & Episcopis concessa.

QVAMVIS *a* Chorepiscopis, & Presbyteris plu- 3
rima cum Episcopis ministeriorum, communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam nouellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint: sicut est Presbyterorum, & Diaconorum, aut virginum consecratio, sicut constitutio altaris, ac benedictio, vel vnctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec Ecclesias, vel altaria consecrare licet, nec per impositionem manuũ fidelibus baptizatis, vel conuersis hæreticis paraclytum Spiritũ sanctum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, nec publice quidem in Missa quẽquam pœnitentem reconciliare, nec *b* formatas quilibet epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita sunt Chorepiscopis, qui ad exemplum, & formam septuaginta duorum discipulorum esse noscuntur, vel Presbyteris, qui eandem gestant figuram. Quoniam, quanquam consecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent, &c. *c* Sed neq; coram Episcopo licere Presbyteris in baptisteriũ introire, nec præsente Antistite in frontẽ tingere, aut signare, nec pœnitentẽ sine præceptione Episcopi sui reconciliare, nec, eo præsente, nisi illo iubente,

bente, Sacramentum corporis, & sanguinis Christi conficere, nec, eo coram posito, populũ docere, vel benedicere, aut salutare, nec plebem vtique exhortari. *S. Leo epistola 88. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ, dist. 68. c. eod. S. Damasus epistola ad Numidiæ Episcopos c. 13. 26. q. 6. c. 1. cum quattuor seqq. S. Thom. 22. q. 184. art. 6. ad 1. Concil. Trident sess. 23. c. 4. Concil. Hispal. 2. c. 7.*

a Chorepiscopi] *Teste Isidoro de Offciis. l. 2. c. 6. fuerunt vicarij Episcoporum, instituti ad exemplum Septuaginta seniorum, ad sollicitudinem pauperum, vt colligitur ex Concil. Neocæsar. can. 13. Hi munus Episcopi quadam tenus gerebant non in ciuitate, sed per vicos, & pagos, vnde & rustici Episcopi dicebantur. Licebat illis ordinare Lectores, Exorcistas, cæterosque inferioris ordinis clericos, non Presbyteros, non Diaconos. Concil. Ancyranum can. 13. Antiochenum c. 8. & 10. Nicænũ dist. 68. c. Ecclesiis. Sed quia hoc prætextu Episcopalem honorem insolenter sibi arrogare cœperunt, nec vlla satis bona ratio eorum institutionis appareret, id munus omnino sublatum est, & antiquatum. vt constat ex S. Damaso dist. 68. c. Chorepiscopi. Et facile mihi persuadere posset, Archipresbyteros in eorum locum successisse, vt videtur insinuare Gratianus eadem dist. 68. c. quamuis.*

b Formata epistola] *Erat Epistola dimissoria, siue commendatitia, per quam proprius Episcopus fidem faciebat aliarum ciuitatum Episcopis, aliquem ex suis clericis ad eorum parœcias commeantem dignum esse, vel vt ad sacros Ordines promoueretur, vel vt sub eorum ditione*

ditione commoraretur. Hæc Epistola formabatur certa calculatione, & numero litterarum, vt in Conciliis Niceno & Carthaginiensi 5. sancitum est, vt per totam dist. 73. & Iuonem p. 6. c. 433. cum duobus seqq. Has Epistolas videtur vocare Pacificas Concil. Chalcedon. can. 11.

c Sed neque] *Hoc intelligendum videtur de eo baptismo, qui certis anni diebus solemni cærimonia administrari consueuerat. Ita Catechismus Pij V. de Sacramento baptismi.*

Peculatia quædam Sacerdotibus interdicta.

CLERICIS lege Patrum cauetur, vt, à vulgari 4
vita secluſi, à mundi voluptatibus abstineant: non spectaculis, non pompis interſint: conuiuia inhonesta, & turpia effugiant. S. Hieronymus ad Nepotianum dicit: Omnium Christianorum domos quasi proprias amare debemus, vt consolatores nos in mæroribus suis potius, quam conuiuias in prosperis, nouerint. Et Isidorus de Officiis. l. 2. c. 1. Lege Patrum cauetur, vt clerici conuiuia publica fugiant; priuata non tantum pudica, sed & sobria colant. Vsuris nequaquam incumbant; nec turpium occupationes lucrorum, fraudisque alicuius studiũ non appetant. Amorem pecuniæ quasi matrem cunctorum criminum fugiant. Sæcularia officia, negotiaq; abijciant. Honorum gradus per ambitionem non subeant. Non vagis oculis, non infreni

infreni lingua, aut petulanti, tumidoque gestu incedant, sed pudorem, ac verecundiam mentis habitu,& incessu ostendant. Obscenitatem etiam verborum, sicut etiam corporum, penitus execrentur. Viduarum, ac virginum frequentissimas visitationes fugiant. Contubernia feminarum nullatenus appetant. Castimoniam quoq; inuiolati corporis perpetuo conseruare studeant. Senioribus quoque debitam præbeant obedientiam, neque vllo iactantiæ studio se attollant. Postremo in doctrina, & lectionibus, Psalmis, hymnis, & canticis exercitio iugi incumbant. Tales enim debent esse, qui diuinis cultibus se mancipandos studeant exhibere, vt scilicet, dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent. *Concil. Moguntin. c.* 10. *de vita clericorum. Iuo p.* 6. *c.* 3. *vbi latius de hoc. S. Isidorus de Eccl. offic. l.* 2. *dist.* 23. *c. His igitur. concil. Aquisgran. c.* 145.

Sæcularia negotia quæ Sacerdotibus interdicta.

§ MVLTA sunt negotia sæcularia, de quibus pauca perstringemus, &c. Quidquid plus iusto appetit homo, turpe lucrum est, Munera iniusta accipere, vel etiam dare. Pro aliquo sæculari quæstu precio aliquem conducere. Contentiones, vel lites, vel rixas amare. In placitis sæcularibus disputare, excepta defensione orphanorum, & viduarum. Conductores sæcularium rerum, aut procuratores esse. Turpis verbi, vel facti esse iaculatorem,

rem, veliocum sæcularem diligere. Aleas amare, Ornamentum inconueniens proposito suo quærere. In deliciis viuere velle. Gulam, & ebrietatem fiqui. Pondera inusta, vel mensuras habere. Negotium iniustum exercere, &c. Canes, & aues sequi ad venandum: & omnibrs quibuslibet causis superfluis interesse. Ecce talia, & his similia ministris altaris Domini contradicimus. De quibus ait Apostolus: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. 2. Ti. 2

Idem Concil. Mogunt. Necler. vel non. c. 1. dist. 86. c. peruenit. dist. 88. c. decreuit. c. consequens.

Aliqua exercitia manualia Sacerdotibus interdicta.

QVI altario seruit, de altario viuat. Verum omnino est: quia non licet Sacerdotibus manibus operari, ligonizare, ferrum fabricare, & similia, propter reuerentiam, & tanti Sacramenti dignitatem. S. *Aug. serm. 37. ad fratres Eremi.* 6

Sacerdos inferior non benedicat, maiore Sacerdote non annuente.

ILLI qui ante vos fuerunt, prouidum in Ecclesiis consuetudinem tradiderunt, hodieq; in Rom. Ecclesia (quæ magistra est omnium Ecclesiarum) imprætermisse seruatur; ita, vt nullus Sacerdos, maiore suo non annuente consacerdote, cuilibet rei benedictionem dare nitatur. Sed & anterior, stans ad pronunciandũ aliquam lectionem, benedictionẽ quidem postulet, sed ei quilibet inferior 7

non

non audet penitus benedicere, &c. Nicolaus Papa *dist.* 21. *c. denique.*

Nullus clericorum sine permissione sui Episcopi cum sæcularibus habitare præsumat. Quod si fecerit ab officij communione pellatur.

8 *Concil. Aurelian,* 2. *c.* 9.

CAPVT IIII.

DE REBVS SACERDOTI PROHIBITIS: IN SPECIE: MAXIME NE, SECVNDVM APOSTOLVM SIT VINOLENTVS, NE PERCVSSOR, NE LITIGIOSVS, NE CVPIDVS, NE TVRPIS LVCRI CVPIDVS, NE NEOPHYTVS, NE SVPERBVS, NE IRACVNDVS.

Non vinolentum.

NE SIT VINOLENTVS SACERDOS: NE COMMESSATIONIBVS ILLICITIS, AVT VANIS FABVLATIONIBVS, DET OPERAM.

SVMMARIVM.

VINVM *bibere Sacerdotibus prohibitum in veteri lege, & quare.* I. II.

Et acetum, & vuæ recentes, & ſiccæ, & quidquid ex ipſis exprimitur. 2.

Vinum est res luxuriosa, & ebrietas tumultuosa; & qui in his delectatur, non erit sapiens.3.7.8.

Quia irritationem, & iram, & amaritudinem animæ generat.5.

Vacantes potibus, & dantes symbola consumentur.4.

Neque enim licet Sacerdotibus auide epulis operam dare, aut alios ad potus æquales inuitare.6.9.12.

Nec tabernas ingredi, edendi, vel bibendi causa.13.

Nec conuiuia facere de symbolis; nec ante horam diei tertiam, nec nisi hymno dicto, & post cibos gratiæ referantur.14.

Inter epulas cantans Clericus excommunicetur.22.

Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium.15.

Eius effectus, & descriptio.16.

Ebriosi pœna.17.18.

Non vsum vini, sed abusum damnat Apostolus.23.

Satius est enim modico vino vti, quam multa aqua per auiditatem ingurgitari.24.

Vini modici commendatio.ibidem.

Gulæ deditus raro emendatur.19.

Eius voluptas est breuis durationis.20.

Edacitati obnoxii ad Sacerdotium non promoueantur.21.

Vitanda satietas, etiam vilium ciborum.25.

Clericus enim escis plenus impeditur ad vigilias.26.

Ineptæ, & aniles fabulæ, & quæ nimios risus, & cachinnos excitant, deuitandæ.10.27.

Confertum quid.14.

Tertia hora cur sacra dicatur.ibidem.

VINVM, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui, quando intratis in tabernaculum testimonij. *Leu.* 10. 1

Acetum ex vino, *vt sup. c. 1. de leuibus peccatis, num. 1.* 2

Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens. *Prou.* 20. 3

Vacantes potibus, & dantes symbola consumentur. *Prou.* 21. 23. 4

Vinum multũ potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum, &c. *Eccl.* 31. 5

Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. *Eccl.* 37. 6

Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino. *Isa.* 28. 7

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Ephes.* 5. *Quasi dicat: Non sis gulosus, non sis luxuriosus. S. Thom. super ep. 1. ad Thimoth. 3.* 8

Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu. *Col.* 2. 9

Ineptas, & aniles fabulas deuita. 1. *Timoth.* 4. 10. 2. *Timoth.* 2.

Vinum, & quidquidquid inebriare potest, quare Sacerdotibus prohibitum.

VINOLENTVM Sacerdotem & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet. Sacerdotes, qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum, & sice- 11 *Ephes.* 5 *Leu.* 10.

ram bibere; ne crapula, & ebrietate aggrauentur corda eorum, &c. Quidquid inebriat, & statum mentis euertit, fuge similiter vt vinum. Nolite, ait Apostolus, inebriari vino, in quo est luxuria, &c. Qui altario seruiunt, vinum, & siceram non bibant. *S. Hieron. dist. 35. c. eod.*

Sacerdos abstinere debet à crapula, neq; alios ad æquales potus inuitare.

12 A Crapula, & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant, vnde vinum sibi temperent, & se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas & mentis inducat exitium, & libidinis prouocet incentiuum. Vnde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores; & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi, à superiore commonitus, satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur. *Innoc. 3. de vita & hon. cler. c. eod. S. Basilius oratione 16. de ingluuie & ebrietate. S. Bonauen. in Spec. discip. partic. 3. c. 4.*

Clerici, edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

13 *Canon. Apostolorum 54. Concil. Carthag. 4. c. 25. Laodicenum c. 24. de vita, & hon. cler. c. pen.*

Non

Non licet clericos conuiuia facere de symbolis, nec ante horam diei tertiam nec nisi hymnus præcedat cibos, & gratiarum actio subsequatur.

NON licet Sacerdotes, vel clericos, sed nec religiosos laicos conuiuia facere de *a* confertis: nec oportet clericos, vel laicos religiosos ante *b* sacram diei horam tertiam inire conuiuia: nec aliquando clericos, nisi hymno dicto, comedere panem, & post cibos gratias auctori Deo referre. *Ex decretis Martini Episcopi Bracharensis, non Papæ dist. 44. cap. tod. c. non oportet. 2. Conc. Cartha. 4. c. 12. Africanum. cap. 5.* 14

a Confertum] *est, quando plures conferunt quippiam ad conuiuia facienda. Quod Græce dicitur Symbolum. Concil. Laodic. c. 55.*

b Sacram horam diei tertiam] *Hæc hora, quæ apud Italos Aurea, hic Sacra appellatur: vel quia Spiritus sanctus super Apostolos adueniens mirificis eandem horam dedicauit mysteriis, vel quia apud omnes fere Ecclesias in ea sacra Missarum solemnia celebrantur cum psallentio communi, vt verbis vtar Ruperti Abb. de diuinis officiis. l. 10. c. 18.*

Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium.

Cardin. Petrus Rauennas. 15

Ebrietatis effectus, & descriptio.

EBRIETAS perturbationem gignit mentis, furorem 16

rorem cordis, flammam libidinis: ebrietas ita mentem alienat, vt vbi sit nesciat, vnde etiam & malum non sentitur, quod per ebrietatem committitur. S. *Isidorus de summo bono l. 2. c. 43. S. Bonauen. de sex alis Seraph. de tertia ala. Ebrioſi viri descriptionem elegantem vide apud S. Basilium oratione 16. de ingluie, & ebrietate.*

Pœna ebrioſi.

17 EBRIETAS, insignium flagitiorum incitatrix, & scaturigo, quæ in commessationibus & conuenticulis dominatur, Ecclesiasticum gradum summa cum turpitudine passim infamauit, &c. Qui turpiter illi vitio iudulgent, immorigeri, ab officiis, & beneficiis Ecclesiastica censura, & Synodi auctoritate primum suspenduntur. Deinde, si ei impudenter detestandæ consuetudini, & dictu pariter, & visu fædissimæ vlterius inhæserint, omnibus honorum gradibus exutos, ad quadrupedum sortem, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit, maioribus suppliciis affectos statuit abijciendos. *Concil. Treuer. de temulentia clericorum.*

De eodem.

18 ANTE omnia Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, & nutrix est. Itaq; eum, quem ebrium fuisse constiterit (vt ordo patitur) aut triginta dierum spatio à communione statuimus submouendum, aut corporali subdendum supplicio. *Concil. Agath. dist. 35. c. fin.*

Gulæ

Gulæ deditus raro emendatur.

MVLTOS ego animaduerti sæpe, qui, cum alte- 19
rius cuiusuis generis vitiis laborarent, ad sanitatem tamen redierint postea; qui autem gulæ morbo tenerentur, vt aut in occulto hæsitare eos delectaret, aut ventris ingluuie duci se sinerent, neminem ex omnibus vidi vmquam, qui conualuerit, &c. *S. Basilius serm. de abdicat. sæculi. S. Gregor. Moral. lib.* 30. *c.*13.

Gulæ voluptas, breuis durationis.

VOLVPTAS gutturis, vix duorum habet longi- 20
tudinem digitorum, non durat, nisi quantum durat transitus ille per gulam; & pro illo trausitu vult domina gula tot, & tanta sibi præparari. *S. Bernard. serm.*12. *de conuers. ad Cler.*

Edacitati obnoxij ad Sacerdotium non promoueantur.

SI Laicis commessationes damnabiles sunt, 21
multo magis Sacerdotibus imputantur ad gehennam. Venter enim pinguis, vt ait Hieronymus ad Neopotianum, crassum sensum generat, cum Sacerdotalis sensus contra vigil esse debeat, & tenuis. Atque ideo edacitatis vitio obnoxij in Sacerdotes vngi non debent. Hi enim, vt Gregorius ait, qui adhuc vitiorum bello subiacent, nequaquam per prædicationis vsum præesse magistro cæterorum debent. *Grat. dist.* 44. *cap. fin.* *lib.* 23. *Moral. cap.*12.

Cantans inter epulas Clericus excommunicetur: scurra,& iocularis acerrime corripiatur.

22 INTER epulas cantantem clericum excommunicationis sententiæ seueritate coërcendum decernimus:scurrilia,iocularia, risumque mouentia verba loquens acerrime corripiatur. *Concil. Cartha. 4.c.60.& 80.dist 46.c. clericum.*

Non vsum vini,sed abusum damnat Apostolus.

23 *Claudius Guilliandus super epist. 1. ad Timoth. cap.3.*

Satius est, modico vino vti, quam multa aqua ingurgitari.

24 SATIVS est modico vino vti propter infirmitatẽ, quam multa aqua ingurgitari per auiditatem: quia & Paulus Timotheo modico vtendum vino consuluit,& Dominus ipse bibit,ita,vt vini potator appellatus sit, Apostolisq; bibendum dedit; insuper ex eo Sacramenta sui sanguinis condidit: cum eo contrario aquam ad nuptias bibi non passus sit; & ad aquas contradictionis populi murmur terribiliter castigauerit Dauid quoq; aquam, &c. *S. Bernard. in Apolog. ad Guiliel. Abbatem.*

Vitanda satietas, etiam vilium ciborum.

25 *Vide sup. p.2.c.2.§.1. de sobrietate, & temperantia. c. non solum, n.32.*

Cle-

Clericus escis plenus impeditur ad Vigilias.

SICVT miles plurimo onere prægrauatus præ- 26
peditur, ita monachus, vel Clericus impeditur ad vigilias, cum escarum plenitudine torpescit. *S. Basilius in regula, & in oratione secunda de Ieiunio.*

Vitandæ confabulationes, quæ nimios risus excitant, & cachinnos.

ABHORRERE debemus ab illis confabulationi- 27
bus, & colloquiis, quæ nobis intolerabiles quosdam risus excitare solent. Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis. Et, quod nihilominus occasiones quæramus ad ridendum, & liberiori cachinno indulgendum, idque inde consequamur, vt in hac vita modico quodam tempore rideamus, in alia vero in perpetuum defleamus. *S. Ambros. l. 1. Officiorum, c. 21. Alia vide sup. p. 2. c. 2. §. 1. de sobrietate, & inf. c. 16. Ne sacramenta rite non dispenset, Si per ebrietatem, n. 12.*

CAPVT V.

Non percussorem:

NE SIT PERCVSSOR SACERDOS: NE PORTET ARMA: NE SIT MALEDICVS, AVT DETRACTOR, CALVMNIATORVE: NE ADVLATOR.

SVMMARIVM.

QVI *percusserit alium, volens occidere, morte moriatur.* 1.

Homicida non debet ordinari, nec in susceptis ordinibus ministrare. 8.

Quia Sacerdos debet esse alienus à cæde. 9.

Si autem fuerit homicida, qua pœna mulctandus. 10. 11. 12. 13.

Et qua occidens Cardinalem, qua Episcopum, qua Clericum. 16.

Occidens paganum non poterit promoueri. 19.

Sacerdos, per se, vel per alium pugnans in duello, suspensus est. 14.

Moriens autem in bello, aut rixa, aut Gentilium ludis, qualiter puniendus. 15.

Et qualiter effundens sanguinem etiam in obsessionis necessitate, quæ non sit ineuitabilis. 17.

Qui

Qui autem, aliter mortem euitare non valens, occidit vel mutilat inuasorem, nullam incurrit irregularitatem. 18.

Clericus, seruum, aut discipulum ab Ecclesia extrahens, aut flagellans, segregetur. 20.

Clericus arma portans qua pœna feriendus. 21. 22. 23.

Sacerdotum arma sunt lacrymæ, lectio, & oratio. 24. 25.

Et, qui percussus in dexteram maxillam fuerit, præbeat alteram. 5.

Clericus maledicus homicida est, ex Apostolica traditione 26. nec eius accusatio admittatur. ibidem.

Qua pœna mulctandus. 27.

Abstinendum à detractione. 3. 6. 7.

Numquam detrahit, qui se bene contemplatur. 28.

Detrahere autem, an detrahentem audire, dubium, quid damnabilius. 30.

Qui vero fuerit eo vitio præditus, alienus sit à fratrum vnitate. 31.

Denuntiator in probatione criminum deficiens, ab officio, & beneficio suspenditur, donec purget innocentiam suam. 32.

Qui vero non probauerit, quod obiecit, pœnam, quam intulit, patiatur. 33.

Melior est sapientis correptio, quam stulti adulatio. 2. 4.

Quæ si ad tempus suscipitur, augetur. 32.

Adulator clericus degradetur. 34.

Plus enim persequitur adulatoris lingua, quam persectoris manus. 35.

Beatus, qui nec adulatur, nec adulatoribus credit. 36.

Auarî,

Auari egregie norunt adulari.37.
Laica communio,quid sit.13.

1 QVI percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. *Exod.21. Leuit.24.*

2 Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest,& à detractione parcite linguę, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit. *Sap.1.*

3 Melius est à sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. *Eccl.7.*

4 Populę meus,qui te beatum dicunt,ipsi te decipiunt,& viam gressuum tuorum dissipant. *Isa.3.*

5 Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam,præbe illi & alteram. *Matth.5.*

6 Ne murmuraueritis, sicut quidam illorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. *1.Cor.10. Num.21.*

7 Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri,aut qui iudicat fratrem suum,detrahit legi,& iudicat legem. Si autem iudicas legem: non es factor legis,sed iudex,&c. *Iac.4.*

Homicida non debet ordinari,neque in susceptis ordinibus ministrare.

8 QVÆSITVM est de Sacerdotibus, vel aliis clericis,qui per reatum adulterij,vel periurij,homicidij vel falsi testimonij bonũ conscientię perdiderunt, &c. Respondemus,quod,si proposita crimina ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint,non debẽt hi,(prętер reos homicidij)post pæni-

pœnitentiam, in iam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri. Qui si non pœnituerint, monendi sunt, &, sub interminatione Diuini iudicij, obtestandi, vt in testimonium suæ damnationis in susceptis iam ordinibus non ministrent. *Gregor. 9. de tempor. ord. c. fin. dist. 81. c. ministri.*

Alienus à cæde debet esse Sacerdos.

TAM alienus à cædendi acerbitate Sacerdos esse 9
debet, tamquam promptus, & paratus ad excolendam humanitatem, vt, etiamsi Dominus aliquem vti plantam inutilem, exscindere iubeat, ipse, tamquam insitor, debeat supplicare, &c. *S. Gregor. Nyss. in eos, qui alios durius iudicant.*

Sacerdotis homicidæ pœna.

DEBET homicida Sacerdos Sacerdotio priua- 10
tus lacrymarum fonte flagitium tam immane diluere, vt talibus saltem remediis curatus salutis possit inuenire suffragium. *Ioannes Papa 8. dist. 50. c. miror.*

De eodem.

SI quis Presbyter homicidium fecerit, duode- 11
cim annis pœniteat, tres ex his in pane, & aqua. *ead. dist. 50. c. Si quis homicidium.*

De eodem.

PRESBYTER, aut Diaconus, qui in homicidio 12
captus est, deponatur, non tantum communione priuetur. Dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipsum. *Canon. Apostolorum 25. dist. 81. c. eod. Iuo. p. 6. c. 3.*

De

De eodem.

13 SI Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit, ab officij honore depositus, in monasterium retrudatur, & ibi quamdiu vixerit *a* laicam tantummodo communionem accipiat. *Concil. Agath. dist. 50. c. si Episcopus.*

a Laica communio] *quid sit, videtur innuere Canon. 15. Apostol. vbi de Presbytero, qui suam parœciam deseruit: Verumtamen, inquit, tamquam laicus ibi communicet, id est, à Sacerdotali functione deiectus, inter laicos ibi communicet, nec fungatur munere Presbyteri, sed redactus in laicum (vt verbis vtar Hieronymi super Ezechielem. c. 46.) pristina sacrilegij sui scelera deploret. De quo videre est. S. Cyprianum ep. 1. l. 2. ep. 2. l. 4. dist. 50. c. accedens dist. 55. c. si. Euangelica dist. 84. c. quisquis. 1. q. 1. c. ventum est. 1. q. 4. c. homini. & Nicephorum histor Eccles. l. 6. c. 3. Ad cuius interpretationis confirmationem videtur facere Concil. Toletan. 4. c. 17. vbi diuersa fidelibus ad communicandũ loca designantur: videlicet Sacerdotibus, & Leuitis, vt ante altare communicent; Clero, vt in Choro; populo, extra Chorum. De populo vide etiam Concil. Brachar. 1. c. 31.*

Sacerdos pugnans per se, vel per alium in duello, suspensus est.

14 SACERDOS, licet non ipse, sed alius pro eo in duello pugnauerit, non debet in sacris ordinibus ministrare, sicut tradunt sacrorum Canonum instituta, &c. *Cœlestinus Papa de Cler. pugnantibus in duello. c. 2.*

Cleri-

Clericus in bello, rixa, aut gentilium ludis moriens qua pœna mulctandus.

QVICVMQVE Clericus aut in bello, aut in rixa, 15
aut in gentilium ludis mortuus fuerit, neq; in oblatione, neque oratione pro eo postuletur, sed in manus incidat Iudicis, sepultura tamen non prietur. *Concil. Tribur.* 23. *q.* 8. *c. eod.* 1.

Clericus Cardinalem occidens qua pœna puniatur, qua Episcopum, qua Clericum.

SI quis in hoc sacrilegij genus irrepserit, qui S. 16
R. E. Cardinalem fuerit hostiliter insecutus, vel percusserit, aut ceperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandauerit, vel factum ratum habuerit, &c. quidquid in bonis inuenitur Fisci, vel Reipublicæ dominio applicetur, &c. Si quod vero officium, vel beneficium spirituale, vel temporale ab aliquibus Ecclesiis obtinet, sit eis ipso iure priuatus, &c. *Bonifacius* 8. *de pœnis, c. felicis l.* 6. Eisdem fere pœnis mulctatur percutiens Episcopum. *de pœnis clem.* 1. Occidens autem Clericum, vel mutilans per se, vel per alios, beneficium amittit. *Innoc.* 3. *de pœnis, c. in quibusdam.*

Clericus effundens sanguinem etiam in obsessionis necessitate qua pœna puniendus; secus in necessitate ineuitabili.

DE his Clericis, qui in obsessionis necessitate 17
positi fuerint, id statutum est, vt, qui altario ministrant,

nistrant, & Christi corpus & sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio deputata contrectant, ab omni humano sanguine, etiam hostili, se abstineant. Quod si in hoc inciderint, duobus annis tam officio, quam communione Corporis Domini priuentur: ita, vt his duobus annis vigiliis, ieiuniis, orationibus, & eleemosynis pro viribus, quas Dominus donauerit, expientur, & ita demum officio, vel communioni reddantur; ea tamen ratione, ne vlterius ad officia potiora prouehantur, &c. *Concil. Ilerd. & dist. 50. c. eod. & c. quia te.* Quod verum est, quo ad peccatum; sed, quo ad cautelam, & innocentiam suæ Ecclesiæ ostendendam, bonum est pænitere. *Ex Pœnitentiali Rom. de homicidio, c. 2. S. Bonau. in Confessionali, tract. de pœnitentiis particula* 14.

Nullam irregularitatem incurrit, qui, mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat inuasorem.

18 *De homicidio clem. si furiosus.*

Clericus etiam paganum occidens est suspensus, nec poterit promoueri.

19 CLERICVM, qui paganum occiderit, non oportet ad gradum maiorem prouehi, qui carere debet etiam acquisito: homicida enim est. Nam, cum discreti sint milites sæculi a militibus Ecclesiæ, non conuenit militibus Ecclesiæ militare sæculo, per quod ad effusionem sanguinis necesse sit peruenire. *Nicolaus Papa dist. 50. c. eod. cum seqq.*

Cleri-

Clericus seruum, aut discipulum ab Ecclesia extrahens, aut flagellans, segregetur.

NVLLVS Clericorum, seruum, aut discipulum 20
suum fugientem ab Ecclesia extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Quod si fecerit, donec digne pœniteat, à loco, cui honorem non dedit, segregetur. *Concil. Ilerd. c.* 8. 17. *q.* 4. *c. eod. Can. Apostolorum* 17. *Concil. Nicænum c.* 11.

Clericus arma portans qua pœna mulctandus.

OMNIMODIS dicendum est Presbyteris, & Dia 21
conibus, vt arma non portent, sed magis confidant in defensione Dei, quam in armis. *Concil. Aurelian. c.* 9. Et inuentus cum armis Clericus, triginta dierum inclusione detentus, aqua tantummodo, & modico pane diebus singulis sustentetur, *Concil. Matiscon.* 1. *can.* 5. *Synodus Francica sub Carolo Magno* 1. *Toletan.* 4. *c.* 44. 23. *q.* 8. *c. clerici.*

De eodem.

QVICVMQVE ex Clero esse videntur, arma mi- 22
litaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus, & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tamquam sacrorum Canonum contemptores, & Ecclesiasticæ sanctitatis profanatores, proprij gradus amissione mulctentur: quia non possunt simul Deo, & sæculo militare. *Concil. Meld. c.* 37. 23. *q.* 8. *c. eod.* 2. *Canon. Apostolorum* 83.

De eodem.

23 CLERICI arma portantes excommunicentur. *Concil. Pictau. de vita & hon. cler. c. 2.*

Sacerdotum arma sunt lacrymæ.

24 LACRYMÆ meæ arma sunt: talia enim sunt munimenta Sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere. *S. Ambros. 23. q. 8. c. conuenior, §. quid ergo.*

Sacerdotum arma sunt lectio, & oratio.

25 ARMA Sacerdotum, sunt lectio, & oratio, quibus diabolus expugnatur: hæc sunt instrumenta, quibus beatitudo æterna acquiritur: his armis vitia, reprimuntur: his alimentis virtutes nutriuntur, &c. *vt not. sup. p. 2. c. 12. de occupatione Sacerdotum, ex S. August. Presbyteri, n. 11.*

Clericus maledicus homicida est, ex Apostolica traditione; neq; eius accusatio admittatur.

26 SICVT homicidas interfectores fratrum, ita & detractores eorum, eosq; odientes homicidas esse manifestabat Petrus: quia & qui occidit fratrem suum, & qui odit, & qui detrahit ei, pariter homicidæ esse demonstrantur. *S. Clemens epist. 1. de detractoribus Episcoporum, & Sacerdotum.* Et nullus, qui frequenter litigat, & ad accusandum, vel detrahendum est facilis, permittatur Episcopum accusare. *S. Felix 2. ep. 1. Vide ep. 3. S. Anacleti Papæ, epist. 2. Euaristi, primam Alexandri, secundam Fabiani, Antheri, & Vrbani.*

Cleri-

Clericus maledicus qua pœna feriendus.

CLERICVS maledicus, maxime in Sacerdoti- 27
bus, cogatur ad postulandam veniam; si noluerit, degradetur, nec vmquam ad officium absque satisfactione reuocetur. *Concil. Carthagin. 4. dist. 46. c. cod.*

Numquam detrahes, si te bene prospexeris.

S. Isidorus in Synonimis. 28

De eodem.

Vide sup. p. 2. c. 8. §. 3. de humilitate, cum Sacerdos, n. 29
16. cap. Patienter illatam, n. 9. c. 8. §. 2. de patientia.

Detrahere, an detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.

S. Bernard. de consid. l. 3. 30

Alienus sit à fratrum vnitate, qui murmurat.

ALIENVS sit à fratrum vnitate, qui murmurat, 31
& opus eius abijciatur, qui murmurans extiterit, ne pœnam murmurantium incurrat, de qua Apostolus dicit: Neque murmuraueritis, sicut quidam illorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore, &c. *Octaua Synodus dist. 90. c. cod. c si quis monachus.* 1. Cor. 10.

Denuntiator in probatione criminum deficiēs ab officio & beneficio ſuſpenditur, donec ſuam innocentiam purget.

32 MANDAMVS, quatenus magiſtrum ſcholarum, donec Canonice ſuam probauerit innocentiam; ſcilicet quod non calumniandi animo ad huiusmodi crimina proponenda proceſſit, ab officio & beneficio ſuſpēdatis: vt cæteri ſimili pœna perterriti ad infamiam ſuorū facile non proſiliant Prælatorum. *Innoc.3 de calumniatoribus, c. cum dilectus.*

Qui non probauerit quod obiecerit, pœnam quam intulerit ipſe patiatur.

33 *Hadrianus Papa 2.q.3.c.eod.& c.calumniator.*

Clericus adulator degradetur.

34 CLERICVS, qui adulationibus, & proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio, *Conc. Carthagin.4.c.59.*

Plus perſequitur adulatoris lingua, quam perſecutoris manus.

35 DVO ſunt genera perſecutorum; vituperantium ſcilicet, & adulantium: ſed plus perſequitur lingua adulatoris, quam manus perſequentis. *S. Auguſt. ſuper Pſalm.69.*

Bea-

Beatus, qui nec adulatur, nec adulatoribus credit.

BEATA mens, quæ nec adulatur aliquando, nec adulanti credit: quia nec decipit alterum, nec ipsa decipitur; deniq; nec malum facit aliquando, nec patitur. *S. Hieron ad Demetriadem. distinct. 91. cap. Hericus.* 36

Adulatio, si ad tempus suscipitur, augetur.

S. Gregor. hom. 2. super Ezechielem. 37

Adulari egregie norunt auari.

S. Chrysost. sup. ep. ad Hebræos hom. 15. Alia vide sup. p. 2. c. 3. §. 3. de suauitate in verbis, & benignitate sacerdotum. 38

CAPVT VI.

Non litigiosum.

NE SIT LITIGIOSVS SACERDOS: NE ADVOCATVS PROCVRATORVE: NE CONTVMAX: NE IN EXCOMMVNICATIONE PERSISTAT.

§. I.

SVMMARIVM.

ABSTINENS *se à lite, minuit peccata.* 1.
Et ideo oportet cedere percutientibus, & contendere volentibus. 2.
Quia Apostoli, & Ecclesia non habet consuetudinem contendendi, seu litigandi. 3. 4. 5.
Clericus negotiator tamquam pestis fugiendus. 6.
Neq; apud sæcularem Iudicem poterit quemquam pulsare, Episcopo non permittente. 7. 8.
Contra faciens qua pœna mulctandus. 8.
Clericus etiam in minoribus aduocatus esse non potest in negotiis sæcularibus coram sæculari, nisi in propriis Ecclesiæ, aut miserabilium personarum. 9. 10.
Contra faciens qualiter puniendus. 10. 11.

Sacer-

Sacerdos non potest esse minister, aut procurator laicorum. 12.
Qualiter contumax Clericus puniendus. 13.
Peregrina communio quid. 13.
Et procedi potest contra excommunicatum, tamquam de hæresi suspectum, si per annum in excommunicatione insorduerit. 14.

ABSTINE te à lite, & minues peccata. *Eccl.* 28. 1
Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo. *Matth.* 5. 2
Si quis videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei. *1. Cor.* 11. 3
Seruum Domini non oportet litigare. 2. *Tim.* 2. 4

Antequam Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari; facto, iam non licet.

S. Augustin. dist. 88. *c. fornicari.* 5

Clericus negotiator fugiendus tamquam pestis.

NEGOTIATOREM Clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. *S. Hieron. ad Nepotian. ead. dist.* 88. *c. eod. cum seqq.* 6

Clericus neminem pulset apud Iudicem sæcularem Episcopo non permittente.

7 CLERICVS ne quemquam præsumat apud sæcularem Iudicem, Episcopo non permittente, pulsare: sed, qui pulsatus fuerit, non respondeat, nec adeat criminale negotium in iudicio sæculari. *Concil. Agath. c. 32. Iuo p. 6. t. 367. Chalcedon. c. 9. Carthagin. 3. c. 9. Toletan. 3. c. 13. Matiscon. c. 8.*

De eodem: ac de pœna eius.

8 SI Clericus aduersus aliquem habet negotium, non relinquat suum Episcopum, & ad sæcularia iudicia non occurrat, &c. Si quis vero contra hæc fecerit, Canonum subiaceat correptionibus. *Conc. Chalcedon. c. 9. 11. q. 1. c. eod.*

Clericus, etiam in minoribus, non sit aduocatus in negotiis sæcularibus coram sæculari, nisi in propriis Ecclesiæ, vel miserabilium personarum.

9 CLERICI in Subdiaconatu, & supra in Ordinibus etiam minoribus, si stipendiis Ecclesiasticis sustentantur, coram sæculari Iudice aduocati in negotiis sæcularibus fieri non præsumant, nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ fuerint persecuti, aut pro miserabilibus forte personis, quæ proprias causas administrare non possunt. *Concil. Latera. de postulando c. 1. 2. 3.*

De eodem: ac de pœna eius.

10 CVM Sacerdotis sit officiũ, nulli nocere, omnibus

bus autem velle prodesse, non nisi pro teipso, vel Ecclesia, vel (si necessitas immineat) pro personis coniunctis, aut miserabilibus, sibi licitum est postulare, &c. Clericus autem, qui contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinet, pro extraneis procurator, vel aduocatus esse præsumit, tamquam ingratus, potest (maxime, si clericus sit eiusdem Ecclesiæ) beneficio huiusmodi spoliari. *Gregor. ix. de postul. c. fin.*

De eodem.

Si non potest subueniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est, neutrum iuuari, quam grauari alterum. Ideoque in causis pecuniariis interuenire non est Sacerdotis; in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter, qui vincitur: quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur. Sacerdotis igitur est, nulli nocere, prodesse velle omnibus; posse autem, solius est Dei. *S. Ambros. 14. q. 5. c. denique.* 11

Sacerdos non sit minister, aut procurator laicorum.

SACERDOTIBVS, & Clericis tuis denuncies publice, ne ministri laicorum fiant, nec in rebus procuratores existant. Quod si postmodum facere præsumpserint, & occasione ipsius administrationis propter pecuniariam causam deprehendantur in fraude, indignum est, eis ab Ecclesia 12

subueniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari. *Eugenius, ne Cler. vel mon. c. eod. Vide inf. c. 8. Ne sit turpis lucri cupidus. Placuit, vt Presbyteri, n. §. Et §. seq. Decreuit, n, 10.*

Contumaces Clerici, qualiter puniendi.

13 CONTVMACES Clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopo corrigantur; &, si qui, prioris gradus elati superbia, communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officiũ suum implere neglexerint, *a* peregrina eis communio tribuatur; ita, vt, cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula, gradum suum dignitatemq; recipiant. *Concil. Agath. c. 2. dist 50. c. eod. Aurel. 1. c. 13.*

a Peregrina communio] *est, communio sine oblatione. Qui enim ex aliena oblatione communicat, Peregrine dicitur communicare: vt colligitur ex Concil. Ancyrano cap. 5. 6. 7. 8. & ex Agath. c. 1. vbi supra, & ex eodem Concil. c. 4. & Reg. c. 3. Neque desunt, qui Communionem peregrinam eandem esse cum Laica suscipentur, de qua sup. cap. 5. num. 13. vt innuit Ioannes Sotteallus in Conciliorum Summa.*

Procedi

Procedi potest contra excommunicatum tamquam de hæresi suspectum, si per annum in excommunicatione insorduerit.

EXCOMMVNICATVS quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, & communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur; sed, si, obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæresi suspectum, procedi possit. *Concil. Tridentin. sess. 25. c. 3. de reform. de hæret. c. excommunicamus, 1. §. Qui autem, & §. moneantur.* 14

Non

Non ambulantem.

NON AMBVLET IN FORO, AVT IN NVNDINIS SACERDOS:

NE SÆCVLARIA, PROFANAVE NEGOTIA, AVT VILIA TRACTET:

NE IVRI CIVILI, MEDICINÆ, AVT CHIRVRGIÆ DET OPERAM.

§. II.

SVMMARIVM.

CLERICVS *ambulans per vicos, & plateas, aut nundinas, non pro emendo aliquid, degradetur ab officio.* 1. 3.

Militans Deo non implicat se negotiis sæcularibus, maxime inhonestis. 2. 4. 5. 9.

Quæ autem sint illa negotia sæcularia. 8.

Sacerdos non sit fideiussor, nec aduocatus. 5. 6.

Nec tabellio. 11.

Nec tractet Iudicium sanguinis, aut vbi exerceatur interfit. 12. 13. 14.

Nec

Nec conducat possessiones, nec sit tutor vel curator, nisi miserabilium personarum. 9. 10. Vbi qualiter puniendus, qui eum tutorem nominauerit.

Nec det operam Iuri ciuili, nec Medicinæ, nec Chirurgiæ, vt possit Theologiæ sacræ vacare. 15. 16.

NOLI circumspicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. *Eccl.9.* 1

Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus; vt ei placeat, cui se probauit. 2. *Tim.2.* 2

Clericus, qui non pro emendo aliquid in nundinis, vel in foro ambulat, ab officio suo degradetur.

Concil. Carthagin. 4. c. 45. 3

Nullus Clericus sæcularibus causis occupetur.

PERLATVM est ad nos, fratrem nostrũ Basilium, velut vnum de laicis, in causis sæcularibus occupari, & prætoriis inutiliter deseruire. Quæ res quoniam & ipsum vilem reddit, & reuerentiam Sacerdotalem annihilat, statim vt experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ita ad reuertendũ districta executione compellat; quatenus & illic te insistente quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non licet, 4

&c. S. Gregor. dist. 88. cap. eod.

Sacer-

Sacerdos sæcularibus negotiis non occupetur, nec sit fideiussor, vel aduocatus.

5 TE quidem oportet irreprehensibiliter viuere, & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias, ne fideiussor existas, ne aduocatus litium fias, neue in vlla aliqua occupatione prorsus inueniaris mundialis negotij occupatione perplexus. Neque enim iudicem, aut cognitorem sæcularium negotiorum hodie ordinare te vult Christus: ne præfocatus præsentibus hominum curis non possis verbo Dei vacare, & secundum veritatis regulam secernere bonos à malis. Ista namque opera, quæ tibi minus congruere superius exposuimus, exhibeant sibi inuicem discentes, id est, laici; & te nemo occupet ab his studiis, per quæ salus omnibus datur. Sicut enim tibi impietatis crimen est, (neglectis verbi Dei studiis) sollicitudines suscipere sæculares; ita vnicuique laicorum peccatum est, &c. Te vero securum facere ex his, quibus non debes vacare, omnes communiter elaborent, &c. *S. Clemens ep. 1. ad Iacobum fratrem Domini, 11. q. 1. c. eod. & seq. c. sicut.*

Clericus fideiussionibus inseruiens abijciatur.

6 *Canon. 20. Apostolorum de fideiuss. c. 1. Concil. Carthag. 4. c. 70. c. 1. de fideiuss.*

Clerici

Clerici officia, vel commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta, &c.

Innoc. 3. de vita, & hon. cler. c. pen. 7

Sęcularia negotia, quę clericis interdicta.

Vide sup. c. 3. de rebus Sacerdoti prohibitis, c. Multa sunt negotia sæcularia, n. 5. 8

Sacerdos non conducat possessiones, nō sit tutor, vel curator, nisi miserabilium personarum.

DECREVIT sancta Synodus, nullum clericum, 9
siue monachum, conducere possessiones, aut misceri sæcularibus procurationibus; nisi forte qui legibus ad minorum ætatum tutelas, siue curationes inexcusabiles attrahantur, aut cui ciuitatis ipsius Episcopus Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, vel orphanorum, aut viduarum, quæ indefensæ sunt, & earum personarum, quæ maxime Ecclesiastico indigent adminiculo, propter timorem Dei. Si quis vero transgressus fuerit hæc præcepta, correctioni Ecclesiasticæ subiaceat. *Concil. Chalcedon. c. 3. dist. 86. c. peruenit. dist. 88. c. decreuit. c. conseq. Carthag. 1. c. 14. de vita & hon. cler. c. fin. Concil. Paris. c. 28.*

Clericus, tutor, vel curator non sit: ac de pœna eius, qui eum in tutorem, vel curatorem nominauerit.

IAM pridem in Concilio Episcoporum est sta- 10
tutum.

tutum, ne quis de Clericis, & Dei ministris tutorem, vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli Sacerdotio suo honorati, & in clericali ministerio constituti, non nisi altari, & sacrificiis deseruire, & precibus, ac orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, vt possit placere ei, cui se probauit, &c. Quod Episcopi, & antecessores nostri religiose considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam clericum nominaret; ac, si quis hoc feciſſet, nõ offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altario Sacerdotes, & ministros voluit auocare. *S. Cyprianus* 21.*q.*3. *Cyprianus, cum seqq. dist.* 88. *c. neque. Cod. de Episc. & cler. l. generaliter.* 16.*q.*1. *c. generaliter.*

2.*Ti.* 2.

Clericus non sit tabellio.

11 MANDAMVS, quatenus clericis in sacris Ordinibus constitutis tabellionatus officium per beneficiorum subtractionem, appellatione postposita, interdicas. *Innoc.* 3. *ne cler. vel mon. c. sicut.*

His, à quibus diuina Sacramẽta tractanda sunt, iudicium sanguinis tractare non licet, &c.

12 *Concil. Toletan.* 11. *c.* 6. 23. *q.* 8. *c. eod.*

De eodem.

13 SENTENTIAM sanguinis nullus Clericus dictet,

ctet, aut proferat; sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut, vbi exerceatur, interfit. *Alex. 3. de vita, & hon. cler. c. eod. Conc. Matiscon. 2. c. 19.* Si tamen interest, propter hoc non videtur effici irregularis, vel debere deponi; sed alias debet puniri, quia interfuit contra præceptum dicti Canonis. *S. Bonau. in Confessionali, de irregularite, particula 43.*

De eodem.

QVIA Sacerdotes à Christo ad ministeriũ salutis 14
electi sunt, ibi consentiant Regibus, fieri Iudices, vbi iureiurando supplicij indulgentia promittitur, non vbi discriminis sententia præparatur. Si quis ergo Sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat propium gradum. *Concil. Toletan. 4. 23. q. 8. c. sæpe Principes. Iuo p. 6. c. 275. ne cler. vel mon. c. sed nec. c. clericis.*

Nullus clericus det operam Iuri ciuili, vel Medicinæ, vt sacræ Theologiæ vacare possit.

NVLLI omnino, post votũ religionis, & post fa- 15
ctam in aliquo loco religioso professionẽ, ad Physicam, Legesve mundanas legendas permittatur exire. *Alex. 3. ne cler. vel mon. c. non magnopere. Hanc Constitutionem extendit Honorius 3. etiam ad Presbyteros sæculares, & alios Clericos Ecclesiastica beneficia obtinentes, in hæc verba:* Quia vero Theo-

logiæ ſtudium cupimus ampliari, vt, dilatato ſui tentorij loco, funiculos ſuos faciat longiores, vt ſit fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus reſiſtere valeat aſcendentibus ex aduerſo, ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpoſitos, Cantores, & alios Clericos perſonatus habentes, nec non Preſbyteros, (niſi ab his intra ſpatium præſcriptum deſtiterint) hoc extendi volumus, & mandamus, etiam appellatione poſtpoſita, firmiter obſeruari. *Ne Cler. vel mon. c. ſuper ſpecula. De quo extat Decretalis Innocentij 3. ad Brixienſem electum, quæ incipit, Si gratis. Et hanc conſtitutionem extendit Bonifacius 8. etiam ad rectores parochialium, quæ ſunt plebaniæ, id eſt, quæ ſub ſe habent capellas. Ne Cler. vel. mon. c. 1. l. 6.*

Clericus non det operam Chirurgiæ.

16 NVLLVS Clericus vllam Chirurgiæ artem, Subdiaconus, Diaconus vel Sacerdos exerceat, quæ ad vſtionem, vel inciſionem inducit. *Alex. 3. ne Cler. vel mon. c. ſententiam.*

CAP.

CAPVT VII.

Non cupidum.

NE SIT CVPIDVS SACERDOS, AVT AMBITIOSVS:

NE PLVRA BENEFICIA HABEAT, AVT NON RITE:

NE PRO SACRAMENTIS MINISTRANDIS, PRO ECCLESIASTICIS REBVS CONFERENDIS, AVT VERBO DEI PRÆDICANDO PRETIVM EXIGAT.

SVMMARIVM.

MVNERA *excæcant prudentes, & subuertunt iustos.* 1.

Non accipienda à publice peccantibus. 10.

Radix omnium malorum cupiditas, & propter illam multi errauerunt à fide, & multis se doloribus miscuerunt. 7.

Ideo Sacerdos non debet esse cupidus. 9.

Neque auarus, quia crudelis. 11. vbi Auaritiæ varij effectus. Neque ambitiosus. 9. 12.

Quia ambitio statum rectitudinis subuertit, & partam virtutem delet. 15.

Caritas non est ambitiosa, nec quærit quæ sua sunt. 5.

Honor non à semetipso, sed à Deo sumendus. 8.

Cupiditas inanis gloriæ vitanda. 6.

Et libido dominandi, quia periculosa, & nociua. 12. 14.

Quia sæpe vincit ambitio, quos alia vitia superare non potuerunt. 16.

Neque est sapiens, qui hominibus præesse desiderat. 13.

Desinet autem esse ambitiosus Sacerdos, si se non iudicaturum, sed iudicandum, consideret. 17.

Ambitiosi viri descriptio, & quædam peculiaria. 18. 19.

Clericus duabus Ecclesiis non præficiendus. 20. 21.

Et debet Excommunicari, qui in viuentis locum se patitur introduci. 22.

Et priuari beneficio, qui per collusionem fraudem commiserit. 23.

Et qui propria auctoritate permutauerit. 24.

Compellentes resignare sua beneficia, aut impedientes ad Romanam curiam accedere, qua pœna mulctandi. 25.

Prædicitur subuersio Ierusalem, eo quod Sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ in pecunia diuinabant. 2.

Donum

Donum Dei gratis acceptum gratis dandum. 3.4.32.
Et ideo ſymoniacus Sacerdos & Sacerdotio, & beneficio priuandus. 26.
Et pro ſepultura nihil accipere debet, bene tamen poteſt recipere ſponte oblatum. 27.28.30.
Symoniacum etiam eſt, recipere pretium pro ordinatione, pro danda poſſeſſione, pro benedictione nubentium, pro Sacramentorum collatione. 28.29.30.
Deponatur Clericus contrafaciens. 31.
Quid pro prædicatione. 29.

NE accipies munera, quæ etiam excęcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum. *Exod.* 23. 1

Sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant: & ſuper Dominum requieſcebant, dicentes: Nunquid non Dominus in medio noſtrum? non venient ſuper nos mala. Propter hoc cauſa veſtri, Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum erit, &c. *Mich.* 3. 2

Gratis accepiſtis, gratis date. *Matth.* 10. 3

Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. *Actor.* 8. 4

Caritas non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt. 1. *Cor.* 13. 5

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. *Gal.* 5. 6

Radix omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis, 1. *Timoth.* 6. 7

8 Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, &c. *Hebr.* 5.

Sacerdos non sit cupidus, nec ambitosus.

9 VIRVM Catholicum, & præcipue Domini Sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari, dicente sacra Scriptura: Eccli8. Post concupiscentias tuas non eas. Mens enim potentiæ auida nec abstinere nouit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. *S. Leo dist.* 47. *cap. eod. Vide epist.* 1. *S. Callisti Papæ.*

Sacerdos nullum munus accipiat à publice peccantibus, nec illos manifestare detrectet Episcopo.

10 NEMO Presbyterorum xenium, vel quodcumque emolumentum temporale, immo detrimentum spirituale, à quocumque publice peccante, vel incestuoso, accipiat; vel Episcopo, vel ministris eius peccatũ illius reticeat; nec pro respectu cuiusque personæ, aut consanguinitatis, vel familiaritatis, alienis communicans pecatis, hoc Episcopo innotescere detrectet. Nec à quoquam pœnitente aut gratiam, aut fauorem, aut munus suscipere præsumat; aut minus digne pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium recon-

reconciliationis ferat; vel quocumq; liuore alium quemlibet dignius pœnitentem à reconciliatione remoueat: quia hoc simoniacum, & Deo, & hominibus contrarium est. *Burchardus l.19.c.100. ex Alex. Papa.*

a Auarus Sacerdos, crudelis est: *b* Communis omnium hostis: *c* Vbique inutilis: *d* Nec fruitur suis rebus: *e* In tenebris viuit: *f* Meretrice peior, & non est diues.

a *S. Chrysost. hom.84. super Matth.* b *hom.* 82.c. 11
ibidem. d *hom.* 14. *super ep. ad Cor.* e *hom.* 20. *super epist. ad Ephes.* f *hom.*15. *sup. ep. ad Hebr. Alia vide inf. c. seq. ne sit turpis lucri cupidus.*

Sacerdos non sit ambitiosus.

SACERDOTIS animum honoris desiderio vn- 12
dique vacare oportet. Nam, si ad principatum adipiscendum vehementi animi affectu rapiatur, eo adepto, impotentiorem sane ambitionis suæ flammam incendet; ac, vi tandem captus, vt sibi adeptum honorem stabiliat, nulli non peccato seruiet, seu adulandum, seu seruile aliquid, atque indignum sustinendum, seu res magno pecuniæ studio tentanda, &c. *S. Chrysost. de Sacer. l.3. S. Bernard. ep.*42. *&* 126.

Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo, & tunc vere non sapio, quæ Dei sunt.
S. Bernard. hom.2. super Missus est. 13

Libido dominandi periculosa, & nociua.

14 NVLLVM tibi venenum, nullum' gladium plus formido, quam libidinem dominandi. *Idem Bernard. de consid. l.* 2. O Ambitio, ambientium crux, quo modo, omnes torquens, omnibus places! *Idem ibidem l.* 3.

Ambitio statum rectitudinis subuertit, & partam virtutum delet.

15 SOLENT viris virtutum huiusmodi præstigia se offerre, & testimonium religionis, conscientia prohibente, cum ab aliis digni honoribus iudicentur, facile acquiescunt; & tam proprio, quam alieno fascinati iudicio, a rectitudine corruunt, euersaque cathedra mentis, humo fractis ceruicibus, colliduntur; repenteque & subito quod multis erat partum sudoribus, ambitione irruente, obliteratum est; & turbinis huius impetu auulsum est, quod antiquæ religionis labor meruerat. *S. Cyprianus tract. de ieiunio, & tentationibus.*

Sæpe vincit ambitio, quos alia vitia superare non potuerunt.

16 SÆPE, quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subuertere, facit ambitio criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum scelus, &, vt dominetur aliis prius

prius seruit, &c. S. *Ambros. super Lucam c. 4. de tertia Christi tentatione.*

Omnis adeundi honoris Ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se iudicandos potius, quam iudicaturos, hi, qui præesse volunt populis, cogitarent.

Origenes super epistolam ad Romanos. 17

Ambitiosi viri descriptio.

AMBITIOSVS semper est pauidus, semper attentus; ne dicat quod displiceat, humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur, & obsequitur, cunctos honorat, vniuersis se inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit, & amplexatur, applaudit, & osculatur. *Innocentius 3. de vilitate conditionis humanæ l. 2.* 18

Ambitionis quædam peculiaria.

AMBITIO latere vult, & est causa furoris. *S. Bernard. ep. 126.* Hipocrysis mater. *Idem sermone in Dominica Palmarum.* Cæcos reddit homines. *S. Chrys. hom. 17. super Acta Apostolorum.* 19

Clericus duabus Ecclesiis non præficiatur.

CLERICVS ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis: negotiationis enim est hoc, & turpis commodi proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine penitus alienum. Audiuimus enim ex ipsa Dominica voce, quia nemo potest 20

duobus dominis seruire,&c. Vnusquisq; enim,secundum Apostolum, quo vocatus est, in hoc debet manere, & in vna locari Ecclesia,&c. *Septima Synodus,c.15.Iuo p.2.c.48.50.51.& p.6.c.311.Concil. Rhem.c.3.*

De eodem.

21 CVM Ecclesiasticus ordo peruertatur, quando vnus plurium officia occupat Clericorum, sancte sacris Canonibus cautum fuit,neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum, quoniam multi, improbæ cupiditatis affectu, se ipsos, non Deum decipientes, ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul obtinere beneficia,non erubescunt,sancta Synodus, debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscumq; personis quocumque titulo(etsi Cardinalatus honore fulgeant) mandat obseruari, statuit, vt in posterum vnum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honeste sustentandam non sufficit, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dum modo vtrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri, &c. *Concil. Trident. sess. 24.c.17.de præben.c.referente,& c. de multa,de Cler.non resid.c.quia nonnulli,21. q.1.per totam.*

Excom-

Excommunicetur Clericus, qui se in viuentis beneficium patitur introduci.

QVI in viuorum Sacerdotum loco ponuntur, 22
hocipso sunt ab Ecclesiastica communione pellendi, quo se passi sunt successores viuis Sacerdotibus adhiberi. *Gelasius Papa de conceſſ. præb. cap. 1.*

Colludens in causa beneficiali priuari debet beneficio.

SI quos Clericos tuæ iurisdictionis per collu- 23
sionem fraudem legitime tibi constiterit commisisse, eos beneficiis, super quibus colluſum fuerit, non differas perpetuo spoliare. Quia satis esset indignum, si fraus & dolus, quæ in præiudicium tui iuris & aliorum nituntur committere, in eorum non redundarēt incommodum & iacturam. *Alex. 3. de collus. deteg. c. audiuimus.*

Beneficia sua perdat, qui ea propria auctoritate permutat.

CVM nobis constet, quod B. suum præstiterit 24
permutationi consensum, prædictus autem magister suum publice fateatur errorem, & hunc Præpositura, & illum Archidiaconatu curauimus spoliare, super hoc definitiuam contra eos sententiam proferentes. *Innoc. 3. de rerum permut. c. cum olim.*

Com-

Compellentes sua resignare beneficia, aut impedientes ad Rom. curiam accedere, qua pœna mulctandi.

25 NONNVLLI obtinentes temporale dominium, viros sæpe Ecclesiasticos capere, captosque, donec sua resignent beneficia, aut ne citati ad Apostolicam Sedem, ab homine, vel à iure venire ad ipsum valeant, ausu detinere sacrilego non verentur, citatos eosdem in exitu eorum districtuum, vt plurimum capientes, &c. Statuimus, vt, præter sententiam Canonis, quam facientes, & fieri procurantes, præmissas (scilicet captiones, & detentiones) incurrere dignoscuntur, procurent ipsi, personæ Ecclesiasticæ existentes, à perceptione fructuum Ecclesiarum suarum, si fuerint Prælati, triennio sint suspensi: quod si inferiores extiterint, eo ipso obtentis beneficiis sint priuati, &c. *de pœnis, clem. 2.*

Simoniacus & Sacerdotio, & beneficio priuetur.

26 PRESBYTER, si per pecuniam Ecclesiam obtinuerit, non solum Ecclesia priuetur, sed etiam Sacerdotij honore spolietur. Quia, altare, & decimas, & Spiritum sanctũ emere, vel vendere, simoniacam hæresim esse, nullus fidelium ignorat.

S. Gregor. c. eod. de simonia. c. de hoc. c. insinuatum.

Pro

Pro sepultura nihil exigendum, sponte tamen oblatum recipi potest.

GRAVE nimis, & procul est à Sacerdotis officio, 27
pretium de terra putredine concessa quærere, & de alieno velle luctu facere compendium. Si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, siquidem parentes defuncti, proximi, vel hæredes pro luminibus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus. Peti vero aliquid, aut exigi, omnino prohibemus, &c. *Idem S. Greg.* 13. *q.* 2. *c. questa est. c. in Ecclesiastico, cum seqq. Iuo p.* 3. *c.* 101. *&* 215. *Concil. Meld. c.* 72.

Simoniacum est, recipere pretium pro danda possessione, pro ordinatione, aut mortuis sepeliendis, pro benedictione nubentium, aut Sacramentorum collatione.

CVM in Ecclesię corpore omnia debeant ex ca- 28
ritate tractari, &, quod gratis receptum est, gratis *Mat.* 10.
impendi, horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, &c. Putant plures, ex hoc sibi licere, quia legem mortis de longa inualuisse consuetudine arbitrantur: non satis, quia cupiditate cæcati sunt, attendentes, quod tanto grauiora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerint alligatam. Ne igitur hoc de cætero fiat, & vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel Sacerdotibus instituen-

tuendis, aut mortuis sepeliendis, seu etiam nubentibus benedicendis, seu etiam aliis Sacramentis conferendis, seu collatis, aliquid exigatur, districtius inhibemus. Si quis autem contra hoc venire
4.Reg.5 præsumpserit, portionem cum Giezi se nouerit habiturũ. *Conc. Lateran. de simon. c. eod. & c. non satis.*

De eodem, ac de prædicatione.

29 DISCVTIAMVS mentem, perquiramus veritatem. Numquid Missam cantare, numquid baptizare, numquid mortuum sepelire sine pretio, vel promissione dignamini? Numquid non citius mortem diuitum, quam corporis salutem desideratis videre? Ecce, quomodo lupi estis; ecce, quomodo omni simonia infecti estis. O Sacerdotes, quid agimus? quid sumus? quid tantum dormimus? Ecce, latro semel furatur, semel fenus proximi tollit, vel rapit; sed, si capitur, blasphematur, verberatur, furtum imponitur, & tamquam latro damnatur ad mortem. O Sacerdotes mei, si fenus in laico crimen iudicatur, si propter hoc damnatur ad mortem, quid de vobis erit in die iudicij nouissimo? Quid de nobis faceret mundus, si super nos potestatem haberet? Quare tenete iustitiam, nolite lucrum facere, sed habentes victum & vestitum contenti per omnia esse debetis. Sed, qui celebrat, vel *a* prædicat, vel baptizat, vt inde lucrum acquirat, bonis cælestibus de facto se priuat, &c. *S. August. serm. 36. & 37. ad fratres Eremi.*

Non

a Non poßum hic prauam tempeſtatis noſtræ conſuetudinem non deplorare, vbi Prædicatores verbi Dei tam licentioſe ab auditoribus prædicationis ſuæ mercedem exigunt: ac ſicut populus de mercatura ſua lucrũ quærit, de prædio pretium poſtulat, de equo pecuniam; ſic Sacerdos in mercede docere debeat, & in pecunia, iuxta Prophetam, diuinare; ac de verbis Domini lucrum non modo petere, ſed exigere; non poſtulare, ſed extorquere. Fortaſſe tamen aliquid ſibi licere perſuadent, ex eo, quod in libro primo Regum legimus, Saulem, volentem ire ad Samuelem, dixiſſe puero ſuo: ad illum ſe ire non poſſe quia pretium, quod offerret pro vaticinio, non haberet. ac puerũ reſpondiſſe: Ecce inuẽta eſt in manu mea quarta pars ſicli pecuniæ, & dabo viro Dei, & annunciabit viam meam. quia, vt ait Hieronymus, non eſt ſcriptum, quod Samuel acceperit, aut quod illi obtulerint; quin potius à Propheta ſunt ad prandiũ inuitati. Minus q. obſtat, quod in tertio Regũ libro traditum eſt, quod vxor Ieroboam infirmante filio perrexerit ad Abiam hominem Dei, & detulerit ei panes, & vaſculum mellis: dicitur enim, quid ſecum illa portauerit; ſed Propheta tamen non dicitur accepiſſe, immo vero illam corripuiſſe, ac venturum luctum prædixiſſe. Neque me latet Concilij Tridentini decretum, vbi prædicatoribus ſubueniendum præcipitur impenſis eorum, qui eas præſtare vel tenentur, vel ſolent. Abſit procul à me, vt contra illud quidquam aſſerere auderem, qui potius obſeruandum id eſſe & fateor, & totis viribus defendam. At vero illam ambiendorum pulpitorum, ac locorum, vbi prædice-

Mich. 3.

1. Reg. 9.

1. q. 1. c. iudices.

cap. 3. Mich.

3. Re. 14.

dicetur, licentiam, ne dicam petulantiam, ac temeritatem quorundam, qua propter lucrum non animarum, sed temporale, à sanctissimis Episcopis extorquere conantur prædicandi facultatem, hanc damno, detestor, exsecror. Quia, cum præcipue subsidia temporalia exinde requirant, verbum etiam Dei exteriori quadam locutione prædicant, non cordis affectu: quo fit, vt auditores, cernentes doctores suos tam auide transitoriis lucellis inhiare, prædicationi quoque eorum perfunctorie, oscitanter, & quasi aliud parui momenti agentes adsistant. Si autem Sacerdos, cui delegatum sit officium prædicandi, foret cura temporalium solutus, neque ab auditoribus quidquam præcipue exspectaret, non adulatorie, non perfunctorie ad aures tantum prædicaret verbum Dei, sed ad cor Ieruſalem: arguendo cum omni imperio, euellendo, destruendo, dissperdendo, & dissipando, si necesse sit, non consuendo puluillos, iuxta Prophetæ dictum, in omni cubito manus; & faciendo ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Ac rursus populus, qui in Prædicatores, tamquam in speculum, oculos conijcit, ex iisq; sumit quod imitetur, si videret eos veritatem libere proclamare, nihil habens maledicere de illis, in melius sine dubio per eorum doctrinam proficeret, vitamq; suam corrigere conaretur. Vid S. Gregorium Moralium l. 24. c. 10.

Isa. 40.
Iere. 1.
Eze. 13.
Trid. vbi supra.
1. Ti. 3.

De eodem: & quod sponte oblatum recipi potest.

30 SI Sacramentum dare distuleris, etiam si fueris omni paupertate vallatus, non pastor es, non Christi

Christi minister es, sed mercator. Non igitur petas, non etiam tantum pro baptismo recipias, si cum Simone Mago perire non velis: nam facto pacto Sacramentum vendidisti, & Saluatorem tuum perdidisti cum Iuda. Spontanea, & sincera voluntate porrige Sacramenta, nihil promittendo, nihil expectando, nihil de promisso desiderando. Sed, si tibi datur, iuste recipis, iuste possidere potes. Memento tamen, quod Sacerdos pauperem vitam gerere debet, &c. *S. August. de serm. 36. & 37. ad fratres Eremi.*

Deponatur Sacerdos exigens pretium ab eo cui sacram Communionem dispensat.

NVLLVS Episcopus, aut Presbyter, aut Diaco- 31
nus, qui sacram dispensat Communionem, à percipienti gratiam communionis aliquod pretium exigat. Neq; enim venditur gratia, neq; pro pretio gratiam Spiritus sancti damus; sed dignis muneribus sine defraudatione participare concedimus. Si quis vero eorum, qui connumerantur in clero, ab eo, qui sacram Communionem dispensat, aliquod pretium exegerit, deponatur, sicut imitator simoniacæ fraudis. *Sexta Synod. 1. q. 1. c. eod. 1. quidquid inuisibilis, cum seqq.*

Sanctissima res, pretio nummario æstimanda, de honestandaq; non est.

Vlpianus ff. de extraord. cognit. l. prima. 32

CAPVT VIII.

Non turpis lucri cupidum.

NE SIT TVRPIS LVCRI CVPIDVS SACERDOS: NE VSVRARIVS, NE FVR, NE FALSARIVS, NE ALEATOR.

SVMMARIVM.

TVRPE *lucrum, quid sit.* 2.
Per id nihil Clericus acquirat. 4. 5.
Neq; sit conductor, aut procurator priuatorum. 5.
Iniqui vndequaq; etiam ex malo lucrum acquiri posse existimant. 2.
Vsuræ non exigendæ. 1.
Vsurarij Clerici qua pœna mulctandi. 6. 7.
Clericus furtum faciens septem annis pœniteat. 8.
Clericus falsarius qualiter puniendus. 9.
Clericus alea ludens excommunicetur. 10.
Nec ludis interfit. 11.
Contrafaciens qua pœna mulctandus de iure ciuili. 12.

SIpecuniam mutuam dederis populo meo pau- 1
peri, qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante Solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat: si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. *Exod.* 22. *Leu*, 25. *Deuter.* 23. 29. 2. *Esdræ* 5. *Psalm.* 14. 54. 71. *Prouerb.* 28. *Ezechiel*, 1. 8.

Æstimauerunt lusum esse vitam nostram, & 2
conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere vndecumque etiam ex malo acquirere. *Sap.* 15.

Turpe lucrum quid sit.

MVLTA sunt negotia sæcularia, de quibus pau- 3
ca perstringemus, &c. Quidquid plus iusto appetit homo, turpe lucrum est, munera iniusta accipere, vel etiam dare, &c. *Vide sup. c. 3. de rebus Sacerdoti prohibitis in genere, n. 5.*

Clericus nihil per turpe lucrum acquirat.

QVÆ per turpe lucrũ in rebus Ecclesiasticis effi- 4
ciuntur, aliena consistunt à Deo. Ad vitæ vero huius necessitatem studia sunt diuersa. Ex eis ergo, qui voluerit, acquirat corporis opportuna. Ait enim Apostolus: Ad ea, quæ mihi opus erant, & iis, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. *Septima Synodus Nicæna c. 15. Rhem. c. 3. Iuo p. 6. c. 311. 21. q. 1. c. Clericus.*

De eodem: & quod non sit Clericus conductor, aut procurator priuatorum.

5 PLACVIT, vt Presbyteri, atque Diaconi, vel Clerici, non sint conductores, aut procuratores priuatorum, neque vllo turpi, & in honesto negotio victum quærant: quin respicere debent scriptum
2.Ti.2. esse: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. *Concil. Carthagin.* 3.c.15. 21.q.3.c. *placuit. Paris.c.28.de vita, & hon.Cler.c.fin.*

Si quis Clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit degradari, & abstinere scilicet à Sacramentis, quousq; pæniteat.

6 *Concil. Eliber.dist.47.c.eod.*

Presbyter, aut Diaconus, vsuras à debitoribus exigens, aut desinat, aut certe damnetur.

7 *Canon Apostolorum 44. Concil. Nicænum c.17. Tarracon.c.3. Carthagin.1.c.16.dist.47.c. Episcopus, & per totam.14.q.4.c.ne hoc.de vita, & hon.Cler.c.2. Iuo p.6.c.65.66.195.*

Si quis Clericus furtum fecerit capitale, id est, quadrupedem, vel domũ fregerit, aut quamlibet rem melioris pretij furatus fuerit, septem annis pæniteat.

8 *Pœnitentiale Roman.17.q.4.c.eod.* Falsa-

Falsarij Clerici pœna.

OMNES falsarios literarum nostrarum, qui per 9
se, vel per alios falsitatis vitium exercent, cum fautoribus, & defensoribus suis, anathematis vinculo decernimus innodatos: statuentes, vt Clerici, qui falsarij fuerint deprehensi, omnibus officiis, & beneficiis Ecclesiasticis perpetuo sint priuati; ita quod, qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticum iudicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur, secundum constitutiones legitimas puniendi, per quam & laici qui fuerint de falsitate conuicti, legitime puniantur, si clerici fuerint, officiis & beneficiis Ecclesiasticis puniuntur. *Vrbanus 3. de crim. falsi, c. ad audientiam, c. dura. c. ad falsariorum, de verborum sign. c. nouimus 2.*

Clericus alea ludens excommunicetur.

NVLLVS omnino Clericus ab hoc deinceps 10.
tempore alea ludat: qui secus fecerit, excommunicetur. *Canon Apostolorum 42. dist. 35. c. Episcopus. sexta Synodus c. 50.*

Adaleas, & taxillos non ludant Clerici, nec huiusmodi ludis intersint.

Innoc. 3. de vita & hon. cler. c. pen. ne Cler. vel mon. 11
cap. 1.

De pœna ludentium Sacerdotum, aut ludis assistentium, de Iure ciuili.

52 INTERDICIMVS sanctissimis Episcopis, & Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, & Lectoribus, & omnibus aliis cuiuslibet Ordinis venerabilis collegij, aut schematis constitutis ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes esse, aut inspectores fieri, aut ad quodlibet spectaculum spectandi gratia venire. Si quis autem ex his in hoc deliquerit, iubemus hunc tribus annis à venerabili ministerio prohiberi, & in monasterium redigi. Sed in medio tempore, si se pœnitentem ostenderit, liceat Sacerdoti, sub quo constitutus est, tempus minuere, & hunc priori rursus ministerio reddere. *Auth. de Episcopis, & Cler. §. interdicimus, coll. 9. de vita, & hon. Cler. cap. Clerici officia.*

CAPVT IX.

Non neophytum.

NE SIT NEOPHYTVS SACERDOS: NE ILLEGITIMVS: NE HÆRETICVS, AVT HÆRETICORVM FAVTOR: NE APOSTATA.

SVMMARIVM.

ENES, *& in lege periti, ad Reip. administrationem assumendi.* 1. 5.

Pseudoprophetæ, & fabricatores errorum non audiendi, neq; occultandi, sed manifestandi, vt abscindantur. 1. 4. 6.

Qui fidem numquam mutant, à Domino remunerandi. 3

Manus cito nemini imponendæ. 7.

Quis dicatur Neophytus. 8.

Ille autem in Presbyterum non ordinandus, & quare. 9. 10.

Illegitimi non promouendi. 12.

Clerici hæretici, & eorum fautores qualiter puniendi. 13. 14.

Non solum boni mores, sed & nobilitas generis honores commendat. 15.

Ad dignitatem aliquam administrandam requiruntur tria; scilicet, sapientia, genus, fortitudo. 16.

Monachus recipiens Ordinem sacrum in apostasia non dispensatur nisi per Romanum Pontificem. 17.

1 CONGREGA mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti quod seues populi sint ac magistri: & duces eos ad ostiũ tabernaculi fœderis, faciesq; ibi stare tecum, vt descendã & loquar tibi: & auferã de spiritu tuo, tradamq; eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. *Nu.* 11.

2 Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, prędixerit signũ atq; portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, &c. non acquiescas ei, nec audias, neq; parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum; sed statim interficies, &c. lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, &c. *Deuter.* 13. 18.

3 Nolite ita loqui; quoniam filij Sanctorũ sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutãt ab eo. *Tob.* 2.

4 Abierunt in confusionem fabricatores errorum. *Isa.* 45.

5 Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis vsq; in diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnũ ex istis. *Act.* 1.

Abscin-

Abscindantur qui vos conturbant. *Gal.* 5. 6

Manus cito nemini imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis. 1. *Tim.* 5. 7

Quis dicatur Neophytus.

SICVT Neophytus tunc dicebatur, qui initio sanctæ fidei erat eruditione plantatus: sic modo Neophytus habendus est, qui repente in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores sacros irrepserit. Ordinate ergo ad Ordines accedendum est. Nam casum appetit, qui ad summi loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quęrit ascensum. Scimus autem, quod ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, nisi à nouitatis suę humore siccentur: ne, si ante pōdera, quam solidentur, accipiant, cuncta simul fabricā ad terram deponant. *S. Greg. l. 7. ep. 110. ad Siagrium Episcopum. l. 4. ep. 51. ad Virginium, dist. 48. c. eod. Conc. Trid. sess. 23. c. 14. Iuo. p. 5. c. 131. S. Nicolaus ep. 2. & 10.* 8

Neophytus in Presbyterum non ordinandus.

QVONIAM multa, siue per necessitatem, siue ex quacumque causa, contra regulam gesta sunt: ita, vt homines ex vita gentium nuper adhuc catechizati, vel instructi, statim ad spiritalem baptismū veniissent; & continuo, cum baptizati sunt, etiam ad Presbyteriū prouecti sunt. Recte igitur visum est, de cætero nihil tale debere fieri. Nam & tempore opus est, vt sit catechumenus, & post baptismum multa probatione indiget, &c. *Concil. Nicænum dist. 48. cap. eod.* 9

Neophytus ad dignitatem promotus existimat se esse Ecclesiæ necessarium, & aliis meliorem.

10 QVANDO aliquis de nouo venit ad fidem, & ad conditionem aliquam promouetur, reputat se aliis meliorem, & valde necessarium; quasi, nisi ipse esset, non haberent, vnde prouideretur Ecclesiæ. *S. Thom. super epist. 1. ad Timoth. c. 3.*

Miserum est, eum fieri magistrum, qui necdum didicet esse discipulus.

11 *Innoc. 1. ep. 12. ad Aurelium dist. 61. c. eod.*

Illegitimi non promouendi.

12 FILII Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati ad sacros Ordines non promoueantur, &c *Concil. Pictau. de filiis Presb. c. 1.*

Hæretici Clerici qualiter puniendi.

13 EXCOMMVNICAMVS, & anathematizamus omnem hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam, Orthodoxam, & Catholicam fidem, condemnantes hæreticos vniuersos, quibuscumque nominibus censeantur; facies quidem diuersas habentes, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsũ. Damnati vero præsentibus sæcularibus Potestatibus, aut eorum Balliuis relinquantur animaduersione debita puniendi, Clericis prius à suis Ordinibus degradatis: ita,

tu, quod bona huiusmodi damnatorum, si laici fuerint, conficiscentur; si vero Clerici, applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt. *Innoc. 3. de hæretic. cap. eod. 1. & §. damnati, & c. excommunicamus. 2.*

Hæretici, & fautores eorum, vsque ad secundam generationem ab Ecclesiasticis beneficiis, & publicis officiis repellendi.

HÆRETICI, credentes, receptatores, defenso- 14
res, & fautores eorum, ipsorumque filij, vsque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum, admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane. Adhæc, quoscumq; viros Ecclesiasticos, qui ad preces huiusmodi pestilentium personarum dignitates, personatus, & quæcumque alia Ecclesiastica beneficia sunt adepti, ex nunc priuamus taliter acquisitis: volentes, quod tales & habitis careant perpetuo; &, si receperunt illa scienter, ad alia, vel similia nequaquam in posterum admittantur. *Alex. 4. de hæret. c. 2. l. 6. §. hæretici autẽ. & §. ad hæc. Bonif. eod. l. & tt. c. statut. 2.*

Merito hæreticorum filii parentum bonis priuantur, & infamia notantur. Nam, sicut filij hominum benemeritorum parentum meritis nobilitantur, quamuis ipsi nihil fecerint, propter quod nobiles essent, vt eleganter differit Seneca l. 4. de beneficiis: sic è contrario, male meritorũ filij parentum scelere obscurantur, & infamia iuste notãtur. Bona si quidẽ corporis, & quæ fortunæ

tunæ vocantur, à parentibus in liberos naturaliter transeunt, & similiter mala: vt tradit Innocentius. 3. de hæreticis c. vergentis. & Plutarchus lib. de iis, qui sero à numine puniuntur.

Non solum boni mores, sed & generis nobilitas homines commendat.

15 DOCET nos Scriptura diuina, non solum mores in iis, qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari, vt veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas in his, quos volumus, laudari præcellat, &c. Sic etiam Sancti Samuel mater Anna laudatur; sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit. Sacerdos itaque Zacharias non solum Sacerdos, sed etiam de vice Abia, id est, nobilis inter superiores semine, &c. Neque solum à parentibus, sed etiam à maioribus Sancti Ioannis nobilitas propagatur; non sæculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis, &c. S. *Ambrosius l. 1. in Lucam, à principio.*

Tria requiruntur ad dignitatem aliquam administrandam: scilicet Sapientia, Genus, Fortitudo.

16 TRIA requiruntur, quæ faciunt facilitatem ad dignitatem aliquam administrandam. Primum quidem Sapientia, ne erret in gubernando. Secundum est Generis prosapia, ne contemnatur præ-

præcipiendo. *Prouerb. c. vlt.* Nobilis in portis vir eius cum sederit cum Senatoribus terræ. Tertium Virtutis potentia in exequendo. *S. Thom. super ep. ad Hebr. c. 1. lectione 2.*

Monachus recipiens Ordinem sacrum in apostasia, non dispensatur nisi per Romanum Pontificem.

MONACHVS aliquem sacrum Ordinem in apo- 17
stasia recipiens, quamlibet suo fuerit reconcilia-
tus Abbati, & receperit pœnitentiam, absque di-
spensatione Romani Pontificis ministrare non
poterit in Ordine sic suscepto. *Honorius 3. de apostatis, c. fin.* Neque post apostasiam ad aliquem ordinem debet promoueri. *dist. 50. cap. fin.*

CAP.

CAPVT X.

Non superbum.

NE SIT SVPERBVS SACERDOS.

SVMMARIVM.

QVI per arrogantiam in nomine Dei loquitur, quæ ille non præcepit, interficiendus. 1
Abominatio Domini est omnis arrogans. 2.
In die honoris non superbiendum. 3. 4.
Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 5.
Sacerdos superbus sibi est dæmon, & hostis. 6.
Superbiæ signa. 7. 8.
Et effectus. 9.
Sacerdos magis cogitare debet, quod sibi deest, quam quod habet. 10.
Et peccata aliena non per superbiam corrigere. 11.
Illa autem non potest esse sine pusillanimitate. 12.

1 PROPHETA qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. *Deut.* 18. 13.

2 Abominatio Domini est omnis arrogans: etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens. *Prou.* 16.

In

In die honoris tui ne extollaris,&c. *Eccl.* 11. 3
Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in il- 4
lis quasi vnus ex ipsis. *Eccl.* 32.
Deus superbis resistit, humilibus autem dat 5
gratiam. 1. *Pet.* 5.

Sacerdos superbus sibi est dæmon, & hostis.

SACERDOS superbus dæmone opus non habet: 6
ipse enim iam sibi & dæmon, & hostis, & inimicus est. Alieniſſimæ à luce sunt tenebræ: ita, & superbus a virtute omni alienus est. *S. Io. Climacus gradu.* 22.

Signa superbiæ.

SVPERBIÆ signa hæc sunt, clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, honestas in imagine, in honestas in actione, rancor in reprehensione. *S. Bernardus de interiori domo c. 41. ex S. Gregor. Moral l. 34. c. 18. vbi tamen legitur, Rancor in responsione, non in reprehensione, vt hic; & additur, erectio in incessu.* 7

De eodem.

INEST primitus in loquela superbi clamor, ama- 8
ritudo in taciturnitate, excelsus & effusus in lætitia risus, irratiõabilis in seueritate tristitia, in reprehensione rancor, facilitas in sermone, verba passiua sine vlla cordis grauitate erumpentia. Expers patientiæ est, caritatis aliena, audax ad cõtumelias irrogãdas, pusillanimis, ad tolerandas, ad obediendũ

difficilis, nisi in quo eum desiderium suum, voluntasque præuenerit, &c. *Cassianus lib.12.c.29.collat.16.c.24.S.Bonau.in Pharetra l.2.c.6.ex S.Gregorio, Moral.l.34.c.18. Idem S.Bonauen. in speculo disciplinæ post partic.4.c.5.*

Effectus superbiæ.

9 QVISQVIS superbiæ morbo fuerit occupatus, non solum nullam subiectionis, aut obedientæ regulam custodire dignatur, verum ne ipsam quidem auribus suis doctrinam perfectionis admittit, &c. Pro suspiriis salutaribus sputa de sicco gutture corraduntur, excreationis etiam sine vlla interpellatione phlegmatis prouocantur, digiti ludunt, & in modum quiddam scribentis volitant, atque depingunt: & ita huc, atque illuc vniuersa corporis membra commouentur, vt, dum spiritualis agitatur collatio, totum se vel scatentibus vermibus, vel acutissimis sudibus credat insidere, & quidquid simplex collatio ad ædificationem protulerit audientium, ob suam fugillationem existimet esse prolatum. *Idem Cass.l.12. c.27. S.Bonauen. opusculo de perfectione vitæ, c.2.*

Magis cogitandum Sacerdoti, quid desit sibi, quam quid habeat.

10 MAGIS cogitare debetis, quid vobis desit. Quod habes, caue, ne perdas: quod nondum habes, supplica, vt habeas. In quantum sis minor, est considerandum, non in quantum sis maior. Si enim cogitas,

tas, quantum præcessisti alterum, time tumorem: si vero cogitas, quantum tibi deest, ingemiscis, curuaris, non laberis. *S. Bernard. super Cant. serm. 59.*

Peccata aliena non corrigenda per superbiam.

BENE alieni peccati curanda vitia suscipit, qui hoc ex cordis dilectione, & humili conscientia facit. Ceterum, qui delinquentem superbo, vel odioso animo corripit, non emendat, sed percutit: quidquid enim proteruus, vel indignatus animus protulerit, obiurgantis furor est, non dilectio corrigentis. *S. Isidorus de summo bono libro 3. cap. 41.* 11

Superbia non potest esse sine pusillanimitate.

S. Bernardus vbi sup. serm. 59. super Cantica. Alia vide sup. p. 2. c. 8. §. 3. de humilitate. 12

CAPVT XI.

Non iracundum.

NE SIT IRACVNDVS SACERDOS:

NE IVRET, NE BLASPHEMET.

SVMMARIVM.

VIR *facilis ad indignandũ, est ad peccandum procliuior.* 1.

Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. 3.

Et eius tyrannis crudelior est tyrannide voluptatis. 5.

Proinde ante omnia vitia fugienda. 6.

Nec licet Sacerdoti ab illa superari. 4. 14.

Alioqui à Sacerdotio arcendus. 5.

Vbi furor. ibi libido. 7.

Necessaria tamen est ira, non vt domina, sed vt ancilla. 8.

Quæ autem sit iusta. 9.

Non iurandum per cælum, neque per terram. 2. 10. 11. 12.

Quando autem Sacerdoti necesse sit iuramentum præstare, qualiter id facere debeat. 11.

Cuiquam tamen laico super Euangelia iurare Sacerdos non debet. 12.

Neque

Neque per creaturas iurare, sub excommunicationis pœna. 13.
In periurio Sacerdos captus deponendus, & ab officio & beneficio suspendendus. 14.15.
Contra blasphemum Clericum qualiter procedendum. 16.17.

QVI ad indignandum facilis est, erit ad pec candum procliuior. *Prou.* 29. 1

Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est, &c. Sit sermo vester, Est, est; Non, non: quod autem his abundantius est, à malo est. *Matth.* 5. 2

Sit tardus ad iram: ira enim viri, iustitiam Dei non operatur. *Iacob.* 1. 3

Non licet Sacerdoti esse iracundo, aut furibundo.

NON licet Sacerdoti percutere seruos, non occidere, non iracundiam portare: quia Dominus eius humilis, benignus, & misericors est. non ergo licet furiosum esse Sacerdotem. Nihil enim fetidius, nihil damnosius, nihil leuius, nihil turpius in pastore furiositate. *S. Augustinus serm. 36. ad fratres Eremi.* 4

Ira tyrannis crudeliot tyrannide voluptatis; &, qui eam habet, à Sacerdotio arcendus.

EST quædam voluptas iræ excandescentia, 5

cuius tyrannis Sacerdotis animum vbi possedit, voluptatis tyrannide crudelior, truculentiorque est, &c. *Et paulo superius*: Huiusmodi autem ingenio præditi homines ab Episcopatus cancellis, à Sacerdotij claustris procul arcendi sunt. Nam Episcopum inedia minime extenuari, cruciariue, tum eundem nudis pedibus non ingredi, id certe nihil incommodabit Ecclesiæ vniuersitati: at vero agrestioris animi ferocitas, furorque tum domino possessorique suo, tum etiam proximo ingentium calamitatum auctor sæpe fuit, &c. *S. Chrysost. de Sacerdotio l.* 3.

Iracundiæ vitium ante omnia vincendum.

6 SICVT nihil est præponendum caritati; ita furori, vel iracundiæ, nihil est è contrario postponendum. Omnia namque, quamuis vtilia, ac necessaria videantur, spernenda tamen sunt, vt iræ perturbatio deuitetur. *Cass. Coll.* 16. *c.* 7.

Vbi furor, ibi libido.

7 VBI furoris infederit virus, libidinis quoque necesse est incendium penetrare. *Idem Cassian. l.* 6. *c. fin. & coll.* 12. *c.* 6. Quia vir iracundus inhonestus est. *Ex Prouerbiis Salomonis c.* 11. *iuxta translationem lxx. Interpretum, secundum eundem Cassianum. l.* 8. *c.* 1.

Ira necessaria vt ancilla, non vt domina.

8 CVRANDVM summopere est, ne ira, quæ instrumen-

strumentum virtutis assumitur, menti dominetur; ne quasi domina præeat, sed quasi ancilla, ad obsequium parata, à rationis tergo numquam recedat. *S. Gregor. Moral. l. 5. c. 31. l. 26. c. 28. l. 7. ind. 2. tp. 126. S. Bonauen. in Phar. l. 4. c. 36.*

Ira iusta est, qua quis irascitur suis, & alienis peccatis.

Gloss. super Ps. 30. Cass. l. 8. c. 8. Alia vide sup. p. 2. c. 3. §. 3. de suauitate in verbis, & c. 8. §. 1. de modestia, & §. 2. de patientia. 9

Nullo modo iurandum, & quare.

Dico vobis, non iurare omnino: ne scilicet iurando semel ad facilitatem iurandi veniatur, ex facilitate ad consuetudinem, & ex consuetudine in periurium decidat. *S. August. de mendacio.* 10 Matt. 5.

Sacerdos ex leui causa iurare non debet; quando autem sit necesse qualiter id faciendum.

Si quis Presbyter contra laicum, vel laicus contra Presbyterum aliquam habet querimoniæ controuersiam, Episcopo præcipiente, sine personarum acceptione finiatur: & laicus per iuramentum, si necesse sit, se expurget; Presbyter vero vice iuramenti per sanctam consecrationē interrogetur. Quia Sacerdotes ex leui causa iurare non debent. Manus enim, per quam corpus & sanguis 11

Christi conficitur, iuramento polluetur? Absit, cum Dominus in Euangelio discipulis suis (quorum vicem nos indigni in sancta gerimus Ecclesia) dicat: Nolite omnino iurare: Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non: quod autem his abundantius est, à malo est. *Concil. Tribur. 2. q. 4. c. eod.*

Matt. 5.

Nullus Clericus cuiquam laico iuret super Euangelia.

12 NVLLVS ex Ecclesiastico Ordine cuiquam laico quidquam super sacrosancta Euangelia iurare præsumat, sed simpliciter cum veritate dicat, Est, est; Non, non. Sed, si est aliquid, quod tibi obijciatur, prout iudicauerint qui eiusdem Ordinis sunt, aut corrigatur, aut expurgetur. *Concil. Rhem. 22. q. 5. c. eod.*

Clericum per creaturas iurantem acerrime obiurgandum; si perstiterit in vitio excommunicandum.

13 *Concil. Carthag. 4. c. 60. 61. 62. 80. 82. q. 1. cap. eod. cap. si quis.*

Sacerdos in periurio captus deponatur.

14 PRESBYTER, aut Diaconus, qui in periurio captus est, deponatur; non tamen communione priuetur: dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipsum. *Can. Apostolorum. 25. dist. 81. cap. eod.*

Num. 1.

Iuo p. 6. cap. 3.

Clerici

Clerici periuri ab officio & beneficio suspendendi.

CLERICOS, si religionem fidei, & iuramenti 15
sui violasse constiterit, ab officio & beneficio suspendatis. *Lucius 3. de fideiuß. c. peruenit.* Quia non merentur Ecclesias regere, qui sunt crimine periurij irretiti. *Alex. 3. de iureiur. c. querel.*

Qualiter procedendum contra Clericum blasphemum.

QVICVMQVE Deo palam maledixerit, contu- 16
melios atque obscenis verbis Dominum nostrum Iesum Christum, vel glorioſam Virginem Mariam expresse blasphemauerit, si Clericus vel Sacerdos fuerit, eo ipso, quod de delicto huismodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum, quæcumque habuerit, fructibus, applicandis vt infra, vnius anni spatio mulctetur. & hoc sit pro prima vice, qua blasphemus ita deliquerit: pro secunda, si ita deliquerit, & conuictus fuerit, si vnicum habuerit beneficium, eo priuetur; si autem plura, quod ordinarius maluerit, id amittere cogatur: si tertio arguatur, & conuincatur, dignitatibus, & beneficiis omnibus, quæcumque habuerit, eo ipso priuatus existat, ad eaque vlterius retinenda inhabilis reddatur; eaque libere impetrari, conferrique possint. *Concil. Lateran. sub Leone X. cap. de reform. curiæ, & aliorum.*

De eodem.

17 Si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur. S. *Pius Papa 22.q.1.c. eod.*

CAPVT XII.

NE SIT FORNICARIVS SACERDOS, AVT ALIIS CARNIS OPERIBVS INSERVIAT.

SVMMARIVM.

AMERETRICE *longe fugiendũ, quia nouissima illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.* 1. 2.

Melius est habitare cum iniquo viro, quam cum muliere benefaciente. 3.

Fornicatio, & omnis immunditia nec nominanda, quia omnis fornicator, & immundus non habet hereditatem in regno Dei. 4.

Qui post acceptum Ordinem sacrum in peccatum carnis lapsus fuerit, deponatur, ex Apostolico decreto. 5.6.

Secundum vero decretum Canonis pœnitentialis aliter puniendus. 7.

Non

Non tamen sicut laicus publice debet pœnitere. ibidem.
Libido sœuus criminum stimulus. 8.
Adulter Clericus qualiter puniendus. 9.
Qualiter concubinarius. 10. 11.
Eius Missa non audienda. 12. 13. 14.
De Presbyteris, qui filios habent. 15. 16. 17.
Clericus contra naturam peccans qualiter puniendus. 18.
Maiorum criminum pœna septem annorum spatio concluditur, nisi peccatum sit contra naturam, aut quid simile. 19.
Tantum enim annorum inuenitur pœnitentia imposita. ibidem.
Clerici matrimonia contrahentes ipso facto excommunicati. 20.
Subdiaconus matrimonium contrahere non potest. 21.
Sacerdos cum filia spirituali fornicationem committens qualiter puniendus. 22.
Caute procedendum in principiis familiaritatum cum feminis. 23. 47.
Quia periculosæ, & pernicioſæ sunt eiusmodi familiaritates Sacerdotibus, maxime cum illis feminis, quæ spirituales videntur. 24.
Vere enim continens etiam probarum feminarum familiaritates fugit. 25. 26. 47.
Vt serpentes. 27.
Vt ignem. 28.
Neque solus cum sola sedere debet Sacerdos. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39.

Quantumuis despecta, & vetula, quia citius delinquitur vbi securius viuitur. 41.
Neque cum extranea. 42.
De quo optima documenta. 40.
Licet tamen Sacerdoti cum aliquibus conuersari. 43. 44. 45.
Id tamen vrgente necessitate, & qualiter cum illis colloquendum. 27. 28. 29. 30. 31. 32.
Clericus frequentans monasteria monialium qualiter coercendus. 46.
Ieiunia legitima quæ. 7.
Subintroductæ mulieres quæ. 12. *Coinductæ, Alienæ. ibidem.*
Agapeta quæ. 34.

1 FAVVS distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps, &c. Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius, &c. *Prou.* 5.

2 Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus viatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius. qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. *Eccl.* 7.

3 In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Melior est enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens. *Eccl.* 42. *Intellige, ad cohabitandum.*

4 Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, &c. Quia omnis

omnis fornicator, aut immundus non habet hereditatem in regno Christi, & Dei. *Ephes.* 5.

Qui post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro Ordine ita careat, vt ad altaris ministerium vlterius non accedat.

S. Gregor. dist. 50. *c. peruenit.* 5

Presbyter, qui in fornicatione captus est, deponatur; non tamen communione priuetur: dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipsum. *Num.* 1.

Canon Apostolorum 25. *dist.* 81. *c. eod.* 6

Sacerdos fornicarius qualiter ex decreto Canonis pœnitentialis puniendus; non tamen publice, sicut laicus. Et eodem modo puniendus omnis, qui deponendus.

Presbyter, si fornicationē fecerit, quamquam 7
secundum Canones Apostolorum debeat deponi; tamen iuxta auctoritatem Beati Papæ Siluestri, si in vitio non perdurauerit, sed sua sponte confessus adiecit, vt resurgat, decem annis in hunc modum pœniteat: tribus quidem mensibus priuato loco à ceteris remotus pane & aqua, à vespera in vesperam vtatur; tantum autem diebus Dominicis, & præcipuis festis modico vino, & pisciculis, atque leguminibus recreetur, sine carne & sanguine, ouis, & caseo: sacco indutus humi

adhæ-

adhæreat; die ac nocte iugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret. finitis tribus mensibus continuis exeat; tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum patiatur. Neq; enim debet Sacerdos publice pœnitere, sicut laicus. Postea aliquantisper resumptis viribus, vnum annum & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis Dominicis, & præcipuis festis, in quibus vino, & sagimine, ouis, & caseo, iuxta canonicam mensuram vti poterit. finito primo anno & dimidio, corporis & sanguinis Domini, ne indurescat, particeps fiat, & ad pacem veniat; Psalmos cum fratribus in choro vltimus canat; ad cornu altaris non accedat; iuxta B. Clementis vocem, minora gerat officia. Deinde vero vsq; ad expletionem septimi anni, omni quidem tempore, exceptis Paschalibus diebus, a tres legitimas ferias in vnaquaq; hebdomada in pane & aqua ieiunet. Expleto septimo anni circulo, si sui confratres, apud quos pœnituit, eius condignam pœnitentiã collaudauerint, Episcopus in pristinum honorem, iuxta B. Calixti Papæ auctoritatem, eum reuocare poterit. Sane sciendum est, quod secundam feriam, vnum psalterium canendo, aut vnum denarium pauperibus dando, (si opus est) redimere poterit. Finitis autem septem annis, deinde vsque ad finem decimi anni sextam feriam (nulla interueniente redemptione) obseruet in pane & aqua. Eadem quoque pœnitentia erit Sacerdoti, de omnibus aliis peccatis, & criminibus, quæ eum in depositionem inducunt.

cunt. *Ex Canonibus Theodori Hibernensis dist. 82. cap. eod.*

a Ieiunia legitima] *Intelliguntur soluenda feria quarta, & sexta, in illa propter initum à Iudæis Concilium de proditione Domini; in hac, quod in ipsa pro nobis Dominus passus sit: vt colligitur ex S. Apollonio de consecr. dist. 3. c. ieiunia. Canon Apostolorum 68. S. Clemens de constit. Apostolorum l. 5. c. 16. l. 7. c. 22. S. Ignatius ep. ad Philippenses. Tertullianus aduersus Psychicos, c. 10. Rabanus Maurus de institutione clericorum l. 2. c. 24. S. Leo serm. 4. de ieiunio septimi mensis, & alibi sæpe. S. Epiphanius hæresi 75. contra Aëtium. Origenes hom. 10. in Leuit. S. Cyrillus in Leuiticum l. 10. Item, & feria secunda, vt in suprad. c. presbyter, dist. 82. 11. q. 3. c. de illis. 22. q. 5. c. 1. Aliqui tamen, teste Ludouico Romano, pro secunda feria ponunt sabbatum. Vide S. Isidorum de officiis l. 1. c. 42. & Rabanum vbi sup. Iuonem p. 4. c. 28. Romæ tamen consuetum esse ieiunare tribus per hebdomadam diebus, nempe feria quarta, sexta, & sabbato, testis est S. Augustinus ep. 86. ad Casulanum.*

Libido sæuus criminum stimulus.

SÆVVS criminum stimulus libido est, quę num- 8
quam manere quietum patitur affectum: nocte feruet, die anhelat. *S. Ambros. de Abel, & Cain.*

Clericus adulter qualiter puniendus.

SI quis Clericus adulterasse, aut confessus, aut 9
conuictus fuerit, depositus ab officio, communione

nione conceſſa, in monaſterio toto vitæ ſuæ tempore detrudatur. *Concil. Aurelian. diſt.* 81. *c. eod.*

Clericus concubinarius qualiter puniendus.

10 QVAM turpe, ac Clericorum nomine, qui ſe Diuino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus, immundoq; concubinatu verſari, &c. Prohibet ſancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio in domo, vel extra detinere, aut cum iis vllam conſuetudinem habere audeant; alioquin pœnis, à ſacris Canonibus, vel Statutis Eccleſiarum impoſitis, puniantur. Quod ſi, à ſuperioribus moniti ab iis ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum ſuorum quorumcumque, & penſionum, ipſo facto ſint priuati, quæ fabricæ Eccleſiæ, aut altari pio loco arbitrio Epiſcopi applicetur. Sin vero, in delicto eodem cum eadem, vel alia femina perſeuerantes, ſecundæ monitioni adhuc non paruerint: non tantum fructus omnes, ac prouentus ſuorum beneficiorum, & penſiones eo ipſo amittant; ſed etiam ab ipſorum beneficiorum adminiſtratione, quoad Ordinarius, vti Sedis Apoſtolicæ delegatus, arbitrabitur, ſuſpendantur: &, ſi ita ſuſpenſi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam verſentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & penſionibus quibuscumque Eccleſiaſticis perpetuo priuentur;

atque

atque inhabiles, ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quæuis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat, &c. *Concil. Tridentin. Sess. 25. c. 14. de cohabit. Cler. & mulier. c. 2. & 3. de sentent. excom. c. si concubinæ. Concil. Aurelian. 3. c. 14.*

De eodem.

SI Clerici tuæ iurisdictionis, siue in sacris Ordinibus, siue in inferioribus constituti, fornicarias detinent; nisi eas ad secundam, vel ad tertiã commonitionem à se dimiserint, easdem de cetero contempturi, liceat tibi eos Ecclesiis, vel earum portionibus, appellatione postposita, spoliare, officio ipsis nihilominus interdicto. *Alex. 3. de cohab. Cler. & mul. c. sicut, c. si autem.* 11

Concubinarij Missa non audienda.

NVLLVS Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut *b* subintroductam mulierem. Vnde ipsa sancta Synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit. *Nicolaus Papa dist. 32. c. eod. iuncto c. præter, & dist. 81. c si qui* 12

qui sunt. Quod vide intelligendum sub distinctione, quam ponit Lucius Papa de cohab. Cler. & mul. cap. vestra.

b Subintroductæ mulieres] *sunt, quas Græci Synis Actas vocant, hoc est, interpretes; quas olim Monachi, ac Sacerdotes apud se retinebant: quæ nec eorum vxores erant, neq; concubinæ; sed comites, & sociæ cælibatus. Postea vero Nicæna Synodus can. 3. propter fornicationis suspicionem hoc genus contubernij improbauit, dist. 32. c. interdixit. meminit Iustinianus nouella 123. & Epiphanius hæresi 67. 78. 80. vbi eas Coinductas appellat, & Rufinus Alienas, & Eusebius hist. Eccles. l. 7. Aduersus illas extat homilia S. Chrysost. tom. 5. Nouissime Iacobus Byllius l. 1. c. 39. obseruationum sacrarum.*

De eodem.

13 NON solum Sacerdotes, qui Sacramenta indigne tractant, iram Dei super se prouocant, sed omnes, qui ipsis indigne celebrantibus quodammodo communicant, vel fauendo, vel negligendo, vel fouendo, vel permittendo, cum oporteat remedia adhibere, &c. *Ioan. Driedo de libertate Christiana l. 3. c. 11.*

De eodem.

14 SI qui sunt Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi, qui in crimine fornicationis iaceant, interdicimus eis ex parte Dei omnipotentis, & sancti Petri auctoritate introitum Ecclesiæ, vsque dum pœniteant, & emendent. Si qui vero in peccato suo perseue-

seuerare maluerint, nullus vestrum eorum præsumat audire officium: quia benedictio eorum vertetur in maledictionem, & oratio in peccatum, testante Domino per Prophetam: Maledicam benedictionibus vestris. Qui vero huic saluberrimo præcepto obedire noluerit, idololatriæ peccatum incurrit, Samuele testante, &c. *B. Gregor. vij. dist. 81. eod.* *Mal. 2.*

De Presbyteris, qui filios habent.

15 PROPOSVISTI, quid de his obseruari debeat, quos in Diaconij ministerio, aut in officio Presbyterij positos incontinentes esse, aut fuisse, generati filij prodiderunt. De his & diuinarum legum manifesta est disciplina, & beatæ recordationis viri Syricij Episcopi monita euidentia commearũt, vt incontinentes, in officiis talibus positi, omni Ecclesiastico honore priuarentur; nec admittantur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri, &c. *Innocentius Papa dist. 82. c. eod. c. plurimos. c. quia aliquanti, can. 22. Apostolorũ Iuo p. 6. c. 193*

De eodem.

16 Eos Presbyteros, qui in Presbyterio filios procrearunt, iubebitis in medio collocari; discussisq; obiectionibus, quæ ipsis Presbyteris impinguntur, si conuicti fuerint, à Sacerdotali remoueantur officio, (quia, qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt,) alienique efficiantur à ministerio, quod viuendo illicite polluerunt. *Idem Innoc. dist. 81. c. Maximianus. Iuo p. 6. c. 96.*

De eodem.

17 CVM multæ ſuper incontinentia Ordinis clericorum hactenus emanarint ſententię Patrum, & nullatenus ipſorum reformari quiuerit correctio morum, vsq; adeo ſententiam iudicantium protraxere commiſſa culparum, vt non tantum ferretur vltio in auctores ſcelerum, verum & in progeniem damnatorum. Ideoq; quilibet ab Epiſcopo vsque ad Subdiaconum deinceps, qui vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ deteſtando connubio in honore conſtituti filios procreauerint, illi quidem, ex quibus geniti probabuntur, Canonica cenſura damnentur. Proles autem aliena pollutione nata non ſolum hæreditatem numquam accipiet; ſed etiam in ſeruitutem eius Eccleſiæ, de cuius Sacerdotis vel miniſtri ignominia nati ſunt, iure perenni manebunt. *Concil. Toletan. 9. 15. q. 8. c. eod. Iuo p. 6. c. 425.*

Clericus contra naturam peccans qualiter puniendus.

18 QVICVMQVE Clerici illa incontinentia, quæ contra naturam eſt (propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque ciuitates igne conſumpſit) deprehenſi fuerint laborare, deijciantur à clero, vel ad agendam pœnitentiam in monaſteriis detrudantur. *Alex. 3. de exceſſ. prælatorum c. Clerici.*

Maio-

Maiorum criminum pœnitentia septem annorum spatio concluditur, nisi sit peccatum contra naturam, vel quid simile.

ECCLESIASTICA consuetudine est vsurpatum, 19
vt maiorum criminum pœnitentia c septem annorum spatio concludatur; nisi vel officij excellentia, vel criminum magnitudo vulgarem consuetudinem excedens (veluti dum contra naturam humanæ societatis parentibus, vel liberis, vel aliis huiusmodi personis adhærens, vel dum relicto naturali vsu contra naturam more Sodomitico fornicamur, vel vsq; ad coitum brutorum animalium prolabimur) præmissum spatium transcendere cogat. 33.q.2.c. *hoc ipsum §. hoc autem. Qualiter autem hæc pœnitentia septem annorum sit agenda, vide Concil. Triburien. c. 55. 56. 57. 58.*

c Septem annorum] *etiam centum annorum pœnitentiam inuenimus, vt videre est apud Cardinalem Petrum Damianum de Dei omnipotentia, ep. 3. c. 14. in vita S. Dominici Loricati.*

Clerici matrimonia contrahentes ipso facto excommunicati.

CLERICOS in sacris Ordinibus constitutos ma- 20
trimonia contrahentes refrænare metu pœnæ ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere: præcipientes Ecclesiarũ Prælatis, vt illos, quos eis constiterit taliter contraxisse,

excommunicatos publice tamdiu nuncient, seu à suis subditis faciant nunciari, donec suum humiliter recognoscentes errorem, separantur ab inuicem, & absolutionis obtinere beneficium mereantur. Per prædicta quoque viribus, quæ sic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari. *De consanguin. & affin. Clem. vnica. dist. 81. c. quidam Clerici.*

Subdiaconus matrimonium contrahere non potest.

21 MANDAMVS, quatenus, si Subdiaconus qui sibi quandam coniugem copulauit, ad monasticum ordinem transire voluerit, & tibi post laudabilem conuersationem ipsius visum fuerit, eum ad maiores Ordines promoueri concedas. Quod si ad religionem se transferre noluerit, eum neque in Subdiaconatu ministrare, neque ad altiores permittas Ordines promoueri: in minoribus tamen Ordinibus poterit ministrare. *Alex. 3. qui Clerici vel vouentes c. ex literarum.*

Sacerdos cum filia spirituali fornicationem committens qualiter puniendus.

22 SI quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se graue adulterium commisisse. Idcirco femina, si laica est, omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat; &, conuersa in monasterio, Deo vsque ad mortem seruiat. Sacerdos autem, qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni

omni officio deponatur, & peregrinando duodecim annis pæniteat: postea vero ad monasterium vadat, ibiq; cunctis diebus vitæ suæ Deo seruiat. *S. Cælestinus Papa* 30.*q*.1.*c.eod.*

Caute procedendum in principiis familiaritatum cum feminis.

SÆPE spiritu inceptus amor consummatur carne,&c. Astutus esse debes. Diabolus enim in principio incautæ familiaritatis occultat laqueos tentationis carnalis, reputans, quod desisterent à mutua dilectione, si sentirent inde stimulos peccati: donec per longam familiaritatem, & incautam securitatem affectus amborum ita conflati, & conglutinati fuerint in amore, quod, etiam si sentiant sibi inde imminere tentationis periculum, nesciant resilire, nec ab inuicem separari, viribus spiritualibus ita debilitatis in eis, quod neuter valet sibimet vim facere tantam, vt euellat se de laqueo; immo timet alterum in tantum contristare, quod etiam fere putet per fidum, si deserat eum; & sic captus consentit alterius voluntati, & propriæ infirmitati in omne peccatum,&c. *S. Bonau. de reformentis p.2.c.23. & de processu 6. religionis. c.15. & 16. vbi optime de differentia amoris spiritualis, & carnalis.* 23

Pernicioſa,& periculoſa Sacerdotibus affectio, familiaritas, & cólloquia cum feminis; maxime cum illis, quæ videntur ſpirituales.

24 LICET carnalis affectio omnibus ſit periculoſa, & damnoſa, ipſis tamen Sacerdotibus magis pernicioſa; maxime quando conuerſantur cum perſona, quæ ſpiritualis videtur. Nam, quamuis horum principium videatur eſſe purum, frequens tamen familiaritas domeſticum eſt periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum, &c. Vnde Auguſtinus: Nectamen, quæ ſanctiores ſunt, minus cauendæ: *quo enim ſanctiores fuerint, eo magis alliciunt*, & ſub prætextu blandi ſermonis immiſcent ſe vitiis impiiſſimæ libidinis. Crede mihi, Epiſcopus ſum, in Domino loquor, non mentior: cedros Libani, id eſt, contemplationis altiſſimæ homines; & gregum arietes, id eſt, magnos Eccleſiæ Prælatos, ſub hac ſpecie corruiſſe, reperi, de quorum caſu non magis præſumebam, quam Ambroſij, & Hieronymi. *Idem S. Bonau. de ratione conſitendi, & puritate conſcientæ c. 14. S. Thom. opuſc. 64. S. Aug. ep. 132. Quod maxime cauendum eſt, ne ſeruum ſponſi dum de ſponſo audire frequentat, æqualiter ac ſponſum amet, & aliquando ſponſi obliuiſcatur, & pronubus diligatur. S. Baſilius de vera virginitate. In ſimili S. Gregor. p. 2. Paſtoralis c. 8. Moralium l. 22. c. 12.*

Vere

Vere continens, assiduas mulierum, etiam probarum, familiaritates fugit.
S. *Ephraëm de temperantia.* 25

De eodem.

IPSI non fallimus, quoties inordinate credimus, 26
æstimantes per fidem nostram legis præcepta mutari, vt inter masculos, & feminas speremus, passim castitatem inuiolabilem custodiri. Difficile quis venenum bibet, & viuet. Verendum est dormienti in ripa, ne cadat, cum dicat Apostolus: Qui se existimat stare, videat, ne cadat. In hac parte expedit plus bene timere, quam male fidere. Et vtilius est, infirmum se Sacerdos agnoscat, vt fortis existat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat, &c. In hac familiaritate non habitat amica concordia: quoniam nonnisi discordantes inimicitias creat, &c. Quid est, quod in hac coniunctione delectet, in qua sunt solæ pugnæ? &c. *Inter opera S. Cypriani de singularitate Clericorum.* 1. Co. 10.

Fugiendæ feminæ sicut serpentes, & qualiter cum eis conuersandum, idq; vrgente necessitate.

MVLIERES fugias sicut serpentes, & numquam 27
loquaris cum aliqua, nisi vrgens necessitas te compellat; nec vsquam aspicias in faciem alicuius mulieris. Quod si mulier tecum loquatur, verba sua citissime occide. Nam, teste Propheta: Molliti *Psal. 54.*
sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. S. *Bonau. in regul. nouitiorum, c. 31.*

De eodem: & quod fugiendæ vt ignis.

28 FVGIENDÆ in primis cum mulieribus congressiones sunt collocutionesque, neque ad eas vmquam accedendum, nisi cum grauissima vos adid necessitas impellit, & aliter facere non possimus. Atque, ipsa etiam vbi nos necessitas adegerit, ab ipsis non secus, atque ab igne, cauendum est; adeo, vt quam ociſſime nulla mora ab istis nos extricemus, *S. Basilius de constit. monast. c. 4. & interrog. 109.*

De eodem.

29 MVLIERVM congressus, quantum fieri potest, fuge, &c. Quod si etiam, vt cum ipsis congrediaris, necessitas aliqua te obstringat, oculos humi deiectos habe; atque ipsas quoque, quonam pacto spectandum sit, doce. Cumque pauca, quæ ipsarum animos adstringere, atq; illustrare queant, locutus fueris, statim auola, &c. *S. Isidorus Pelus. l. 2. ep. 284.*

Sermo breuis cum mulieribus, & rigidus, est habendus.

30 *S. Bonau. de puritate conscientiæ c. 15. ex S. Augustino. Vide sup. p. 2. c. 3. §. 2. de grauitate, & seueritate, Seueritas in vobis, n. 19.*

De eodem.

31 GVSTANDA, non continuãda est præsentia; sed quasi transeunter feminis exhibenda est accessio quo-

quodammodo fugitiua. *Inter opera S. Cypriani de singul.cleric.*

De eodem: & quod solus cum sola Sacerdos non sedeat.

SOLVS cum sola ne sedeas in secreto, absque ar- 32
bitro, & teste, neque in præterita castitate confidas: quia nec tu Sampsone fortior, nec sapientior Salomone. *S. Bonau. de ratione confitendi. c. 14. ex S. Hieron. dist. 81. c. in omnibus.*

De eodem.

CLERICVS solus ad feminæ tabernaculum non 43
accedat, ne properet sine maioris natu Sacerdotis iussione: nec solus Presbyter cum sola femina fabulas misceat. Nec Archidiaconus suæ prætextu humilitatis, aut officij frequenter intret domicilia matronarum; aut forte per Clericos, aut domesticos matronæ mandet aliquid secrete. Si agnitum fuerit, & ille deponatur, & illa à liminibus arceatur Ecclesiæ. *S. Clem. de constit. Apostol. distinct. 81. c. eod. S. Ambros. de offic. lib. 1. c. 20.*

De eodem.

SI duæ, aut tres pariter ancillæ Domini mo- 34
rentur, solum ad eas ingredi non decet Sacerdotem. Si quis hoc non obseruauerit, hostis est animæ suæ. Quod si post nostra monita *d* agapethas aliquis Clericus amplius quæsierit amare, quam Christum, secundum Synodalem regulam, conueniatur; ac præcepta Patrum in Nicæna definita

ei legantur. Iam vero, si conuersus prædicta reliquerit, consecuti sumus maximum lucrum: Alioqui talis ab Ecclesia anathematizandus est. Geminant enim feminæ cum viris habitantes spinas, & arcana mentium acuto mucrone percutiunt. *S. Hieron. ad Oceanum ep. 30. Iuo. p. 6. c. 382.*

d Agapetha] *est eadem, quæ delecta, vel amica, & sumitur in malam partem. De his euitandis extat. ep. 22. S. Hieron. ad Eustochiũ, & ep. 30. ad Oceanum. Quamuis idem Hieron. in epistolam ad Philemonem dicat, potius sonare diligibilem, quam dilectam.*

De eodem.

35 Non decet, Clericum cum mulieribus sedere, vel fabulari, vel domum eius frequentare, ne suspicio mala inde progrediatur. O quam vilis, o quam miser, & pusillanimis reputatur Clericus, qui frequenter cum mulieribus conuersatur! Insipiens valde est, & inexpertus, qui amicitias mulierum procurat. *S. Augustſerm. 37. ad fratres Eremi. Concil. Turon. 2. c. 10.*

De eodem exemplo S. Augustini.

86 Legitvr, quod Beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit, dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Docti ergo viri cautela magna nobis debet esse instructio. *S. Gregor. l. 7. ep. 39. dist. 81. c. eod.*

De

De eodem.

INHIBENDVM est, vt nullus Sacerdos feminas, 37
de quibus suspicio esse potest, retineat. Sed neque illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam, & sororem: quia instigante Diabolo, & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earundem. Sed, si qua de his necessitatem habuerit, Presbyteri habeant in vico, aut in villa domum longe à sua conuersatione, & ibi eis, quæ sunt necessaria, subministrent. *Conc. Mogunt. alias Nannet. c. 3. de cohab. Cler. & mulierum. c. 1.*

De eodem.

ANCILLAS, vel libertas à cellario, vel à secreto 38
monasterio, & ab eadem mansione, in qua Clericus manet, placuit remoueri. *Burchardus. l. 2. c. 113. ex Concil. Rhemensi, ibi tamen non inuenitur.*

De eodem.

MVLIERES quamcumque habitationem non 39
habeant in locis, in quibus Presbyteri aliquem recursum habuerint. Quod si obseruare paruipenderint, transgressores, & qui contra interdicta fecerint iudicentur. *Idem Burchardus l. 2. c. 107. ex Concilio Melden. c. 5. sed non reperitur ibi hoc decretum.*

De eodem optima documenta.

HOSPITIOLVM tuum aut raro, aut numquam 40
mulierum pedes terant: quia non potest cum Deo toto corde habitare, qui feminarum accessibus copulatur. Femina conscientiam secum pariter habitantis exurit. Numquam de mulierum

formis

1.Cor.7 formis disputes. Feminæ nomen tuum nesciant. Feminam, quam bene videris conuersantem, mente dilige, non corporali frequentia. Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere. S. *Hieron. ad Nepotianum dist. 32. c. eod. S. Basilius ep. ad Gregor. Presbyt.*

Quantumuis despecta, aut vetula femina domi non tenenda: quia citius delinquitur, vbi securius viuitur.

41 NON despecta, non vetula absque affinitate peculiariter suscipienda est ad domesticum obsequium: quia magis cito delinquitur, vbi sine suspicione securum potest esse delictum: maxime, quia libidinum nulla deformitas, nulla despectio obsistit, cui Diabolus pingens speciosum facit quidquid fœdum, vel horridum fuerit. *S. August. de singul. Cleric.*

Nullus Clericus cum extranea femina habeat familiaritatem.

42 QVIA Diabolo nullum locum dare oportet, hoc præcipue custodiendum decernimus, vt nulli Clericorum cum extraneis feminis habeant familiaritatem; nec vllum male loquendi, vel sentiendi hominibus aditum tribuant: quia frequenter per hanc indecentem occasionem contingit, ne Diabolus, qui insideatur sicut leo in cubili suo, de ruinis seruorum Dei insultet. Si quis vero Clericus post interdictum Episcopi sui his inhærere præ-

præsumpserit, à communione habeatur alienus. *Concil. Turon.* 1. c. 3.

Quibus cum feminis liceat Sacerdoti conuersari.

43 SACERDOTES debent prohiberi, ne cum mulieribus conuersentur: excepta dumtaxat matre, vel sorore. *S. Gregor. dist.* 81. *c. volumus. c. de Episc. & Cler. l. eum qui.*

De eodem.

44 INTERDIXIT per omnia sancta Synodus non Presbytero, non Diacono, vel alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam; aut eas etiam idoneas personas, quæ suspiciones effugiant. *dist.* 32. *c. eod. Concil. Nicænum. c.* 3. *Syricius Papa. c.* 12, *dist.* 81. *c. feminas. c. oportet.*

De eodem.

45 NVLLVS Clericorum extraneæ mulieri qualibet collatione, aut familiaritate iungatur. Et non solum in domum illius extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi extraneam mulierem habeat potestatem; sed cum matre tantum, sorore, aut nepte, si habuerit, aut voluerit, viuendi liberam habeat potestatem. De quibus nominibus nefas est aliud, quam natura constituit, suspicari. *Concil. Agath. c.* 10. *Iuo. p.* 6. *cap.* 189.

Cle-

Clericus frequentans monasteria monialium qualiter coërcendus.

46 MONASTERIA monialium si quisquam Clericus sine manifesta & rationabili causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur: & si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis. *Alex.3. de vita & hon. Cler.c. eod.18.q.2. c.diffinimus.*

De familiaritate cum feminis vitanda.

47 *Vide S. Basilium in constitutionibus monasticis c. 4. Tractatum inter opera S. Cypriani de singularitate Clericorum. S. Ambros. de off. l.1. c.20. S. Hieron. ep.30. & 47. S. August. ep.137. ad fratres Eremi. S. Bernardum de modo bene viuendi. S. Thom. opusc.64. S. Bonau. de ratione confitendi, & puritate conscientiæ. c.14. Ioan. Cassianum. l.11. c.17.*

CAPVT XIII.

NE SPECTACVLIS, AVT ALIIS EIVSMODI PROFANIS REBVS SACERDOS INTERSIT:

NE CVM INTERDICTIS COMMVNICET IN ORATIONE:

NE HARVSPICES, SIMILESVE CONSVLAT, NEV FIDEM EIS HABEAT.

SVMMARIVM.

MAGI, *Haruſpices, & Hariolinon conſulendi.* 1.

Qui contra fecerit qualiter punendus. 18.

Qui eis fidem habuerit, aut ſortibus crediderit, excommunicetur. 19. 20.

Presbyter, qui per inſpectionem aſtrolabij furtum requiſierit, qualiter puniendus. 21.

Oculi à vanitatibus, ſaltationibus, & ſpectaculis auertendi, & aures à muſicis, quibus poſſit animus emoliri: quia per oculos & aures multa vitia intrant in animam. 1.4.7.8.9.10.13.

Presby-

Presbyter autem, qui illis interfuerit, qualiter puniendus. 11.
Et qualiter qui taurorum agitationibus interfuerit. 12.
Qui diligit epulas, in egestate erit. 3.
Ideo vitandæ. 5.
Maxime conuiuia nuptiarum. 13.
Præsertim secundarum. 14.
Qui clamdestinis nuptiis interfuerit qualiter puniendus. 15.
Cum hæretico post vnam, & secundam correptionem non communicandum. 6.
Clericus cum deposito orans deponendus. 16.
Idem deponendus qui ingressus fuerit Synagogam Iudæorum, aut conuenticulum hæreticorum, vt cum eis oret. 17.
Thymelici qui. 9.

1 NON declinetis ad Magos, nec ab Hariolis aliquid scitemini, vt polluamini per eos. ego Dominus Deus vester. *Leu.* 19. 20. *Deut.* 18. 4. *Reg.* 17. 21. *Isa.* 44.

2 Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me. *Psal.* 118.

3 Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur. *Prou.* 21.

4 Cum saltatrice ne assiduus sis: nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. *Eccl.* 9.

5 Sicut in die honeste ambulemus: non in commessationibus, & ebrietatibus, &c. *Rom.* 13.

Hære-

Hæreticum hominem post vnam, & secun- 6
dam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. *Tit.* 3.

Abstineant Sacerdotes à spectaculis & musicis, quibus animus possit emolliri.

Ab omnibus, quæcumque ad aurium, & ocu- 7
lorum pertinent illecebras, vnde vigor animi emolliri posse credatur, (quod de aliquibus generibus musicorum, aliisque nonnullis rebus sentiri potest) Dei Sacerdotes abstinere debent: quia per aurium, oculorumque illecebras vitiorum turba ad animum ingredi solet. *Concil. Turon. 3. sub Carolo Magno, cap. 7.*

De eodem.

Non licet Sacerdotibus, & Clericis aliqua spe- 8
ctacula in nuptiis, vel conuiuiis, spectare; sed oportet, antequam ingrediantur ipsa spectacula surgere, & redire inde. *Martinus Papa, secundum Iuonem. p. 6. c. 209.*

De eodem.

Non oportet ministros altaris, vel quoslibet 9
Clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut scenis exhibentur, interesse; sed, antequam a Thymelici ingrediantur, surgere eos de conuiuio, & abire. *Concil. Laodic. de consecratione dist. 5. c. eod.*

a Thymelici] *dicuntur Histriones Cytharœdi, vel Tibicines, aut Psaltæ, qui in organis, aut aliis musicis instrumentis præcinebant. ff. de his qui not. inf. L. athletas. vel à Thymele femina, quæ prima saltationes in scenis docuit, auctore Tertulliano libro de spectaculis. vel à Thymele, quod est pulpitum super quo Thymelici stantes cantabant: vt not. S. Isidorus Originum lib. 17. cap. 46.*

De eodem.

10 POMPA Diaboli est in theatris spectacula; in hippodromo cursus equorum, & venationes, & reliqua omnis eiusmodi vanitas, à qua postulans
Psal. 118 liberari Sanctus ille Dei: Auerte, inquit, oculos meos, ne videant vanitatem. Non ergo sis curiosus in frequentia spectaculorum, vbi conspicias minorum petulantias, omni contumelia, & impudicitia refertas, & virorum effeminatorum choreas secteris. *S. Cyrillus Hierosol. catechesi mystag. 1. S. Cyprianus l. 2. ep. 2.*

Presbyter spectaculis assistens qualiter puniendus.

11 SI quis Presbyter ad aliquod spectaculum spectandi gratia venerit, iubemus hunc tribus annis à venerabili ministerio prohiberi, & in monasterium redigi, &c. *C. de sancti. Episc. auth. interdicimus.*

Clerici sub excommunicationis pœna taurorum agitationibus non intersint.

12 CLERICIS, tam regularibus, quam sæcularibus

bus, beneficia Ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris Ordinibus constitutis, sub excommunicationis pœna, ne agitationibus taurorum intersint, prohibemus. *Pius V. Romæ anno 1567. Kalendis Nouembris. Quod postea confirmauit Gregorius XIII. anno 1575. die 25. Augusti.*

Clerici conuiuiis nuptiarum, cantilenis turpibus, aut saltationibus impudicis non intersint.

QVIBVS licentia vxores ducendi non est, etiam 13
aliarum nuptiarum cuitent conuiuia, neque his cœtibus admisceantur, vbi amatoria cantantur, & turpia, aut obsceni corporum motus choreis, & saltationibus efferuntur: ne auditus, aut obtutus sacris mysteriis deputati turpium spectaculorum, atque verborum contagione polluantur. *Concil. Agath. dist. 34. c. Presbyteri. Burchardus l. 2. c. 132. 133. 134. Concil. Nannet. c. 10. 11. Carthag. 4. c. 60. 62. 80. Laodic. c. 54.*

Clerici conuiuiis secundarum nuptiarum non intersint.

PRESBYTERVM conuiuio secundarum nuptia- 14
rum interesse non debere, maxime cum præcipiatur secundis nuptiis pœnitentiam tribuere: Quis erit Presbyter, qui propter conuiuium illis consentiat nuptiis? *Concil. Neocæsar. 31. q. 1. c. de his. Iuo p. 8. c. 106. Burchar. l. 9. c. 22.*

Clericus clandestinis nuptiis assistens qualiter puniendus.

15 PRÆDECESSORVM nostrorum vestigiis inhærendo, clandestina coniugia penitus inhibemus: prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat, &c. Sane, si parochialis Sacerdos tales coniunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eos præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, grauius puniendus, si culpæ qualitas postulauerit. *Innoc. 3. de clandest. despon. c. cum inhibitio, iuncto §. sane, Concil. Trident. §. 24. c. 1. de reform.*

Si quis, cum sit Clericus, vna cum eo, qui est depositus, orauerit, deponatur & ipse.

16 *Canon. 11. Apostolorum. Iudæorum, & infidelium communicatio in multis interdicta Sacerdotibus & Christianis.*

Si quis Clericus Synagogam Iudæorum, vel conuenticulum hæreticorum ingressus fuerit, vt preces cum eis coniungat, deponatur.

17 *Canon. 63. Apostolorum. Et simili pœnæ subiaceat qui eos in infirmitatibus suis curandis vocauerit. Sexta Synod. 28. q. 1. c. nullus. Quod extenditur, ad omnes infideles ex constit. 71. Gregorij Papæ xiij.*

Pres-

Presbyter consulens Haruspices, aut Magos, qualiter puniendus.

Si quis Episcopus, aut Presbyter, siue Diaco- 18
nus, vel quilibet ex ordine Clericorum, Magos, aut Haruspices, aut Incantatores, aut Ariolos: aut certe Augures, vel Sortilegos, vel qui profitentur artem Magicam, aut aliquos eorum similia exercentes consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ suspensus, monasterij curam suscipiat; ibique pœnitentiæ perpetuæ deditus, scelus admissum sacrilegij soluat. *Concil. Toletan. 26.q.5.c.eod.*

Clericus diuinationibus, auguriis aut sortibus credens, excommunicetur.

Si quis Clericus, Monachus, vel sæcularis, diui- 19
nationem, vel auguria crediderit obseruanda, vel sortes, quas mentiuntur esse Sanctorum, quibuscumque putauerint intimandas; cum his, qui eis crediderint, ab Ecclesię communione pellantur. *Concil. Aurel. 1. 26.q.5.c.eod.*

De eodem.

Qui auguria & sortes tractant, siue sacri, siue 20
profani, aut diuinationibus & incantamentis vacant, quibus sane studiis Dei cultus deseritur, & ad Dæmonum fallaciumque spirituum præstigias confugitur, illos quotquot officiales attenta inuestigatione deprehenderint, Canonico anathemate, nisi à damnatis erroribus ad legitimum Dei cultum illico, admoniti, animum atque men-

tem reuocauerit, non modo non ferendos Synodus declarat; sed per officiales in vincula quoque conijciendos decernit, quousq; dæmonum, magistrorum videlicet suorum, illusionibus liberentur. *Concil Treuir. c. de sortilegis Sacerdotibus, & laicis. Concil. Ancyranum, vt colligitur ex l. 6. c. 7. libelli sexdecim librorum partialium.*

Presbyter per inspectionem astrolabij furta requirens qualiter puniendus.

21 Ex tuarum literarum tenore accepimus, quod V. Presbyter cum quodam infami ad priuatum locum accessit, non ea intentione vt vocaret dæmonium; sed vt inspectione astrolabij furtum cuiusdam Ecclesiæ posset recuperari. Verum licet hoc ex bono zelo, & simplicitate se fecisse proponat: id tamen grauissimum fuit, & non modicam inde peccati maculam contraxit, &c. Mandamus, quatenus talem ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas, quod per annum & amplius, si tibi visum fuerit, eum ab altaris ministerio præcipias abstinere: & ex tunc liberum sit ei exercere officium Sacerdotis. *Alex. 3. de sortilegiis. c. 2.*

CAP.

CAPVT XIV.

NE ORDINES SIMONIACE, AVT ALITER NON RITE SVSCIPIANTVR.

SVMMARIVM.

SACRAMENTVM *ordinis gratis conferendum.* 1.

Similiter & alia dona Dei. 2.

Qui autem simoniace fuerit ordinatus, ab ordinibus suspensus est. 3.

Neque poterit quis à simoniaco Ordines recipere; licet tamen sic susceptis ab eo poterit ministrare. 4.

Clericus ab Episcopo non suo ordinatus, nisi in quibusdam casibus, suspensus est. 5.

Puer ante ætatem legitimam ordinandus remanet suspensus vsque ad legitimam ætatem, & ordinans à collatione Ordinum. 6.

Duo sacri Ordines non possunt vno die eidem conferri, vel duobus, continuato ieiunio. 7.

Excommunicatus pro manuum iniectione scienter Ordines recipiens, si est Clericus sæcularis, deponendus est; si regularis, ab Ordinis executione suspensus est. 8.

1 GRATIS accepistis, gratis date. *Matth.* 10.
2 Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neq; sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo, &c. *Actor.* 8.

Ordinatus simoniace est suspensus.

3 Is qui per simoniam ordinatus est, nihil acquirit, & ideo sit alienus à dignitate, quam pecunia acquisiuit: *iuxta Concilium Chalcedon. Can.* 21. *q.* 1. *c. si quis Episcopus. Canon* 30. *Apostolorum. Concil. Aruern. c.* 2. *Sexta Synodus. Can.* 22. *Concil. Lateran. sub Innocentio.* 3. *c.* 61.

Non debet quis Ordinem recipere ab eo, quem credit simoniacum, sed in Ordine, ab eo prius recepto poterit ministrare.

4 PER tuas literas iniunxisti, quod cum B. in quadam domo Carthusiensi suscepisset Ordinem monachalem, à diœcesano Episcopo fuit in Subdiaconum ordinatus; sed postea didicit ex relatione quorundam, quod Episcopus multoties commiserit vitium simoniæ: propter quod idem monachus in suscepto formidat Ordine ministrare, nolens ab eodē Episcopo ad superiores ordines promoueri, &c. Nos igitur respondemus, vt idem in Ordine sic suscepto secure ministret; sed

sed contra conscientiã ad superiores Ordines non ascendat,&c. *Innoc.3.de simonia,c.per tuas,* 21.q.1.c. *quibusdam,& per totam.*

Clericus ab Episcopo alienæ diœcesis ordinatus, nisi in casibus hic expressis, suspensus est.

STATVIMVS, vt nullus Episcopus Italiæ de cetero aliquem vltramontanum Clericum ordinare præsumat, nisi à nobis specialem licentiam habeat, vel ab Episcopo, de cuius diœcesi traxit originem ordinandus; vel in cuius diœcesi beneficiatus existit: per eius patentes literas causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit, aut nequeat ordinare. Eos vero, quos contra præmissa contigerit ordinari, manere volumus absq; spe dispensationis, super hoc à Sede Apostolica obtinendæ suspensos, &c. *Clem. 4. de temp. ord. cap. 1. lib.6.* 5

Ordinans puerum ante legitimam ætatem suspẽditur à collatione Ordinum: & ordinatus ab executione Ordinis vsque ad ætatem legitimam.

SI inueneritis ipsum puerum, cum adhuc tredecim annorum esset, in Diaconum Episcopum Conuentrẽsem ordinasse, discretioni vestræ mandamus, quatenus, prædictum Episcopum à collatione Ordinum suspendentes, ipsum, vt eidem, quem ab executione officij Diaconi vsque ad ętatem 6

tem legitimam in iniuriam suspendimus ordinantis, prouideat in Ecclesiastico beneficio competenti, per Ecclesiasticam censuram compellatis. *Honorius 3. de temp. ord. c. vel non est.*

Duo sacri Ordines non possunt vno die eidem conferri, vel duobus continuato ieiunio.

7 LITERAS vestras recipimus super inordinata ordinatione Imolensis electi, quam Bononiensis Episcopus præcedenti sabbato in Diaconum, & sequenti die Dominico (continuato ieiunio) in Presbyterum ordinauit. In quo, quantum vterque deliquerit, euidenter intelligit, qui prudenter attendit: si enim vtrumque Ordinem eodem die conferri illi non licuit, pari non licuit ratione vnũ Ordinem vno die, & alium altero (ieiunio continuato) conferri, &c. Præfatum itaque Bononiensem Episcopum (vt puniatur, in quo deliquit) à collatione Ordinum, Diaconij scilicet, & Presbyterij; alterum vero ab executione officij sacerdotalis, tamdiu volumus manere suspensos, donec de illis aliter disponamus. *Innoc. 3. de temp. ord. c. literas. c. dilectus, c. consulationi.*

Si ex-

Si excommunicatus pro manuum iniectione scienter recepit Ordines, deponendus est si sit Clericus sæcularis; si regularis, ab ordin. executione suspensus est.

CVM illorum absolutio, qui pro violenta manuum iniectione in Clericos, labem excommunicationis incurrunt, (quibusdam casibus à prædecessore nostro exceptis) Sedi Apostolicæ dumtaxat reseruetur: nonnulli Ecclesiasticam sententiam negligentes, in excommunicatione positi, Ecclesiasticos Ordines accipere non formidant. Circa quod credimus distinguendum, quod tales vel sciunt excommunicationis se vinculo irretitos, vel non recolunt factum, pro quo in latæ sententiæ Canonem inciderunt: vel factum quidem scientes, iuris ignari, nesciunt ex inde se teneri. Primos, si fuerint sæculares Clerici, à susceptis Ordinibus censemus in perpetuum deponendos, &c. *Idem Innoc. 3. de sentent. excomm. c. eod.* 8

CAP.

CAPVT XV.

NE SINE LICENTIA EPISCOPI SACERDOS VAGETVR, SACRAMENTA MINISTRET, VEL PRÆDICET.

SVMMARIVM.

OMNIS *anima sublimioribus potestatibus subdita sit, illisque ab inferioribus obediendum.* 1. 2.

Nihil in diœcesi faciendum à Clericis sine licentia Episcopi. 3.

Neque extra eam licet illis vagari sine eius permissu; alioqui deponendi, & suspendendi sunt. 4. 5. 6. 7.

Neque ab aliis recipiendi ad Sacramenta administranda, aut Diuina celebranda. 4.

Ad aliam paræciam se conferentes sine diœcesani licentia excommunicentur, nisi in duobus casibus. 8.

Neque habeantur vt Clerici, qui ad suam Ecclesiam ad quotidianum officium non venerint. 9.

Nullus Sacerdos potest audire confessiones sæcularium, nisi habeat licentiam Episcopi, aut beneficium parochiale. 10.

Aliquo-

Aliquorum criminum absolutio Episcopis reseruanda, nec aliis concedenda. 11.

Nullus regularis, contradicente Episcopo, etiam in Ecclesiis sui Ordinis prædicet. 12.

OMNIS anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. *Rom.* 13. 1

Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. *Heb.* 13. 2

Nihil in diœcesi faciendum à Clericis sine licentia Episcopi.

CVNCTIS fidelibus, & summopere omnibus Presbyteris, & Diaconis, & reliquis Clericis attendendum est, vt nihil absq; proprij Episcopi licentia agant: non vtiq; Missas sine eius iussu quispiam Presbyterorum in sua parochia agat; non baptizet; nec quidquam absque eius permissu faciat. *S. Clemens* 16. *q.* 1. *c. eod. Iuo p.* 6. *c.* 123. 3

Clericus non vagetur sine sui Episcopi licentia; nec ab aliis ad Sacramenta administranda, aut Diuina celebranda admittatur.

CLERICIS, vel monachis sine literis commendaticiis licentia non pateat euagandi. *Concil. Veneticum* 1. *c.* 5. *Agath. c.* 38. *Meld. c.* 2. Nec ab vllo Episcopo ad Diuina celebranda, aut Sacramenta administranda admittatur. *Concil. Trident. Sess.* 23. *c.* 16. 4

Singu-

Singuli in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. *Idem Concil. sess. 22. de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ.*

Non oportet ministros altaris, vel quoslibet Clericos, præter iussionem Episcopi, ad peregrinandum proficisci.

5 *Concil. Laodic. de cons. dist. 5. c. eod. 1. Concil. Agath. cap. 52.*

Clericus vagus deponatur.

6 De Presbyteris, aut Diaconibus, qui solent dimittere loca sua, in quibus ordinati sunt, & ad alia se transferunt, placuit, vt iisdem locis ministrent. Quodsi, relictis locis suis, ad alium se locum transferre voluerint, deponãtur. *Concil. Aurelian. 1. c. 22. Chalcedon. c. 13. & 25. Nicænum c. 15. 7. q. 1. c. non oportet. Sexta Synodus Constantinop. can. 17. Septima Synodus Nicæna dist. 21. c. quoniam.*

Clericus vagus suspendatur.

7 Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo, relicta sua parochia, in aliam abscesserit; &, cum penitus transierit præter sui Episcopi sententiam, in alia parochia maneat, eum non amplius celebrare iubemus, maxime si, eum adhortante Episcopo, vt rediret, non paruerit, in contumacia, & insolentia perseuerans. Istum vt laicus communicet. *Canon 15. Apostolor. Conc. Nicæn. c. 16. Antioch. c. 3.*

Cleri-

Clericus ad aliam parochiam transiens, & Episcopus illum admittens sine propij licentia excommunicetur, nisi in duobus casibus.

CLERICOS in suis Ecclesiis constitutos non li- 8
cet in alterius ciuitatis Ecclesiis ordinari, sed quiescant in ea, in qua ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias ciuitates perdiderunt, & ex necessitate ad alias Ecclesias migrauerunt. Si vero quicumque Episcopus post definitionem istam ad alium Episcopum pertinentem Clericum susceperit, placuit Sanctæ Synodo, & eum, qui suscepit, & eum, qui susceptus est, tamdiu excommunicatos manere, quamdiu ipse Clericus reuertatur ad propriam Ecclesiam. *Concil. Chalcedon. dist. 71. c. eod. S. Gregor. ep. ad Fortunatum Episcopum.*

Non habeatur vt Clericus, qui ad suam Ecclesiam ad officium quotidianum non venerit.

Vide sup. p. 1. c. 4. §. 1. de templis, & Ecclesiis, c. Presbyter, Diaconus, n. 20. 9

Nullus Sacerdos potest audire confessionem sæcularium, nisi habeat licentiam Episcopi, vel beneficium parochiale.

QVAMVIS Presbyteri in sua ordinatione à pecca- 10
tis absoluendi potestatẽ accipiant; decernit tamen Sancta Synodus, nullũ, etiam regularẽ, posse confessio-

fessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: priuilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstante. *Concil. Trident. Sess. 23. c. 15. de sepult. Clem. dudum, §: ac deinde.*

Aliquorum criminum absolutionem oportet Episcopis reseruari, neq; aliis concedi.

11 QVONIAM natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur persuasum semper in Ecclesia fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam iurisdictionem non habet. Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, vt atrociora quædam, & grauiora crimina, non à quibusuis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absoluerentur. Vnde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia vniuersa tradita, causas aliquas criminum grauiores suo potuerunt peculiari iudicio reseruare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destruc-

Ro. 13.

ctionem

ctionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate; præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est, &c. *Idem Conc. Trid. Sess.* 14. *c.* 7.

Nullus sæcularis, vel regularis, etiam in Ordinum suorum Ecclesiis, contradicente Episcopo, prædicare præsumat.

Idem Conc. Trid. Sess. 24. *c.* 4. *Sexta Synod. can.* 33. 64. 12. 16. *q.* 1. *c. adijcimus. Conc. Later. sub Leone X. Sess.* 11.

CAPVT XVI.

NE SACRAMENTA RITE NON DISPENSET, AVT MINVS DEBITO VENERETVR SACERDOS.

SVMMARIVM.

OMNIA *honeste, circumspecte, & per ordinem, in Ecclesia fiant.* 1. 2.

Sacramentum Pœnitentiæ qualiter administrandum, & pœnitentia peccatorum qualiter imponenda. 3.

Sacerdos reuelans peccata pœnitentis, deponi, & per totam vitam peregrinari, & in monasterium perpetuo detrudi debet. 4. 5.

Fideles instruendi, vt reuerenter adorent Sacramentum Eucharistiæ, & ad infirmos qualiter deferendum, & ministrandum omnibus 6.

Communicaturi lauent manus, & nitidis vestibus induantur. 7. 8.

Nihil pro Sacramentorum administratione exigendum. 9.

Clericus, cuius negligentia aliquid de sanguine Christi stillauerit, qualiter puniendus. 10.

Qualiter qui euomit Eucharistiam. 11.

Quæ, & sanctum Chrisma fideliter sub clauibus custodiri debent. 12.

Contrafacientes qualiter puniendi. 12. 13.

Pœnitere qualiter intelligendum in Canonibus. 10.

1 OMNIA honeste, & secundum ordinem fiant. 1. Cor. 14.

2 In medio sedis, & in circuitu sedis quattuor animalia plena oculis ante & retro, &c. Et singula eorum habebant alas senas: & in circuitu, & intus plena sunt oculis, &c. *Apoc. 4.*

Sacramentum Pœnitentiæ qualiter administrandum, & pœnitentia peccatorum qualiter imponenda.

3 *Vide latius p. 1. c. 5. per totum, de Sacramentorum administratione, & p. 2. c. 7. §. 2. de lectione, & scientia, cap. caueat spiritualis iudex, n. 56.*

Sacer-

Sacerdos cõfitentis peccata reuelans deponi debet, & perpetuo peregrinari.

SACERDOS ante omnia caueat, ne de his, qui ei 4
confitentur, peccata alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neq; (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam, si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. *S. Gregor. de pænit. dist. 6. c. eod. sup. p. 1. d. c. 5. Sacerdos, n. 21.*

Sacerdos peccata reuelans non solum deponendus, sed in monasterium perpetuo detrudendus.

CAVEAT omnino Sacerdos, ne verbo, aut si- 5
gno, aut alio quouis modo, aliquatenus prodat peccatorem; sed, si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ caute requirat. Quoniam, qui peccatum in pænitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solum à Sacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pænitentiam in arctum monasterium detrudendum. *Innoc. 3. de pænit. & remiss. c. omnis vtriusque sexus. S. Leo ep. 80. de pænit. dist. 6. c. Sacerdos. Sexta Synodus can. 102. Concil. VVormacien. c. 7.*

Sacerdos instruat plebem, vt reuerenter doceat Eucharistiæ Sacramentum.

... de sup. p. 1. c. 5. de Sacramentorum administratione, 6

Sacerdos, n. 35. & num. 36. habeat. vbi, qualiter ad infirmos deferendum, & omnibus ministrandum.

Communicaturi lauent manus, & nitidis vestibus induantur.

7 OMNES viri, quando communicare desiderant, lauant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi Corpus Christi accipiunt. Non est graue, quod dico, fratres. Quo modo viri lauant aqua manus suas, sic Eleemosynis lauant conscientias suas: similiter & mulieres, quomodo nitidum exhibent linteolum, vbi Corpus Christi accipiunt, si corpus castum, & cor mundum exhibeant, vt cum bona conscientia Corpus Christi suscipiant. Rogo vos, fratres, numquid est aliquis, qui in arca sordibus plena velit mittere vestem suam? Et, si in arca sordibus plena vestis non mittitur pretiosa, qua fronte in anima, quæ peccatorum sordibus inquinetur, Christi Eucharistia suscipitur? *S. August. serm. 225. de tempore.*

De eodem.

8 Custodire debes. *vt sup. p. 1. c. 3. §. 1. de sacrificij oblatione, n.* 28.

Nihil exigendum pro administratione Sacramentorum.

9 *Vide sup. p. 1. c. 5. de Sacramentorum administratione, c. spontanea, n. 39. & c. qui celebrat, n. 41. & per totum caput.*

Qua-

Qualiter puniendus Clericus, cuius negligentia de sanguine Christi aliquid stillauerit.

10 Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillauerit in terram, lingua lambetur, & tabula radetur: si non fuerit tabula, vt non conculcetur, locus corradetur, & igne consumetur, & cinis intra altare recondetur, & Sacerdos *a* quadraginta diebus pæniteat. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pæniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, quatuor diebus pæniteat: si vsque ad tertium, nouem diebus pæniteat: si vsq; ad quartum, viginti diebus pæniteat, & linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat calice superposito; & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondat. *S. Pius Papa de consecr. dist. 2. c. eod.*

a Quadraginta diebus pæniteat.] *intellige, vt tot diebus ieiunet, & tot diebus à Sacramentorum communione abstineat.*

Qualiter pænitere debeat, qui euomit Eucharistiam.

11 Si per ebrietatem, vel voracitatem Eucharistiam euomuerint Clerici, vel Monachi, seu Diaconi, & Presbyteri, septuaginta diebus pæniteant; Episcopus nonaginta: si pro infirmitatis causa euomuerint, septem diebus pæniteant. *Pœnitentiale Bedæ de consecr. dist. 2. c. si quis per ebrietatem.*

Eucharistia, & sanctum Chrisma, debent fideliter sub clauibus custodiri; contrafacientes qualiter puniendi.

12 IN cunctis Ecclesiis Chrisma, & Eucharistia, sub fideli custodia, clauibus adhibitis, conseruentur: ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si verò is, ad quem spectat custodia Eucharistiæ, & Chrismatis, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur: &, si per eius incuriam aliquid nefandum inde contigerit, grauiori subiaceat vltioni. *Sacerdotale Romanum ex Concil. Later. c. 3. de cust. Euchar. c. 1.*

Qualiter pœnitere debeat, qui non bene custodit Eucharistiam.

11 QVI bene non custodierit Sacrificium; & mus, vel aliquod aliud animal illud comederit; quadraginta diebus pœniteat: qui autem perdiderit illud in Ecclesia; aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta diebus pœniteat. *Concil. Arelat. de consecr. dist. 2. c. eod. Vide sup. p. 1. c. 3. §. 1. de sacrificij oblatione: & c. 5. de Sacramentorum ministratione: & p. 2. c. 11. de sollicitudine, vigilantia, & zelo Sacerdotum.*

CAP.

CAPVT XVII.

NE MISSAS RITE NON CELEBRET, AVT OFFICIVM DIVINVM RITE NON PERSOLVAT SACERDOS.

SVMMARIVM.

MISSA *non in quouis loco, sed tantum in sacro, & ab Episcopo dedicato, celebranda.* 1.11. 12.13.14.

Probare se debet Sacerdos, & confiteri peccata sua, antequam celebrat. 2.3.

Sacerdos degradatus celebrans, qualiter puniendus. 7.

Sacerdos excommunicatus celebrans, qualiter pœnitere debeat. 4.5.

Et qualiter interdictus. 5.

Sacerdos ligatus minore excommunicatione non efficitur irregularis, licet grauiter peccet: Sacramenta tamen ab eo collata tenent. 6.

Celebrans in pane fermentato, aut calice ligneo, sine aqua, & igne, qualiter puniendus. 19.

Et qualiter, qui non communicat in Missa, quam celebrat. 23.

Et qualiter, qui sanguinem non sumit. 24.
Quæ pollutio impediat communionem, aut Missæ celebrationem. 8.
Missa à ieiunio celebranda. 9.10.
Cœpta finienda. 10.18.
Sacerdos cum baculo ad Missam celebrandam ingredi non debet, neq; capite velato. 18.
Neque cum calcaribus, aut cultellis extra pendentibus. 13.
Neq; sine sacris vestibus, iisdemq; mundis, quibus indutus Ecclesiam non egrediatur. 20.
Neq; in panno serico, aut tincto celebret. 22.
Quod si celebrauerit sine orario, est excommunicandus. 21.
Neq; solus, sed duobus saltem præsentibus, celebrare debet Sacerdos. 14.15.
Non tamen debet esse femina ministrans. 16.
Neq; plus, quam semel in die, poterit Missam dicere, excepto die Natalis Domini, & aliis casibus. 17.
Officium Diuinum omnes vniformiter recitare tenentur. 25.
Qui illud omittit, qualiter puniendus. 26.
Fanon, siue Phanon, siue Fænon, Mappula, Amapha, quid. 20.

1 CAVE ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in eo, quem elegerit Dominus. *Deuter.* 12.

2 Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bi-

& bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit: non dijudicans corpus Domini. 1. *Cor.* 11.

Peccata confitenda ante Missæ celebrationem.

QVANDO Corpus Christi accipere debemus, 3
ante ad pænitentiam, & confessionem recurrere debemus, & omnes actus nostros curiosius discutere, & peccata (si in nobis comperimus) cito festinemus per confessionem, & veram pænitentiam abluere; ne cum Iuda proditore, peccata nostra celantes, pereamus. *S. Augustin. lib. de salutaribus documentis, & Ecclesiasticis dogmatibus, dogmate* 53. *tom.* 3. *S. Cyprianus serm. de lapsis. Hugo de Sancto Victore de Eccles. officiis. Concil. Trident. sess.* 13. *c.* 7. *S. Chrysost. hom.* 30. *in Genesim.* 10. *&* 83. *in Matth.* 60. *ad populum Antiochenum.*

Sacerdotes excommunicati celebrantes qualiter pænitere debeant.

DE illis Presbyteris, qui tempore Sanctissimi 4
prædecessoris nostri Domini Papæ Nicolai excommunicati sacrum ministerium contingere præsumpserint, ipsi in se damnationis (sicut sacri Canones statuerunt) sententiam intulerunt. Tamen, quia miseratio Apostolica veniam solet præstare correctis, ob multitudinem misericordiæ, illis hanc indulgentiam exhibemus, vt sancta communione saginati studeant tribus continuis annis per hebdomadam omni secunda, & quarta, &

sexta feria à vino, & à carne penitus ieiunare, & vltra lugenda nequaquam committere. *Io. Papa 8. 11. q. 3. c. eod.*

De eodem: ac de interdictis.

5 CLERICI, si qui, à suis, aut etiam de mandato Romani Pontificis ab alienis Episcopis interdicti, vel excommunicati, ante absolutionem Diuina Officia celebrauerint, nisi moniti sine dilatione redierint, perpetuæ depositionis sententiam pro ausu tantæ temeritatis incurrant. *Alex. 3. de Cler. excomm. c. eod.*

Sacerdos ligatus minore celebrans, licet grauiter peccet, non efficitur irregularis: Sacramenta tamen ab eo collata tenent.

6 SI celebrat minore excommunicatione ligatus, licet grauiter peccet, nullius irregularitatis tamen notam incurrit: nec eligere prohibetur; vel ea, quæ ratione iurisdictionis sibi competunt, exercere. Si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda: pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à sanctis Patribus est priuatus. Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta: sed ab eo collata virtutis non carent effectu: cum non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus dummodo non in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet

delicet contra prohibitionem superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter se ingesserit. In quo casu est anathemate feriendus. *Greg. 3. de Cler. excomm. c. eod.*

Sacerdos degradatus celebrans qualiter puniendus.

7 PERVENIT ad nos, quod Saturnius Presbyter, postquam pro crimine lapsus sui à Sacerdotis ordine est deiectus, ad explendum ministerium Sacerdotis præsumpsit accedere, & omnipotenti Dei hostias immolare. Quod si ita factum fraternitas vestra repererit, eum, sacri Corporis & Sanguinis Dominici participatione priuatum, in pœnitentiam redigat; ita, vt vsque ad diem obitus sui in eadem excommunicatione permaneat, & viaticum tantummodo exitus sui tempore percipiat. Sin autem eum fraternitas tua talem pœnitentiam agere cognouerit, vt ei iuste ad recipiendum inter laicos communionem, & ante exitum debeat misereri, hoc in tuæ fraternitatis ponimus potestate. *S. Gregor. dist. 50. c. accedens.*

Missæ celebrationem, aut communionẽ, quæ pollutio impediat,

& CVM pollutio ex naturæ superfluitate, vel infirmitate euenerit omnimodo hæc illusio non est timenda: quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quam fecisse. Cum vero vltra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis

tis rapitur, atque idcirco humorum receptacula grauantur, habet exinde animus aliquem reatum; non tamen vsque ad prohibitionem recipiendi sacri mysterij, vel Missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut dies festus exigit; aut exhibere mysterium pro eo, quod Sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam, si adsunt alij, qui implere mysterium valeant, illusio per crapulam facta à perceptione sacri mysterij prohibere non debet: sed ab immolatione sacri mysterij abstinere, vt arbitror, humiliter debet; si tamen dormientem turpi imaginatione illusio non concusserit, &c. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio in mente dormientis, patet animo suus reatus. Vident enim, à qua radice inquinatio illa processerit: quia, quod cogitauit sciens, hoc pertulit nesciens: & propter talem pollutionem à sacro mysterio ea die abstinere oportet. S. *Gregor. dist. 6. c. testamentum. Burchardus l. 5. cap. 43. Iuo p. cap. 52.*

Missa à ieiuno celebranda.

9 SACRAMENTA altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur, &c. *Concil. Africanum de consecr. dist. 1. c. eod. Sed huic decreto derogatum est per contrariam consuetudinem, & per tex. de consecr. dist. 2. c. liquido. quatenus excipit diem cœnæ Domini.*

De

De eodem: quodque cœpta Missa finiatur.

NVLLVS post cibum potumque, quantumlibet 10
minimum sumptum, Missas facere; nullus absque prouentu patentis molestiæ minister, vel Sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temerare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit. *Concil. Toletan. 7. 7. q. 1. c. nihil contra, de consecr. dist. 2. c. liquido.*

Missa in loco profano non celebranda.

NOBIS periculum est male obiti mandati, si lo- 11
cirationem neglexerimus; maxime si Sacerdotij mysteria in locis profanis celebrauerimus: propterea quod ea res indicium haberet contemptus in celebrante, offendiculum quoque generaret pro varietate affectionum multifariam, propter variam multorum in rerum diuinarum scientia infirmitatem, &c. *S. Basilius de baptismo. Concil. Laodic. can. 8. & 58. Carthag. 2. can. 9. de consecr. dist. 1. c. sicut, cum seqq. Conc. Trid. sess. 22. c. de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ.*

De eodem.

SATIVS est Missam non cantare, aut non au- 12
dire, quam in illis locis, vbi fieri non oportet; nisi pro summa contingat necessitate, quoniam necessitas legem nõ habet. Vnde scriptum est: Vide,

ne

Deu.12. ne offeras holocausta tua in omni loco, &c. *Felix Papa 4. ad omnes Episcopos c.1. vt per Iuonem p.2.cap. 76.& p.3.c.61. cum seqq. Vide sup. p.1.c.4.de templis. §.1.à cap.non patiantur, n.35. cum seqq.*

De eodem: quodq; nullus celebret Missam calcaribus indutus, aut cultellis extra pendentibus.

13 NVLLVS extra Ecclesiam in locis non sacratis, aut calcaribus indutus, vel cultellis extra pendentibus, celebret. *Sacerdotale Rom. l.1.c.13.*

De eodem: quodque Sacerdos solus Missas non celebret.

14 DEO perfecte sacrificantes, quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent; sed testes secum adhibeant, vt Domino perfecte in locis Deo sacratis sacrificare probentur. Ait namque Deu.12 auctoritas legis diuinæ: Vide, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus. *Anacletus Papa de consecr.dist.1.c.Episcopus Deo.*

Duobus saltem præsentibus Missa celebranda.

15 NVLLVS Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur: quia, cum pluraliter dicitur ab eo, Dominus vobiscum; &, Orate pro me, apertissime conuenit, vt & ipsius respondeatur salutationi. *Soter Papa de consecr. dist.1.c.hoc.quoque.*

Pro-

Prohibendum est, vt nulla femina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare,&c.

Conc. Mogunt. de cohab. Cler. & mul. c. 1. *Conc. Laodic. c.* 19. *&* 44. *Gelasius Papa ep.* 1. *c.* 28. 16

Non licet plus quam semel in die celebrare, excepto Natalis Domini die, & aliis.

SVFFICIT Sacerdoti vnam Missam in vna die celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est, vnam Missam facere: & valde felix est, qui vnam digne celebrate potest. *Alex. Papa secundum Iuonem p.* 2. *c.* 81. *de cons. dist.* 1. *c. eod. de celebr. Missarum, c. consuluisti. Excepto die Natalis Domini, vbi tres dicuntur. Telesphorus Papa ead. dist. c. nocte sancta, & aliis: vt refert Paludanus in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *S. Antoninus p.* 3. *tt.* 13. *c.* 6. *§.* 4. 17

Sacerdos non ingrediatur ad Missarum solemnia celebranda cum baculo, aut capite velato; & cœptam Missam finire debet.

NVLLVS Episcopus, aut Presbyter, seu Diaconus ad Missarum solemnia celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altario Dei assistere. Quoniam & Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia. Et, qui temere præsumpserint, communione priuentur. Cum 18

1. Co. 11

vero

vero Episcopus, aut Presbyter ingressus fuerit ad Missarum solemnia celebranda, nisi passio aliqua interuenerit, nullo modo audeat data oratione recedere, vt ab alio Episcopo, vel Presbytero Missarum solemnia suppleantur; sed, qui initium ponit, suppleat vsque in finem, quia scriptum est: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Si quis vero præsumpserit, præter quod posuimus agere, à sacro Corpore & Sanguine Domini nostri Iesu Christi sit suspensus. *Zacharias Papa de consecr. dist. 1. c. eod. Iuo. p. 3. c. 271.*

Mat. 10.

Celebrans in pane fermentato, aut calice ligneo, sine aqua & igne qualiter puniendus.

19 LITERAS tuas accepimus, continentes, quod, cum super excessibus Presbyteri Ecclesiæ sanctæ Brigidæ inquireres, confessus est, quod, cum quadam die hostiam, & calicem non haberet, in pane fermentato, & scypho ligneo Missarum solemnia celebrare præsumpserit, &c. Intellecto iterum, quod prædicta Ecclesia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter lædebatur, inquisitionis officium iterans, ex eius confessionibus inuenisti, quod idem sine igne sacrificabat, & aqua. Cum igitur vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probetur, mandamus, quatenus officio, & beneficio perpetuo ipsum priues. *Honorius 3. de celebr. Miss. c. fi. De calice ligneo vide sup. p. 1. c. 3. §. 2. de vestimentis, n. 11.*

Sacer-

Sacerdos sine vestibus sacris iisque mundissimis Missam non celebret, neque illis indutus Ecclesiam egrediatur.

NVLLVS Presbyter absque amictu, alba, & *a* fænone, & casula vllatenus præsumat Missam celebrare. Et hæc sacra vestimenta mundissima sint, & in nitido loco intra Ecclesiam collocentur. Nec vsquam Presbyter his indutus extra Ecclesiam exeat, quia hoc Diuina lex prohibet. *Burchardus l. 2. c. 50. Iuo. p. 2. c. 117. ex Conc. Rhemensi, licet in eo hoc decretum non inuenerim.*

a Fœnon] *siue Fanon, siue Phanon, est sudarium, quod Sacerdos gestare debebat in manibus ad abstergendum sudorem vultus, & pituitam ex naribus & oculis effluentem, secundum Alcuinum de diuinis officiis cap. de singulis vestibus. & Rabanum Maurum de institutione Clericorum l. 1. c. 18. Burchardus lib. 2. c. 50. Iuo. p. 2. c. 117. & sermone de rebus Ecclesiasticis, de significationibus vestimentorum Sacerdotalium. Hoc genus sudarij vocat Beda de septem Ordinibus tomo 3. Mappulam, id est, Amapham, quam in sinistra manu portari debere autumat. In huius locum videtur subrogatus manipulus, qui portatur in sinistra. Quo significatur extersio minimarum macularum, quia manipulus est quasi sudarium ad extergendum vultum. Verba sunt S. Thom. sup. 4. dist 24. q. 3. art. 3.*

Sacerdos sine oratio celebrans excommunicandus.

121 CVM Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam orario vtroque humero circumseptus, sicut tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus: ita, vt de vno, eodemque orario ceruicem pariter, & vtrumque humerum premens signum in suo præparet pectore Crucis. Si quis aliter egerit, excommunicationi debitæ subiaceat. *Conc. Brachar. dist. 23. c. Ecclesiast.*

Non celebrandum in panno serico, aut tincto.

22 CONSVLTO omnium, statuimus, vt Sacrificiũ altaris nõ in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumat; sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato, atque contexto: sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit. *Eusebius Papa de consecratione dist. 1. cap. eod. vel S. Syluester secundum S. Damasum in Pontificiali. Idem decreuit S. Sixtus Papa Martyr. S. Thom. opusculo de off. Sacerdotis, c. 1. Vide sup. p. 1. c. 3. §. 2. de vestimentis, Corporale cui, n. 13.*

Sacer-

Sacerdos, qui, celebrans, non communicat, qualiter puniendus.

QVICVMQVE Sacerdotum diuino altario sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspenderit; ab ipsa, qua se indecenter priuauit, gratia communionis anno vno repulsum se nouerit, &c. Ergo modis omnibus est tenendum, vt quotiescumque sacrificans Corpus & Sanguinem Iesu Christi domini nostri in altario immolat, toties perceptionis Corporis & Sanguinis Christi participem se præbeat. *Conc. Toletan. 12. de consecr. dist. 2. c. relatum.* 23

Sacerdos, qui, celebrans, sanguinem non sumit, qualiter puniendus.

COMPERIMVS, quod quidam sumpta tantummodo Corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant. Qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire. *Gelasius Papa de consecr. dist. 2. c. eod.* 24

Omnes vniformiter Officium Diuinum recitare tenentur.

DE iis, qui contra Apostoli voluntatē circumferuntur omni vento doctrinæ, placuit huic Sancto Concilio, vt Metropolitanæ sedis auctoritate 25

ritate coacti vniuscuiusq; prouinciæ ciues, rectoresque Ecclesiarum vnum eumdemque in psallendo teneant modum, quem in Metropolitana sede cognouerint institutum; nec aliqua diuersitate cuiusque ordinis, vel officij à Metropolitana se patiantur sede disiungi, &c. Quisquis autem horum decretorum violator extiterit, sex mensibus communione priuatus, apud Metropolitanum sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus, &c. *Concil. Toletan.* 11. *dist.* 12. *c. eod. c. placuit. Gerunden. c.* 1. *de consecr. dist.* 4. *c. institutio. Concil. Brachar.* 1. *Can.* 20. 21. 22. *Conc. Veneticum cap.* 15. *Epaunen. c.* 27. *Postea fel. rec. Pius Papa V. anno* 1568. *septimo Idus Iulij præscripsit vnum eumdemque psallendi ritum.*

Officium Diuinum omittens qualiter puniendus.

26 STATVIMVS, & ordinamus, quod quilibet, habens beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio Diuinũ Officiũ non dixerit, legitimo impedimẽto cessante, beneficiorũ suorum fructus non faciat suos pro rata omissionis officij, & temporis; sed eos, tamquam iniuste perceptos, in fabricas Ecclesiarum huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas, erogare teneatur. Si vero vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur: cum propter officium detur beneficium. Intelligitur

gitur autem Officium omittere, quo ad hoc, vt beneficio priuari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit. *Concil. Lateran. sub Leone X. cap. 9. Et ita legendum nouissime scribit Petrus à Nauarra de restitutione p. 1. l. 2. c. 11. art. 182. contra Dominicum Sotum, de iustitia, & iure, l. 10. q. 5. art. 6. col. 5. vbi dicit legendum, Per sex menses; non, Post sex menses.*

De eodem.

STATVIMVS, vt, qui horas omnes Canonicas vno, aut pluribus diebus intermiserit, omnes fructus, qui illi, vel illis diebus respondent; qui vero Matutinas, dimidam; qui ceteras omnes horas aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eius diei amittat. 27

Pius V. Romæ, Kal. Octobris. anno Domini 1571.

CAPVT XVIII.

NE LOCA, AVT RES SACRAS IMMVNDAS ESSE SINAT: NEV DISTRAHAT, PROFANETVE SACERDOS.

SVMMARIVM.

NEMO *profanare debet vasa, aut vestimenta sacra: quia eiusmodi profanatores à Deo seuere puniuntur.* 1. 6. 7.

Vestimenta, & vasa sacra, & corporalia munda sint, & nitida. 2.

Mundis vestibus, & munda conscientia tractanda Domini Sacramenta. 3.

Pallæ sordidæ, & vela sanctuarij qualiter lauanda. 4.

Nemo det pignori vasa, aut vestimenta sacra. 5.

Vestimentis altaris laici mortui non obuoluendi. 8.

1 BALTASSAR Rex iam temulentus præcepit, vt afferentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem, vt biberet in eis Rex, & optimates eius, &c. Eadem nocte interfectus est Baltassar Rex Chaldæus. *Dan.* 5.

Ecclesiæ vestimenta, vasa sacra, & corporalia, sint munda, & nitida.

2 SVNT aliqui, qui non solum Ecclesias dimittunt

tunt incultas, verum etiam vasa ministerij, & vestimenta ministrorum, ac pallas altaris, nec non ipsa Corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori, &c. Præcipimus, vt oratoria, vasa, Corporalia, & vestimenta prædicta, munda, & nitida conseruentur. Nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis. *Innoc. 3. de cust. Euch. c. fi. Burchard. l. 2. c. 50. l. 3. c. 97. Vide sup. p. 1. cap. 4. §. 1. de Templis, c. Erat sollicitus, n. 38.*

Mundis vestibus, & munda conscientia tractanda sunt Domini Sacramenta.

NON quotidianis, & quibuslibet pro vsu vitæ 3
communis pollutis vestibus ingredi debemus in Sancta Sanctorum; sed munda conscientia, & mundis vestibus tenere Domini Sacramenta. *S. Hieron. super Ezech. c. 46.*

Qualiter lauandæ pallæ sordidæ, & vela Sanctuarij.

Pallas, & vela Sanctuarij, si sordidata fuerint mi- 4
nisterio, Diaconi cum humilibus ministris intra Sanctuarium lauent, non eijcientes foras à sacrario: & velamina dominicę mensę abluant, ne forte puluis Dominici corporis male decidat. Sindonē vero ne foris abluant: & erit hæc operanti peccatum. Idcirco intra Sacrariū ministris pręcipimus hæc sancta cum diligentia custodire. Sane peluis noua comparetur, & præter hoc nil aliud tangat.

Sed nec ipsa peluis velis apponatur lauandis, nisi quæ ad Dominici altaris cultum pertinent. Pallæ altaris solæ in ea lauentur, & in alia vela ianuarum, &c. *S. Clemens de consecr. dist. 1. c. nemo per ignorantiam.*

Nemo det pignori vasa, aut vestimenta sacra.

5 NVLLVS Presbyterorum præsumat calicem, vel patenam, vel pallium altaris, vel vestimentum Sacerdotale, aut librum Ecclesiasticum tabernario, vel negotiatori, aut cuilibet laico, aut feminæ in vadimonio dare, nisi iustissima necessitate vrgente: quia tanta est sanctitas sacri ministerij, vt, salua altioris mysterij intelligentia, etiam Dominus per Prophetam prohibuerit, ne cum sanctis vestimentis Sacerdos ad populum procedat; sed illa intra sancta dimittat, à colloquio diuino rediens, &c. Sicut sanctus Stephanus Papa & Martyr Sanctum Hilarium in suis decretis docuit. *Hoc decretum datur Concilio Rhemensi. c. 11. sed falso.*

Nemo profanet vasa, aut vestimenta sacra.

6 NVLLVS Sacerdos, seu laicus, calicem, aut patenam, aut quælibet vasa sacra, & diuino cultui mancipata, ad alios vsus retorquere præsumat. Nã, quicumque de calice sacro aliquid aliud bibit præter Christi Sanguinem, qui in Sacramento accipitur; & patenã ad aliud officium habet, quam ad altaris ministeriũ, deterrendus est, exemplo Baltasar,

sar, qui, dum vasa Dominii in vsus communes as- Dan. 5.
sumpsit, vitam pariter cum Regno amisit. *Ita refertur ex Conc. Aurelian. 4. c. 9. Sed in nullo quinq; Conciliorum Aurelianis celebratorum inuenitur. Idem tamen decretum est in Can. Apostolorum 72. & in Concilio Brachar. 3. c. 2. de consecr. dist. 1. c. vestimenta.*

Sacra vasa furto subtrahere cupiens Clericus diuinitus punitur.

Vt not. sup. p. 1. c. 3. §. 2. de vestimentis, Nocte consur- 7
gens, n. 20.

Vestimentis altaris mortui laici non obuoluendi.

NEMO per ignorantiam Clericus mortuum 8
credat obuoluendum, aut Diaconus scapulas velit operire palla, quæ fuit in altari, aut certe, quæ Diacono data est in mensam Domini. Qui hæc fecerit vel leuiter, quasi nihil, & negligenter habuerit diuina mysteria, Diaconus triennio sexque mensibus à Dominico alienus erit altari, graui percussus anathemate. Quod si Clericum Presbyter non commonuerit, decem annis, & sex mensibus excommunicatus sit: propterea quod de Dominicis Sacramentis subiecta sibi non amouerit ministeria: & postea cum grandi humilitate matri reconcilietur Ecclesiæ. *S. Clemens de consecr. dist. 1. c. eod.*

CAPVT XIX.

NE PROFANIS VESTIBVS INDVATVR SACERDOS:

NE FERAT ANVLOS, NE COMAM NVTRIAT, AVT BARBAM.

SVMMARIVM.

AMICTVS *corporis est index interioris hominis.* 1. 12.

Puniuntur à Domino, qui peregrina veste induuntur. 2.

Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. 3.

Sacerdotum cultus nimius in vestibus reprobatur. 4.

Sæcularibus, aut profanis vestibus indui non debent, nec alicubi esse sine operimento, ac de pœna transgressorum. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

De coloribus, qui Clericis interdicuntur in vestibus, deq; aliis superfluitatibus, ac de anulis. 7. 9.

Quid de vnguentis. 9.

Quid de calciamentis. 10.

Clerici arma ferentes qualiter puniuntur. 10.

Clerici nec comam nutriant, nec barbam: alioqui ab Archidiacono tondendi. 14. 15. 16.

Coro-

Corona in modum sphæræ radenda.16.
Ornatus,& sordes pari modo fugiendæ.13.
Tunica Sacerdotalis quæ.5.
Epitimium quid.9.

AMICTVS corporis,& risus dentium,& ingressus hominis enuntiant de illo. *Eccl.* 19. 1

Visitabo super omnes,qui induti sunt veste peregrina.*Soph.*1. 2

Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.*Matth.*11. 3

Sacerdotum cultus nimius in vestibus reprobatur.

CERNITVR in nonnullis Sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum autem nullus, aut exiguus. Quibus ego si rememorem illud Apostolicum: Non in veste pretiosa, vereor, ne indignentur, dum nimirum indignum ducant in se assumptam sententiam, quam prius in viliorem sexum, & ordinem,prolatam fuisse recognouerint. Quasi vero non eodem vtantur medici ferro secandis Regibus,quo & popularibus hominibus,&c. Attamen, si indignantur pari cum mulierculis non quidem à me,sed ab Apostolo feriri sententia, dedignentur & cum ipsis eadem inuolui culpa,&c. Verum tu, Sacerdos Dei altissimi,cui ex his placere gestis,mundo,an Deo? Si mundo,cur Sacerdos? si Deo, cur, qualis populus,talis & Sacerdos? &c. *S.Bernard.ep.*42. 4 1.Ti.2

Cleri-

Clerici sæcularibus vestibus non vtantur, nec alicubi sint sine operimento: ac de pœna transgressorum.

5 PRESBYTERI, & Diaconi sæcularibus indumentis non vtantur nisi, vt condecet, *a* tunica Sacerdotali: sed neque, dum ambulauerint in ciuitate, aut in via, aut in plateis, sine operimento præsumant ambulare, præter, si in itinere longo ambulauerint: quia, sicut mulier orans in Ecclesia
1.Co.11. non velato capite deturpat caput suum, iuxta Apostoli vocem; ita Sacerdos sine operimento deturpat Sacerdotium suum. Quod si temere præsumpserit contra statuta agere, communione priuetur, donec, quæ statuta sunt, adimplere maturet. *Zacharias Papa 21.q.4.c.Episcopi.*

a Tunica Sacerdotali] *hæc est tunica talaris, hoc est, ad talos vsq; demissa vestis, vt notat Cardinalis. S. Sixti hic. Et illa debent vti Sacerdotes ex decreto Martini Bracharen. dist. 23. c. pen. Vestis autem clericalis erat clausa, secundum gl. de consecr. dist. 5. c. dictum.*

De eodem.

6 SINE ornatu Sacerdotali extra domos Sacerdotes apparere non conuenit; ne, vt aliqui sæcularium, iniurias patiantur: sed ea solum modo, quæ per Patres constituta videntur, obseruent. Contrarius deniq; inuentus, aut desinat, aut canonicæ subiaceat disciplinæ.

Leo Papa 4. 21.q.4.c. eod.

De

De eodem: ac de coloribus, qui in clericalibus vestibus prohibentur, & aliis superfluitatibus, & anulis.

CLAVSA deferant desuper indumenta Clerici, 7
nimia breuitate, vel longitudine non notanda. Pannis rubeis, aut viridibus, nec non manicis, aut fotularibus consutitiis, frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus Sacerdotes non vtantur. Cappas manicatas ad diuinum Officium intra Ecclesiam non gerant, sed nec alibi, qui sunt in Sacerdotio, & personatibus constituti; nisi iusta causa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri, vel argenti ornatum habentes: sed nec anulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis. *Innoc. 3. de vita, & hon. Cler. cap. penult.*

Clerici honestum habitum non ferentes qualiter puniendi.

OMNES Ecclesiasticę personæ, quantumcumq; 8
exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia aut beneficia qualiacumq; Ecclesiastica obtinuerint, si, postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum Publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum Ordini, & dignitati congruentem, & iuxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus, & prouentibus ipsorum

rum beneficiorum: necnon, si, semel, correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum, & beneficiorum huiusmodi coërceri possint, & debeant, iuxta Constitutionē Clementis V. in Concilio Viennensi editam, quæ incipit, Quoniam, innouando, & ampliando. *Conc. Trident. Sess. 14. c. 6.*

De eodem: ac de vnguentis.

9 OMNIS iactantia, & ornatura corporalis à sacrato Ordine aliena est. Eos ergo Episcopos, vel Clericos, qui se fulgidis, & claris vestibus ornant, emendari oportet. Quod si in hoc permanserint, *b* epitimio tradantur: similiter & eos, qui vnguentis inunguntur, &c. A priscis enim vsq; temporibus omnis sacratus vir cum mediocri, & viliori veste conuersabatur. Omne quippe, quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam: quemadmodum magnus Basilius ait. Sed neque ex sericis texturis vestem quis variatam induebat, neq; apponebat variorum colorum ornamenta in summitate vestimentorum. Audierant enim ex Dei-
Mat. 11. sona lingua: Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. *Septima Synod. 21. q. 4. c. eod. iuxta veriorem literam. Iuo p. 5. c. 337.*

b Epitimio] *est Epitimium obiurgatio, aut reprehensio: vt colligitur ex Modestino iurec. ff. de tutoribus, & cur. l. scire. §. 1. Quamuis aliter interpretetur Alciatus Parerg. l. 2. c. 29. Sed, quod ad nos facit, Epitimium est suspensio vnius septimanæ, vt not. à Doctoribus hic, iun-*

cto

lio cap. nullus eadem causa, 21. q. 4. licet in Septima Synodo Nicæna, vnde sumptum est hoc decretum, pro Epitimio legatur, Supplicio.

De eodem: ac de armis non ferendis, ac de calciamentis.

NVLLVS Clericus sagum, aut vestimenta, aut 10
calciamenta sæcularia, nisi quod religionem decet, induere præsumat. Quod si post hanc definitionem Clericus aut cum indecenti veste, aut cum armis inuentus fuerit, à seniore ita coërceatur, vt, triginta dierum inclusione detentus, aqua tantum & modico pane diebus singulis sustentetur. *Conc. Matiscon. c. 3. dist. 23. c. Clerici. Sexta Synod. c. 27. In calciamentis ea ratio est habenda, vt videlicet quod quam minimum præferat curiositatis, minimoq; sumptu parari possit, & ad necessarium modo vitæ vsum sit satis. S. Basilius in reg. fus. interrog. 22.*

De eodem.

QVICVMQVE Clericus virgata, vel partita veste 11
publice vtetur, (nisi causa rationabilis subsit) si beneficatus extiterit, per sex menses à perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinet, sit eo ipso suspensus, &c. *de vita, & hon. Cler. Clem. 2.*

Superfluitas exterior est index interioris vanitatis.

VANVM cor vanitatis notitiam ingerit corpori. 12
Exterior enim superfluitas interioris vanitatis indicium est: Mollia indumenta animi mollitiem indi-

indicant. Non tantum curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. *S. Bernard. in Apologia.*

Ornatus & sordes pari modo fugiendæ: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.

13 *S. Hieron. ad Nepotianum.*

Clericus nec comam nutriat, nec barbam: alioquin ab Archidiacono tondendus.

14 CLERICVS neq; comam nutriat, neq; barbam. *Concil. Carthagin. de vita & hon. Cler. c. eod.* Quod si comam nutrierint, aut barbam, etiam inuiti à suis Archidiaconis tondeantur. *Alex. 3. eo tt. c. Clericis Concil. Agath. dist. 23. c. Clerici.*

De eodem.

15 NON oportet Clericos comam nutrire, & mi-
Exo. 22. nistrare; sed attonso capite, patentibus auribus, & secundum Aaron talarem vestem induere, vt sint in habitu ornato. *Ex decreto Martini Bracharensis, dist. 23. c. pen.*

De eodem: & quod desuper comam in modum sphæræ radant.

16 Prohibite fratres. *vt sup. p. 2. c. 3. §. 1. de ornatu, n. 23. Vbi multa alia de hoc.*

CAP.

CAPVT XX.

NE CANES AD VENANDVM, ACCIPITRES, AVT FALCONES AD AVCVPANDVM HABEAT SACERDOS.

SVMMARIVM.

OMNIBVS *Clericis interdictæ sunt venationes, & siluaticæ vagationes, & accipitrum, & falconum vsus.* 1.

Presbyter, aut Diaconus, qui inuenti fuerint sæpius huiusmodi venationibus, & aucupiis operam dare, qualiter puniendi. 2.

In Scripturis sacris non inuenitur quisquam Sanctus venator. 3.

1

OMNIBVS seruis Dei, id est, Clericis venationes, & siluaticas vagationes cum canibus, & vt accipitres, & falcones habeant, interdicimus. *dist.* 34. *c. eod. de Clerico ven. c.* 2. *Conc. Moguntinum, ne Cler. vel mon. c.* 1.

Presbyter habens canes ad venandum, aut accipitres, qualiter puniendus. 2

PRESBYTERVM, aut Diaconum canes ad venandum, aut accipitres, aut huiusmodi res habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si Presbyter est,

duobus mensibus; si Diaconus, ab omni officio, & communione suspendatur. *Concil. Aurelian. 4. dist. 34. c. Episcopum, licet aliter in originali legatur: de quo vide Burchardum l. 2. c. 213. Iuonem p. 5. c. 366. p. 6. c. 288. p. 13. c. 30. Concordat Concil. Agath. c. 55. Epaunen. c. 3. de Cler. ven. c. 1.*

Esau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non inuenimus in Scripturis sanctis, Sanctum aliquem venatorem; piscatores inuenimus Sanctos.

3 *s. Hieron. dist. 86. c. eod.*

PARS QVARTA.

DE MORTE BONI ET MALI SACERDOTIS.

CAPVT I.

DE MORTE BONI SACERDOTIS.

SVMMARIVM.

PRETIOSA *est in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* 1.

Bonam Sacerdotum vitam bona mors sequitur, & benedictio populi. 2.4.7.10.

Sacerdotes iusti moriuntur propter malitiam populi, ad eius punitionem. 3.4.5.8.

Quotidie moritur iustus. 6.9.

Et ideo non subito moritur Sacerdos, qui se semper moriturum cogitauerit. 11.

Est enim illi mors quies, pax, somnus, portus: & propterea appetenda. 11.

Varia mors bonorum Sacerdotum. 13.

Et est lugenda. 14.

Nemo sepeliebatur in Ecclesia, nisi iusti Sacerdotes. 15.16.

Eorum tamen cadauera palla non debent obuolui. 17.

Induti tamen Sacerdotalibus vestimentis sepeliri debent. 18.

Lumina deferenda in funeribus defunctorum. 19.

Et iustorum cadauera maximi facienda, & cura de sepultura habenda, exemplo Sanctorum Patrum. 20.

PRE-

PRETIOSA in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. *Pſa.* 115. 1

Timenti Dominum bene erit in extremis, & in diebus conſummationis illius benedicetur. *Eccl.* 1. 2

Ecce dominator Dominus exercituum aufert à Ieruſalem, & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ: fortem, & virum bellatorem, Iudicem, & Prophetam, & Ariolum, & Senem. *Iſa.* 3. 3

Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo: & viri miſericordiæ colliguntur, quia non eſt qui intelligat: à facie enim malitiæ collectus eſt iuſtus. Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directione ſua. *Iſa.* 57. 4

Abſtulit magnificos meos Dominus de medio mei: vocauit aduerſum me tempus, vt contereret electos meos. *Thren.* 1. 5

Quotidie morior. 1. *Cor.* 15. 6

Qui bene miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirent. 1. *Tim.* 3. 7

Caſtigatio populi, mors Sacerdotis.

INTEREA, quæ comminatur Dominus, eſt ablatio Preſbyteri, ſiue Senioris: quod ex eius præſentia non mediocre emolumentum in alios reſiliat. *S. Baſilius ſuper c. 3. Iſaiæ.* 8

Iuſtus Sacerdos quotidie moritur.

SANCTI Sacerdotes, qui breuitatem vitæ indeſinen- 9

sinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes viuunt; & tanto se sollicitius mansuris præparant, quanto nulla esse transitoria ex fine semper pensant. *S. Gregor. Moral. l. 3. c. 5.*

Sacerdoti iusto oritur lux in morte.

10 AD vesperum oritur fulgor Sacerdoti iusto, quia in occasu suam cognoscit claritatem: ideo
Eccl. 1. dicitur: Timenti Dominum bene erit in extremis. *Idem S. Gregor. Moral. l. 10. c. 21.*

Non moritur subito Sacerdos, qui se semper moriturum cogitauerit.

11 NON nocet bonis Sacerdotibus, si occidantur, vel subita morte rapiantur. Non enim subito moriuntur, qui semper se cogitauerunt morituros. Siue ergo ferro immolentur, siue à bestiis lacerentur, aut flammis, vel vndis immergantur, aut suspendantur, vel crura frangantur, vel quolibet alio infortunio moriantur, Semper est pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius, vt dicitur. Quacumq; hora iustus moriatur, iustitia eius
Psa. 115. non auferetur ab eo: & ita mors non obest; immo multum prodest eis: quia, siquid peccati contraxerunt per humanam fragilitatem, relaxatur per mortis acerbitatem. *S. Anselmus in Meditationibus.*

Mors est iustis Sacerdotibus quies, pax, portus, somnus, ideo appetenda.

12 MORS Sacerdotibus iustis quietis est portus. *S. Ambr.*

Ambros. de bono mortis, c. 8. Somnus iustis mors est, immo magis migratio ad vitam meliorem. *S. Basilius de Barlaam Martyre.* Probat Simeon, atq; con- *Luc.* 2. testatur, tunc esse Sacerdotibus Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando, de istis mundi turbinibus extracti, sedis, & securitatis æternæ portum petimus; quando, expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus. Illa enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis, & firma, & perpetua securitas, &c. Magnus nos in paradiso carorum numerus expectat parentum, fratrum; frequens nos, & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. Qualis illic cælestium regnorum voluptas, sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? Quam summa, & perpetua felicitas? &c. *S. Cyprianus de mortalitate.*

Varia mors bonorum Sacerdotum.

In exitu vitæ animæ electorum nimio terren- 13
tur metu, incerti, vtrum ad prę̃mium, an ad supplicium transeant. Quidam autem electi in fine suo purgantur à leuibus quibusdam peccatis: quidam vero in ipso exitu suo hilarescũt ex æternorũ contemplatione bonorũ. Quamuis enim quis in hac vita sit iustus, tamen, dum ex corpore istoegreditur, pertimescit, ne dignus supplicio sit, &c. Finem iustorum optimum vocatio tranquilla commendat, vt ex eo intelligantur Sanctorum habere consortium Angelorum, ex quo ab hoc corpore sine

vexatione dura tolluntur. *S. Isidorus de summo bono l.3.c.66. S.Gregor Moral.l.24.c.17.18.*

Mors Sanctorum lugenda.

14 PATRES veteris, & noui Testamenti mortes Sanctorum virorum legimus multis in locis cum fletu deploraſſe; in nullo autem loco, de illis, qui
Gen.50 à sæculo discesserant, exultasse. Nam & Iacob Patriarcham tota fleuit Ægyptus septuaginta die-
Ibidem bus; & Ioseph, & fratres eius, cum patrem deferrent in terram Canaam, ad sepeliendum, celebrantes exequias, planctu magno, atq; vehementi impleuerunt septem dies. Tantus autem fuit planctus, vt luctus inde nomen acceperit. Et de
Act. 8. Beato Stephano legimus, quod sepelierunt eum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum, &c. Si quis autem ibi cantare desiderat, Kyrie eleyson cantet; sin aliter, omnino taceat. Si autem tacere non vult in crastino, à Presbytero taliter coërceatur, vt ceteri timeant. *Concil. Arelat.3. c.5. S. Chrysost. hom. 70. tom.5. Liceat alibi mortuos non lugendos esse præcipi videatur, in Conc. Tolet.3.c. 22. Vide S. Cyprianum sermone de mortalitate. S. Gregorium Nyssenum oratione de dormientibus. Quod optime interpretatur S.Hieronymus ep.25. ad Paulam, de obitu Blesillæ, & S. Cyrillus Alex.l.7. cap.20.super Ioan.*

Nemo sepeliebatur in Ecclesia, nisi iusti Sacerdotes.

15 NEMO in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit perso-

persona Sacerdotis, qui per vitæ meritum talem, viuendo, suo corpori defuncto locum acquisiuit. *Concil. Tribur. c. 17.*

De eodem.

NVLLVS mortuus infra Ecclesiam sepeliatur, 16
nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri. *Concil. Mogunt. c. 52.*

Sacerdotis cadauer palla non obuoluatur.

DE opertorio Dominici Corporis, seu palla 17
altaris, numquam Sacerdotis corpus, dum ad tumulum vehitur, obtegatur: quia, sacro velamine vsibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur. *Concil. Aruern. cap. 3. Matiscon. 2. cap. 12.*

Sacerdotes sepeliantur Sacerdotalibus vestimentis induti.

Ex eo, quod Nadab, & Abiu fuerunt sepulti 18
cum vestibus Sacerdotalibus, inoleuit consuetudo, quod Sacerdotes nouæ legis cum vestibus Sacerdotalibus sepeliantur. *Nyc. Lyra sup. cap. 10. Leuitici.*

Lumina deferri solita in funeribus ab ipsa primitiua Ecclesia.

Vide sup. p. 1. c. 4. §. 2. de cereis, n. 52. Lumina. 19

Iustorum cadauera maximi sunt habenda; & curandum de sepultura, exemplo Sanctorum.

20 NON sunt contemnenda, & abijcienda corpora defunctorum, maximeque iustorum, atque fidelium, quibus, tamquam organis, & vasis, ad omnia bona opera sanctus est vsus Spiritus. Si enim paterna vestis, & anulus, & si quid huiusmodi tanto carius est posteris, quanto erga parentes maior extitit affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multo familiarius, atq; coniunctius, quam quælibet indumenta, gestamus, &c. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa; ipsiq;, dum viuerent, de sepeliendis, vel etiam transferendis, suis corporibus filiis mandauerunt. Et Tobias sepeliendo mortuos, &c. *S. Augustt. de Ciu. Dei l. 1. c. 13. & lib. de cura pro mortuis agenda.*

Tob. 2. 12.

CAP.

CAPVT II.

DE MORTE MALI SACERDOTIS.

SVMMARIVM.

TERRIBILI *morte puniuntur à Deo Sacerdotes mali* 1.2.3.4.

Plures Sacerdotes damnantur, quam salui fiunt. 5.

Et inter reprobos proijciuntur. 6.

Perduntque beatitudinem, & inueniunt mortem 7.

Neque eorum mors finem habet, quia neque post mortem desinunt esse iniqui. 8.9.

Et ideo in morte obliuiscuntur sui, quia in vita obliti sunt Dei. 10.

Terrore suorum tormentorum multi reuocantur à culpa, qui suo viuentium exemplo prauo tracti fuerant ad culpam. 11.

Qui mortem sibi consciuerint, vel pro suis sceleribus fuerint puniti, sepeliendi sunt sine Psalmis, neque pro eis in Missa commemoratio facienda. 12.

ARREPTIS Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. Egressusq; ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. *Leu.* 10. 1

Core

2 Core, Dathan, & Abiron seditionem mouent, hosque viuos terra absorbet; illum vero cum sociis deuorat ignis, sed & alios murmurantes consumpsit incendium. *Num.* 16.

3 Propter peccatum filiorum Heli Sacerdotis fit illis, & domui illius comminatio, ac mors aliorum prædicitur. 1. *Reg.* 2.

4 Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. *Isa.* 3.

Plures Sacerdotes damnantur, quam salui fiunt.

5 Non arbitror, *vt sup. p.* 2. *cap.* 9. *§.* 2. *de oneribus, n.* 28.

Malus Sacerdos inter reprobos proijciendus.

6 TAM à potentibus huius mundi, quam à nobis (quod peius est) nonnulli grauiter fagitati depereunt, quos se de manu nostra Dominus requisiturum terribiliter comminatur, dicens: Requiram oues meas de manu pastorum, & cessare eos faciam, vt vltra non pascant. Quod quid est aliud, quam pastores, qui se ipsos, non gregem meum pascũt, sublimitate suæ dignitatis expoliem, & inter reprobos, quia honorem suum noluerunt custodire, proijciam? Horum, & his similium consideratione perterritus Propheta: Timor, & tremor, inquit, venerunt super me, & contexerunt me peccatorum meorum tenebræ, &c. *S. Prosper. de*

Eze. 34

Psal. 45

*de vita contemplatiua l.*1.*c.* 21. *vbi describit luctuosam carnalis Sacerdotis vitam.*

Malus Sacerdos perdit beatitudinem, & inuenit mortem.

O DVRVS, & durior casus! Heu, quid perdidit 7
Sacerdos, & quid inuenit! Perdidit beatitudinem, ad quam factus est; & inuenit mortem, ad quam factus non est. Hodie venimus à patria in exilium, à visione in cæcitatem, à iucunditate immortalitatis ad corruptionem mortis. Misera conditio, grauis dolor, graue damnum, graue tormentum. *S. Anselmus in Meditationibus.*

Mors miseri Sacerdotis numquam finitur.

FIT misero Sacerdoti mors sine morte, finis si- 8
ne fine, defectus sine defectu. quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Quia igitur, & mors perimit, & non extinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat; flamma comburit, sed nequaquam tenebras decutit: quantum ad notitiam præsentis vitæ colligitur, supplicia ordinem non habent, quæ non suam per omnia qualitatem tenent. *S. Gregor. Moral. l.* 9. *c.* 48. *& Dialogorum l.* 4. *Card. Petrus Damianus epist.* 3. *cap.* 12.

Iniquus Sacerdos nec post mortem desinit esse iniquus.

MORS quidem animam à carne separat, animæ 9
autem propositum non immutat. Vis scire? Considera

Mat.7. sidera eos etiam post mortem mentientes, Domine, in nomine tuo hoc, & hoc fecimus. Numquid nesciebant ipsi apud se, quia numquam nec dilexerant Christum, nec fecerant voluntatem eius? Sed putant, se, sicut in hoc sæculo homines deceperunt, sic & ibi etiam Deum fallere posse. Ideo etiam non dicit illis: Discedite à me, qui operati estis iniquitatem; sed: Qui operamini. Quia iniqui nec post mortem desinunt esse iniqui: quia, etsi peccare non possunt, tamen peccandi propositum tenent. *S. Chrysost. hom. 19. in c. 7. Matth.*

Percutitur hac animaduersione Sacerdos malus, vt moriendo obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei,

10 *Cæsarius admonitione 126.*

Moriens Sacerdos malus multos reuocat à culpa terrore sui tormenti, & quos viuens suo exemplo traxerat ad culpam.

11 INIQVVS Sacerdos moriens, qui imitatione sua multos ad culpam traxerat delectatione peccati, multos à culpa reuocat terrore tormenti. Quod Psal.57 etiam Psalmista testatur, dicens: Lætabitur iustus, cum viderit vindictam impiorum, manus suas lauabit in sanguine peccatorum. In peccatorum enim morientium sanguine iusti lauant manus: quia dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur. Cuius enim talis tam crudelis exitus cernitur, non solum, qui viderit, refugit,

fugit, sed alios etiam ab imitatione illius, quanta valuerit exhortatione, compescit. *S. Isidor. de summo bono l. 3. c. 66. S. Gregor. Moral. l. 18. c. 13.*

Qui sibi mortem consciuerit, vel pro suis sceleribus punitus est, non debet cum Psalmis sepeliri, neque in Missa commemoratio pro illo facienda.

PLACVIT, vt hi, qui sibi ipsis aut per ferrum, 12
aut per venenum, aut per precipitium, aut suspendium, vel quolibet modo, violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat; neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur: multi enim sibi hoc per ignorantiam vsurpauerunt. Similiter & de his placuit, *a* qui pro suis sceleribus puniuntur. *Concil. Brachar. 1. c. 34. 23. q. 5. c. eod. Burch. l. 19. c. 130. Iuo. p. 10. c. 188. Concil. Tolet. 16. c. 4. & Altißiodor. c. 27.*

a Qui pro suis sceleribus puniuntur] *intellige, nisi contriti decesserint. 13. q. 2. c. pen. & vlt. & VVormatien. c. 79.*

OPERIS CONCLVSIO EX S. GREGORIO.

EXPLETO itaq; hoc Opere, ad me mihi video esse redeundũ. Multum quippe mens nostra, etiam cum recte loqui conatur, extra semetipsam spargitur. Igitur à publico locutionis redeundum est ad curam cordis, vt quasi in quodam consilio consultationis, ad me ipsum discernendũ conuocẽ cogi-

cogitationis mentis; quatenus ibi videam me, ne aut incaute mala, aut bona non bene dixerim. Tunc enim benedicitur bonum cum is, qui dicit, soli ei, à quo accipit, per id appetit placere, quod dicit. Quæso igitur, vt, quisquis hæc legererit, apud districtum iudicem solatium mihi suæ orationis impendat; & omne, quod in me sordidum deprehenderit, fletibus diluat. Orationis autem, atque expositionis virtute collata, lector meus in recompensatione me superat, si, cum per me verba accipit, pro me lacrymas reddat. *S. Gregor. Moral. l. 35. c. 16.*

Item, ex eodem.

REPREHENSIONIS meæ necessitate compulsus, dum monstrare, qualis esse debeat Sacerdos, inuigilaui, pulchrum depinxi hominem, pictor fœdus: aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui ad huc in delictorum fluctibus versor,

Idem S. Greg. p. 4. Pastor.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM:

In quo prior numerus, cui litera *f.* præposita est, folium Libri, alter Capitis, aut §. numerum notat.

A.

ABSOLVTIO *grauiorum criminum Episcopis reseruari debet fol.* 724. 11.

Adulator Clericus degradandus f. 632. 34. *Eius lingua plus persequitur, quam persecutoris manus.* 35.

Adulatio, si ad tempus suscipitur, augetur f. 633. 37. *Beatus, qui nec dat operam adulationibus, nec credit* 36.

Adulter Clericus qualiter puniendus f. 689. 9.

Aduocatus non potest esse Clericus, nisi, &c f. 500. 9. 10. *f.* 642. 5. *contrafaciens qualiter puniendus f.* 636. 10. 11.

Affabilis sit saltem, qui dare non potest f. 343. 20. *Affabilem enim se omnibus exhibere vtilissimum, sed sine adulatione* 19. *Affabilitas quippe multa regna seruauit* 347. 31.

Agape quid f. 168. 22.

Agapetha quæ f. 554.

Agnus Dei, in Missa f. 137. 85.

Alienæ mulieres. Vide, Subintroductæ.

Altaria maximo honore veneranda f. 175. 34. 35. 36. 37. *eorum origo* 36. *Quæ sine Sanctorum reliquiis per agros fuerint constructa, euertenda* 44. *Olim*

vnicum fuit in vnaquaque Ecclesia 40. In illis semper sit Crux, dum Missæ celebrantur, & cerei incensi 39. Ad illa laici ascendere non possunt inter Missarum solemnia 41. 42. 43. nec minus femina, quæ nec ibi ministrent, nec sedeant 37. 38.

Amapha quid f. 741. 20.

Ambitio statum rectitudinis subuertit, & partam virtutem delet f. 652. 15. & sæpe vincit, quos alia vitia superare non potuerunt 16. Ideo Ambitiosus non debet esse Sacerdos 9. 12. 13. 14. qualiter id consequetur 17

Ambitiosi viri descriptio, & quædã peculiaria 18. 19.

S. Ambrosius qualiter se gerebat cum pœnitentibus f. 192. 22. & qualiter inter audiendas Confessiones peccatorum lacrymabatur f. 246. 9. Eius seueritas aduersus Theodosium Imperatorem f. 334. 20.

Amoris, & voluptatis diuinæ, & terrenæ differentia 514. 19.

Anima quanto delectatur infimis, tanto arcetur à summis: & e contra f. 536. 22. 23.

Annuli Sacerdotibus prohibiti f. 753. 7.

Apostata vir incomposite vtitur membris suis f. 355. 1.

Apostolorum, & Martyrum festiuitates celebrandæ, & quare, qualiterque f. 226. 8.

Aquæ benedictæ institutio, & effectus f. 180. 10. 11. 12.

Aquæ & Vini permistio in Missa f. 133. 75.

Arma ferentes Clerici qualiter puniendi f. 755. 10. f. 629. 21. 22. 23. Eorum arma, lectio, oratio, & lacrymæ. 24. 25.

Arma natiua hominis, benignitas, beneficentia, & sapientia f.340.11.12.

Armus dexter, & pinguedo pectoris, quæ Sacerdoti seruabantur, quid notent f.495.14.

Arrogans vir, est abominatio Domini f.674.2. Qui in eius nomine falso per arrogantiam loquitur, interficiendus 1.

Auari sciunt egregie adulari f.633.38.

Auaritia aduersus pauperes inter alias fuit iniquitas Sodomæ 404.12. Eius varij effectus f.651.11. vide, Eleemosyna.

Auarus non debet esse Sacerdos, quia crudelis f.651.11

Aucupia. vide, Venationes

S. Augustinus quas vestes, calceamenta, & lectualia habebat f.322.10. qualiter flebat inter audiendum Officia diuina f.246.10.

B.

BARBAM *radere consueuit Clerus Occidentalis ab ipsa primitiua Ecclesia: Contrarium seruauit Orientalis f.327.24. Barbam non nutrire. vide, Coronam.*

Basilica quid f.168.22. Intra illam non omnium corpora defunctorum sepelienda 26.27. Non tamen ab illa reijcienda corpora humata, nisi fuerint paganorum 27.28.

Benedictio in fine Missæ f.139.89.

Cinerum in capite ieiunij f.305.28.

Mensæ. vide, Mensa. Eam non faciat Sacerdos inferior, maiore Sacerdote non annuente f.611.7.

Beneficia qui propria auctoritate permutauerit, est eis priuandus f.655.24. & qui aliena resignare compulerit, aut Romam venire impedierit, qualiter puniendus. 25. duabus Ecclesiis nemo præficiendus. 20.21.

Beneuolentia populi, captanda non est, vt sibi exhibeatur, sed Deo f.352.41. Ea plus agit erga corrigendos, quam austeritas 26.27.28.29.30. Illam conciliant opera in mansuetudine perfecta fol. 382. 2. 4. 7.8.

Benignus debet esse Sacerdos erga alios, circa se austerus f.353.44. & ex benignitate & seueritate facere quoddam temperamentum 25.26. & in pectore suo recondere virgam, & mannam, sicut in arca tabernaculi 14. vide Arma, natiua.

Biblia sacra numquam à Clericorum manibus deponenda f.471.23.

Blasphemus Clericus qualiter puniendus f. 683. 16. 17.

C

CADAVERA *mortuorum palla non obuoluenda f.607.17. Iustorum maximi facienda 20. vide, Basilica. vide Clerici. vide, Vestimenta sacra.*

Cælibatus Sacerdotum f. 395.22.

Caremoniæ externæ ab ipsis Apostolis emanarunt, & quare inuentæ f. 255.4.5.6. quantumlibet ignotæ venerandæ 8. & earum obseruationi multa cura adhibenda 2.3. licet multarum significatio nobis sit obscura 7. Eas obseruantes à Domino benedicun-

tur

tur 1. Cærimoniæ ab Ecclesia receptæ in Sacramentorum administratione. Vide, Sacramenta.
Calceamenta quæ Sacerdotibus concessa f. 596. 10.
Calix & Patena non ex alia materia, quam auri, argenti, aut stanni fiant. quamuis olim ex ligno fuerint f. 150. 11.
Canon Missæ f. 135. 82.
Cantus Ecclesiastici & varia instrumenta Musica f. 206. 7. 8. 11. 13. Eius origo 40. effectus, & laus 42. 43. antiquitas 44. auctores 45.
Capellæ, & templa quẽ ambitũ habere debeant f. 161. 7.
Captiui. Vide, Pauper.
Cardinalem occidens qualiter puniendus f. 627. 16.
Caritas ambitiosa non est, nec querit, quæ sua sunt f. 649. 5. necessaria ad Diuinam scientiam comparandam f. 474. 33.
Castitatis votum solemne emitttit suscipiens sacrum ordinem f. 392. 15. & coram Episcopo eam profiteri f. 25. 46. & eam seruare semper Sacerdotes nouæ legis 388. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Et Ecclesiæ ministri 10. 11. 12. 13. Propter eam Sacerdotes apibus comparantur 16.
Castitatis sex gradus f. 394. 21. effectus, & necessitas 18. maxime ad Diuinam scientiam comparandam f. 474. 34. 35. Eius præmium quanto sublimius, tanto fortius à Dæmone impugnatur, & ideo diligentius conseruanda 20. Eam omnes seruare possunt, si volunt 17. fugere tamen debent voluptatum illecebras 19. & oculos componere, & custodire f. 363. 31. 32. 33. Cæna nocturna sobria

*sobria, & frugalis esse debet f.*2 95.36. *Vbi, quid post eam faciendum.*

*Cerei, & luminaria in Ecclesia quare incendantur inter Missarum solemnia, dum Eucharistia ad infirmos defertur dum corpora defunctorum ad Ecclesiam deportantur f.*180.6.7.8.9. *vbi, quod ab ipsis Apostolorum temporibus id originem habuit. Semper esse debent in altari, dum Missæ celebrantur* 7.

*Cereus paschalis f.*180.9.

*Character Sacerdotalis imprimitur in datione calicis f.*14. 21.

*in Chorum quali habitu ingrediendum f.*210.19. *& ibi Diuinum Officium qualiter recitandum.* 20.21.

Chirurgiæ. vide, Iuri ciuili.

Chorepiscopi qui fuerint f. 608.

Chrisma sacrum. Vide, Oleum sacrum.

Christi caro vere cibus, & sanguis vere potus f. 106. 11. 12. 14. *Eius corpus aliquando super manibus Diaconorum fuit consecratum fol.* 174. 34. *Inter orandum ipse Christus genu flectebat f.* 150. 3. *Sacerdotes per se puniuit, neque aliis id commisit f.*97. 59.

*Cibi, quibus vesci debent Sacerdotes. f.*294.33.34.35. *etiam viles non appetenter sumendi, sed parce, & sobrie* 29. 30. *Nam satietas tam delicatorum, quam vilium, & crapula, animæ & corpori nociua, & vitanda* 10.16.31.32. *De omnibus tamen, quæ apponuntur, gustandum cum gratiarum actione ad gloriam Dei* 12. 13. 14. *corpore tamen sumente cibum*

cibum suum, mens quoq; suum non negligat, & qualiter 15. 21. *Qui tamen, & somnus hora præstituta sumendi sunt* 13. 14. 15. *& tantum pro necessitate f.* 313. 14. *Cibis enim plenus Sacerdos impeditur ad vigilias f.* 621. 26. *Cibus Sacerdotalis transire debet in vsum populi f.* 406. 23. 24.

Cilicium, & Cinis quid notent f. 305. 30 31. *Habitus pœnitentiæ, & humilitatis* 29. *Ciliciis induere se, & altaria consueuerunt Sacerdotes, & cinere capita conspergere* 1. 3. 4. 5.

Cinerum Benedictio. vide benedictio. vide, Cilicium.

Cingulum militare quid. f. 51. 11.

Clamdestinis nuptiis qui interfuerit, qualiter puniendus f. 712. 15.

Clericus quid f. 58. 50. *etiam in minoribus aduocatus esse non potest in negotiis sæcularibus coram sæculari, nisi f.* 636. 9. 10. *contra faciens qualiter puniendus.* 10. 11. *neminem apud iudicem sæcularem pulset, Episcopo non permittente* 7. 8. *contra faciens qualiter puniendus* 8. *neq; sit conductor, aut procurator priuatorum f.* 664. 5. *In bello, rixa, aut gentilium ludis moriens, qua pœna mulctandus f.* 627. 15. *& qua effundens sanguinem, etiam in obsessionis necessitate* 17. *occidens autem, vel mutilans inuasorem, aliter mortem euitare non valens, nullam incurrit irregularitatem* 18. *seruum, aut discipulum ab Ecclesia extrahens, aut flagellans, segregandus* 20. *ambulans per plateas, aut nundinas non pro emendo aliquid, ab officio degradandus f.* 641. 1. 3. *inter epulas cantans excommunicandus f.* 620. 22. *qui in vi-*

uentis locum se patitur introduci, etiam excommunicandus f.655.22. peccatum carnis committens post acceptum Ordinem sacrum, ex Apostolico decreto deponendus f.687.5.6. secundum vero decretum Canonis pœnitentialis, aliter puniendus 7. concubinarius qualiter puniendus 10. 11. 12. 13. 14. contra naturam peccans, qualiter puniendus 18. matrimonia contrahens, ipso facto excommunicatus 20. per collusionem fraudem committens, beneficio priuandus f. 655.23. contumax, qualiter puniendus f. 638.13.

Cœmeterium, quid f.172 30. Vbi, qualiter, & à quo reconciliandum.

Coinductæ mulieres. Vide, Subintroductæ.

Collatio nocturna qualis in die ieiunij f. 301. 16.

Collectæ, & Orationes f.129. 66.

Colludens Clericus. Vide sup. Clericus.

Colobium quid f.146.3.

Communio, in Missa f.138. 87.

Communicare quotidie, nec laudatur, nec vituperatur f.117.37. communicans tum orare debet 34. & esse ieiunus. vide, Ieiunium. & accedere nitidis vestibus, & lotis manibus, & munda conscientia f.728. 7. 8. vide, Munditia. & ore, non manu Sacramentum sumere f.201. 36.

Communio peregrina, quid f.638.13.

Concordia non nisi per patientiam seruatur f.499. 22.

Concubinarius Clericus. vide sup. Clericus.

Conductor Clericus. vide, Curator.

Confertum quid f.617.14.

Confessio in Missa f.126.60.
Confessio, locus quid f.161.7.
Confessor qualis esse debeat, qualemque pœnitentiam imponere f. 190.17.18. vsque ad n.34.41.f.193.56. ante, & post Confessionem orare debet f. 145.23. Illi aperienda cordis arcana fiducialius, quam ipsis parentibus 38. nemo autem potest audire confessiones sine licentia Episcopi, aut nisi beneficium parochiale habuerit f. 726. 10. reuelans peccata pœnitentis qualiter puniendus f.727.4.5.
Conscientia ante somnum examinanda, ex traditione S. Petri, & Sanctorum f.315.13.22.23.24.25.26.28. & Philosophorum 25.27.29.30. Hæc quo purior, eo se plus peccatricem agnoscit fol.590.38.39. Conscientiæ bonæ epitheta 407.33.
Constans debet esse Sacerdos, & immutabilis, ad instar adamantis, non ceræ mollis f. 381.6.7. & in tribulationibus 8. & constanter agonizare pro iustitia, & virtute 1.3.5.9. nec ferri in omnem viam, & ventum 2.4.
Consuetudinis, & legum mutatio nociua f.585.16. ex Arist.17. ex Iambl.18.
Contemnere præsentia, arduum f.535.19. qui id fecerit, tristitiam effugiet 20. & est vere Philosophus 21. Qui semel Deum prægustauerit, omnia debet contemnere 2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.29.30. & aduersa quæq; despicere, & prospecta formidare 17. Vide, Temporalibus. vide, Vulgus.
Contemplatiuæ vitæ descriptio, & qualiter comparanda f.574.2.

Contumax Clericus. vide, Clericus.
Contumeliæ iniustæ suauius tolerãtur, quã iustæ f.494.
Conuiuia Sacerdotum qualia fol.289.17.18. & qualiter in eis se gerere debeant 21. & qui illis interesse, quiue ab eis abesse debeant 9. In illis conuiuæ ad potus æquales inuitandi non sunt f.615.6.9.12. nec vrgendi ad comedendum, vel bibendum f.286.9.10.11. nec in tabernas ingrediendum edendi, seu bibendi causa f.616.13. nec conuiuia de confertis facienda, neq; ante horam tertiam, nec nisi hymno dicto, & gratiis Deo actis 14. Per conuiuia sæpe corriguntur, qui aliter corrigi non potuerunt f.290.19. conuiuiis laicorum, & potentum non facile Sacerdos intersit 23. nec conuiuiis nuptiarum, maxime secundarum f.711.13.14.
Corona Sacerdotis in capite, & in Regni significationem f.58.50. in modum sphæræ radenda f.556.15. eam non nutrire, nec barbam Clerici debent, alioqui ab Archidiacono tondendi 14.15.
Corporalia munda & nitida esse debent f.74.6.2.3. neque ex panno serico, aut tincto f.742.22.
Corporis incommoda suauius tolerantur, quam iniuria f.498.21. eius varia epitheta f.539.30.
Cubiculum quid f.194.23.
Cupidus non sit Sacerdos f.650.9. quia cupiditas radix omnium malorum, & quæ mala propter illam eueniant 7.
Curator, nec tutor sit Sacerdos, nisi, &c. neque conductor f.643.9.10.
Cutis nitens, sordidum ostendit animum f.325.18.

DAL-

D

DALMATICA *quid f.145.3.*
Decimæ sunt redemptio captiuorum fol. 419. 18. 19.
20. Ad Sacerdotes pertinent cum primitiis, neq; habebant aliam substantiam 2.3.4. Hæc autem illis præstantur, vt possint vacare Deo. 5. 9. In quatuor partes diuidendæ 7. 8. eas fideliter soluens & spiritualia, & temporalia bona recipiet. 25.
Defunctorum corpora. vide, Basilica, & Cerei.
Degradatus Sacerdos celebrans, qualiter puniendus f. 735. 7.
Denuntiator in probatione criminum deficiens, ab officio & beneficio suspenditur, donec suam purget innocentiam f. 632. 32. & qui non probauerit, quod obiecerit pœnam, quam iutulit, patiatur. 33.
cum Deposito orans deponendus f. 712. 16.
Detractor sit à fratrum veritate alienus f. 631. 31. numquam est, qui se bene considerat 28. ab hoc peccato abstinendum 2. 6. 7. Dubium quid damnabilius detrahere, an detrahentem audire. 30.
Dei formißimus esse debet qui aliis in rebus sacris dux est f. 432. 31.
Deus solus sine socio amandus f. 280. 11. ad eius gloriam omnia facienda, 4.
Diaconi Sacerdotibus subsint, neq; coram illis sedeant, nisi Episcopi vicem gerant f. 87. 33. 34. 35.
Diaconicon quid f. 176. 41.
Diaconiæ quæ 41.

Dignitas magna magnam debet habere cautelam fol. 468.13.

*Disputandum qualiter f.*483.60.

*Diues. vide, Pauper. Diuitiis propriis studere est ignominia Sacerdotis f.*535.18. *de earum contemptu. vide, Contemnere.*

*Doctrina, & veritas erunt insculpta in rationali iudicij in pectore Sacerdotis f.*426.1.

Dominandi libido perniciosa.

*Dominicæ diei, & aliorum festorum obseruantia f.*225. 7.8. *Vide, Festa Christianorum.*

*Dominus vobiscum f.*129.65.

*Donum cum contumelia collatum non æstimatur f.*339. 4.22.

E

EBRIETAS, *mater omnium vitiorum f.*229.7. *est res tumultuosa f.*615.3.5.7.8. *in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium* 15. *Eius effectus* 17. 18.

Ebriosi pœna 17.18.

*Ecclesia quid f.*161.7. *Cur Columba dicta f.*347.30. *non habet consuetudinem contendendi, seu ligandi f.* 635.3.4. *Ei præesse non potest, qui suæ domui nescit f.*543.9.11. *Eius ministri solliciti, & vigiles esse debent f.*566.1.4.7.8.9. *& seruare castitatem. vide, Castitatis votum.*

*Ecclesiastici fructus caute possidendi f.*419.20. *nec consanguineis distribuendi* 21. *neq; illis, qui parentum bonis sustentari possunt* 22. *sed inter pauperes, & Ecclesiam erogandi* 23.24. *Eorum enim sunt dispensato-*

fatores Sacerdotes, non poſſeſſores, & eis quaſi commendaticiis, non propriis vti debent 6. 7. Sunt enim eorum bona bona pauperum, præter victum, & veſtitum 9.10.11.12.13.14.15.16.17.

Educatio bona quantum proſit f.544.14.

Eleemoſyna omni pauperi præſtanda f.403.1.2.3.8.9. 13.14.15.16. 30.39. precibus non extorquenda 37. cum prudentia tamen tribuenda 34.35. Eam faciens pauperi, quot bona conſequitur 4. 5.6.7.9.10.31.33. 36.38. Eam non faciens Sacerdos eſt homicida 17.18. 19. 20. & prædonum crudelitatem excedit 21. 22. nec ab aliis beneficium expectet 32. Eam facere eſt iuſtitiam præſtare . & ſua pauperibus non noſtra reddere 43. Penuria, & fames proueniunt ex eo, quod pauperibus eleemoſyna non detur 40. Eam tamen præſtare non ſatis eſt, niſi etiam propria vitia quis emendet 41.42.

Epiſcopi Sacerdotes honorare tenentur f.85.28.29.30. neque illos coram ſe ſtare permittant 27.

Epiſcopo contradicente, nullus regularis, etiam in Eccleſiis ſui ordinis, prædicet f. 725.12. ſine eius licentia nihil in Eccleſia faciendum à Clericis 3. neque eis licet vagari, alioqui ſuſpendendi, & deponendi 4. 5. 6. 7. ad alienam diœceſim ſe conferentes excommunicandi niſi in duobus caſibus 8. nec ſunt recipiendi ad Sacramenta adminiſtranda, aut diuina celebranda 4. maxime ad confeßiones audiendas, niſi habens beneficium parochiale 10.

Epiſtola, in Miſſa f.130.67.

Epitimium quid f.596.9.

Epulæ vitandæ f.709.5.& earum auiditas f.615.6.9. 12.eas diligens in egestate erit f.708.3.

Eremitæ, Sacerdotis, & Monachi differentia f. 275. 34.35.

Euangelium in Missa f.131.72.

Eucharistiæ Sacramentum qualiter administrandum f.200.35.36. ad infirmos qualiter deferendum, & ministrandum 29.35. Septimo quoque die renouandum 42.& in vase digno conseruandum 42.43.f. 730.12.13. vbi de pœna transgressorum. A Diacono necessitate cogente poterit ministrari 37. reuerenter vt adorent, fideles instruendi f.727.6. Emouens, qualiter puniendus 10.

Excommunicatus maiori Sacerdos celebrans qualiter pœnitere debeat f.733.4.5.& quid de ligato minori excommunicatione 6. Contra excommunicatum, si per annum in excommunicatione desorduerit, poterit procedi tamquam de hæresi suspectum f.639.14.

Exemplum bonum Sacerdotum, est populi conditura f. 558.12.& speculum aliorum 13.14.& ideo cunctis se imitandos præbere debent 17.18.19.& per bona opera præstandum, vt Deus glorificetur 1.2.4. 11. Nec solum coram Deo, sed etiam coram omnibus 5.7.9.10.11. ab interiori bona intentione ortum plurimum conducit 21.& nihil tam valet ad aliorum pietatem commouendam 16. multos enim correxit 6.& plus valet, quam verba ad corrigendum incontinentem 22.& qui sunt in Christo fundati per exemplum bonum, sicut in monte abscondi non possunt. 15.

Exemplum malum Sacerdotum multos ad peccandum illexit f.563.31.f.598.29.25. & cõmune omnibus damnum inuehit f.557.3.31.32. quia Sacerdotes peccantes facile populus sepuitur.33.34.35. &, qui alios ad peccandum per malum exemplum inducunt plus videntur persequi Christum, quam qui eius sanguinem fudit 30.
Experientia multarum rerum Sacerdoti necessaria.369 7.8.40.41.

F.

FABVLÆ aniles, & ineptæ, & quæ nimios excitant risus vitandæ f. 615. 10. 27.
Falsarius Clericus qualiter puniendus f. 665.9.
Fama bona exterior curanda Sacerdoti, non solum bona conscientia interior f. 560. 20.
Fanon; siue Fænon. vide, Phanon.
Feminæ etiam sacratæ vasa sacra, aut sacras pallas tangere non debent neque incensum ad altare ponere f. 149.9. ad altare non debent accedere, neque ministrare, neque sedere, neque intra cancellos stare 37. 38. & distinctæ a laicis sedere in Ecclesia f.164.14.
Feminarum familiaritates periculosæ, & pernicioſæ Sacerdotibus, maxime illarum, quæ spirituales videntur f. 698.45. etiam probarum fugit vel continens 25.26.27. Vt serpentes 27. Vt ignem 29. Cum femina benefaciente peius habitare, quam cum viro iniquo 3. Cum illis caute procedendum in principiis familiaritatum 23. 47. & seueritas tenenda f.334. 18. Cum sola solus Sacerdos sedere non debet f.701.

32.33.34.35.36.37.38.39. *quantumuis sit despecta, & vetula* 41. *& extranea* 42. *de quo optima documenta* 40. *Cum quibusdam tamen licet Sacerdotibus conuersari* 43.44.45. *Id tamen vrgente necessitate, & caute* 27.28.29.30.31.32.

Feriarum cultus, & origo f. 227.11.

Festa Christianorum ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis instituta, & quorsum f. 224.4.5.6. *Quæ sint illa* 7.8. *In illis feriandum, & iubilandum, & nihil operis faciendum* 1.2 3. *Quibus operibus vacandum* 9. *à quibus abstinendum* 10.

Fideiussor Clericus esse non potest f. 642.5.6.

Filij, & serui à pueritia delicate nutriti euadunt contumaces f. 425.2.7. *& ideo à teneris annis erudiendi, & corripiendi* 5. *contra facientes à Domino grauiter puniuntur* 1.10.16. *in eorum educatione agnoscitur vir* 3.4.

Formata epistola quid f. 608.3.

Fornicationem committens Clericus. vide Clericus. Ea, & omnis immunditia fugienda f. 686.4.

Fructus Ecclesiastici. vide, Ecclesiastici.

Furtum faciens Clericus septem annis pæniteat f. 664.8. *Illud requirens Clericus per astrolabium, qualiter puniendus f.* 714.21.

G

GENVA *flectebant Sancti veteris, & noui Testamenti inter orandum, & Manus in cælum leuabant f.* 249.1.2.4.5.6.7.8.10.11.12. *& ipse Dominus*

nus noster 3. Id tamen non faciendum diebus Dominicis, & Resurrectionis. 12.
Gestus Sacerdotis. vide, Sacerdotis habitus.
Gloria in excelsis Deo 128. 64. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto 62.
Graduale, vel Responsorium 130. 68.
Grauitas exterior Sacerdoti necessaria f. 329. 1. 7. quæ tamen sit verecunda sine austeritate 9. 10. 14. & ea puerili leuitate non maculanda. 6.
Gulæ deditus raro emendatur f. 619. 19. ad Sacerdotium non promouendus. 21. Eius voluptas breuis durationis 20.

H

HABITVS Sacerdotis. vide, Sacerdotis habitus.
Halleluiah f. 131. 69.
Hæretici Clerici, & eorum fautores qualiter puniendi f. 670. 13. 14. Cum eis post vnam & secundam correptionem non communicandum f. 709. 6. Eorum conuenticulum qui fuerit ingressus vt cum eis oret, deponendus 17.
Harioli, & Haruspices. vide, Magi.
S. Hieronymus modico somno vtebatur f. 313. 15.
Hilaritas vultus semper exhibenda iis, quibus cum loquimur fol. 343. 20. 21. Qualis esse debeat in Sacerdote 14.
Homo ab homine timeri non debet f. 340 12. exterior in omnibus suis actibus componendus f. 358. 12. 13.
Homicida Sacerdos qualiter puniendus f. 625. 10. 11. 12. 13. Qui fuerit, non debet ordinari, nec in susceptis Ordinibus ministrare 8.

Honor non à semetipso, sed à Deo sumendus f. 649. 8.
Honestas interior & exterior Sacerdoti maxime curanda f. 387. 1. *Est Deo grata* .2.3.
Horæ canonicæ septem f. 206. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. 12. 16. *Qualiter priuate dicendæ* 25. 27. 28. *ne deambulando* 26. *ne simul omnes* 35. *ne tantum ore, sed corde* 29. 30. 31. 32. 33. *Earum interualla, & varietas necessaria & vtilis* 17. *Vsus, & significatio* 18. *vide, Officium Diuinum.*
Hospitalitas indifferenter omnibus exhibenda f. 401. 18. 19. 20. 21. *& cum hilaritate* 21. *quia recipiens hospitio pauperem, recipit Christum* 4. 5. *& eandem mercedem habet cum peregrino peregrini hospes* 17. *& ideo non solum ad hospitium inuitare, sed etiam eos trahere debet Sacerdos* 16. *& quotidie curam habere hospitandi, maxime pauperes, & peregrinos* 8. 9. 10. 11. 12. 13. *& alios etiam ad hospitalitatem exhibendam hortandi* 13. 14. 15. *Id semper fuit vsitatum apud sanctos Patres* 1. 2. 3. 6. 7.
Humerus. vide, Maxilla.
Humilitas vera quæ f. 502. 13. 14. *Ea nihil sublimius, ideo amplectenda* 17. *Eius varia epitheta* 16. *In prosperis, & aduersis tenenda* 24. *& cum ea potestas suscipienda* 22. 23. *immoderata reprehensibilis* 33. *quia per nimiam frangitur regendi auctoritas* f. 348. 15. *Ad comparandam scientiam Diuinam maxime necessaria* f. 474. 33. *Eam præcedit mansuetudo* f. 490. 13. *Ex ea nascitur vera pax* f. 519. 30.
Humilis in suis oculis à Deo exaltatur f. 502. 1. 12. *Qui seipsum cognoscit, transit in Deum* 25. *& alium non repre-*

reprehendit 26.27.28. Qui verbo non fuerit humilis, nec erit opere 30. debet autem esse humilis Sacerdos, quia peccatum, & tranquillum ministerium gerit 15. & quia à Deo liberabitur, & exaudietur 2.3.4.5.8.9. & esse humilior, quanto maior 6.7.11.21. & quanto iustior, quia proprios defectus clarius intuetur. 18.19.20.

I.

IEIVNII epitheta, & effectus f. 297.7.8.9. cum ea oratio coniuncta bona, & Deo grata 1.2.3.6. Eius & refectionis modus qualis 17.18. Medium in eo tenendum 19.20.21.22. quia moderatum, & assiduum melius, quam immoderatum per interualla 23.24. In eo seruari debet qualitas ciborum, quantitas, modus, tempus 13. In eo quibus rebus abstinendum, & qualiter vescendum 12.14. nec sufficit ieiunare corpus, nisi etiam anima ieiunet 26.27. Ieiunium panis, & aquæ fortissimum 25. Ieiuni esse debent communicaturi f. 50. 51.52. f. 736. 9. 10.

Collatio nocturna. vide, Collatio.

Ieiunium Quadragesimæ quando incipit, & desinit, nec solui debet f. 298.10. 11.

Ieiunia legitima quæ f. 689.7.

Ignis in altari semper ardere debet f. 179.1.4.

Ignorantia Sacerdoti, vt pestis abijcienda f. 481.53.54. 55.56.57. quia ignorans Sacerdos damnatur, à Sacerdotio repellitur, & à Domino ignoratur. 5.6. 11. & ideo ignorare Canones non debet. 51.52.

Illegitimus non promouendus. f. 607.12.

*Imagines Christi, & Sanctorum adorandæ fol.*181.2.3. 13.14.

*Immunitate Ecclesiastica gaudeant Sacerdotes, & eorum prædia f.*67.1.2.3.13. *f.*414.1. *& sunt liberi ab omni tutela, & hospitio f.* 74.14.15.16. *& de bonis suis libere testantur* 19. *& multis aliis priuilegiis gaudent* 17.18.

Incessus Sacerdotis. vide, Sacerdotis habitus.

*Intentio est actionis lucerna f.*277.3. *in ea virtutes subsistunt* 16. *si est praua in principio, medium & finem inquinat* 6. *Ideo sollicite purificanda in conspectu Dei, quia oculos in eam figit* 9.10.12.13.

Interdictus. vide, Excommunicatus.

*Introitus Missæ f.*127.61.

Ioca etiam honesta vitanda Sacerdoti f. 334.17.

*Ira viri iustitiã Dei non operatur f.*679.3. *Eius tyrannis crudelior tyrannide voluptatis* 5. *Vbi eius furor insederit, ibi libido* 7. *Ab eo Sacerdotem superari non licet, alioqui à Sacerdotio arcendus* 5.14. *Ideo ante omnia vitia fugienda* 6. *Aliquando tamen iusta* 9. *& necessaria, non vt domina, sed vt ancilla* 8. *Qui facile in illam incidit, est ad peccandum procliuior.* 1.

*Ite, Missa est f.*139.88.

*Iudæorum Synagogam qui fuerit ingressus, vt cum eis oret, deponendus f.*712.17.

*à Iudicibus sæcularibus ad Ecclesiasticos appellandum f.*76.20.

*Iudicium sine amaritudine exercendum. nihil potestati sed totum æquitati tribuendo f.*339.7.9.44.

*Iulianus Apostata qualiter templa colebat f.*166.19.
*Iurandum neque per cælum, neque per terram f.*679.2. 10. 11. 12. *quando autem sit necesse Sacerdotem iurare, qualiter id facere debeat* 11. *non tamen cuiquam laico super Euangelia* 12. *neque per creaturas, sub excommunicationis pœna.* 13.
*Iuri ciuili, Medicinæ, Chirurgiæ Sacerdos ne det operam, vt vacet Theologiæ f.*645.15.16.
Iusti vita habet linguam suam f. 524. 20. *Qui iustus non est, alios in iustitia continere non potest. f.* 543. 12. 13. *Eius cadauer maximi faciendum fol.* 20. *& in Ecclesia sepeliendum* 15. 16. *Vide, Lætitia.*

K

KYRIE *eleyson, in Missa f.*127.63.

L

LACRYMÆ *assiduæ in oculis Sanctorum, & Sacerdotum f.*244.1.2.3.5.16. *Sunt eorum arma* 6. *& peccatorum spongiæ* 15. *diligenter conseruandæ* 19. *vbi, quæ sint veræ. Pro peccatis populi effundendæ* 7.8.15. *Qui eas fundunt beati, nec facile peccabunt* 18. *Qui vero non lacrymantur, nec sentiunt præsentia mala nec desiderant futura bona* 17.
*Lætitia vera iusti, & consolatio quæ f.*510.11.12.13. *animæ intra se consistentis, qualis* 17. *Lætitia & voluptas ignis, & lucis Diuinæ* 18.
*Laica communio quid sit f.*638.13.
*Laici de Clericis iudicare non possunt f.*68.4.5. *contrafacientes excommunicantur, & seuere à Iudicibus*

sæcularibus puniuntur 6.7. *ad altare ascendere non possunt, neque inter Clericos esse, dum Missæ celebrantur* f.177.41.42.43. *neque vestes sacras tangere* f.149.8.10. *Eorum procurator, aut minister Sacerdos esse non potest* f. 637.12. f.664.5.

Laudes hominum simul & vituperia contemnenda f. 280.14.15. *Qui ea non negligit, nec Deo placebit, nec hominibus vtilis erit* f.383.11.12.13.14. *Qui enim populi dicta multi facit, nil generosum operabitur.*10.

Laus propria vitanda f. 502.10

Lectioni non perfunctorie vacandum, sed certis horis, & ingeniis est assuefaciendus animus f. 469.16. 17. *& inter legendum orationi vacandum* 38. *Ea, & oratio assidua, Sacerdotum exercitia* f. 575. 11. *Lectio autem Poëmatum, & fabularum, & litterarum sæcularium Sacerdotibus interdicta* f. 484. 63.64. *aliquando tamen concessa, & quorsum* 65. 66. *vide Scripturarum.*1.

Lectuli Sacerdotis locus, si fieri potest, nec sciatur, nec videatur f.366.45.

Legum mutatio. vide, Consuetudinis.

Leuia peccata. vide, Peccata leuia.

Libido, sæuus criminum stimulus f.689.8.

Lingua debet esse menti subdita f.335.24. f. 522. 11.12. *Eam refrenans prudentissimus & doctus est, & custodit ab angustiis animam suam* 1.2.3.6.7.14. *In ea omnis labor hominis* 5. *per eam cor euacuatur* 13. *Ea tacente audit Deus pias cogitationes, & clamorem cordis* 18.19. *vide, Loquendum.*

Litaniarum origo f. 211.23.

Lites fugiens minuit peccata f. 635. 1. *vide, Ecclesia.*

Loquendum non solum non mala, sed ne recta quidem inordinate f. 524. 21. *& nihil temere maxime coram imperitis* 24. *nec quidquam, vnde possit propria æstimatio augeri* 12. *ad loquendum homo sit tardus, velox ad audiendum* 9. *cum autem loquitur, tria seruare debet, vnde quattuor commoda proueniunt* 22. *vide, Lingua.*

Ludens alea Clericus excommunicetur f. 665. 10. *neq; ludis interfit* 11. *Contrafaciens qualiter puniendus de iure Ciuili* 12.

Lucrum turpe quid sit f. 663. 3. *per illud nihil debet acquire Sacerdos* 4. 5. *Lucrum acquiri posse vndique etiam ex malo existimant iniqui* 2.

M.

MAGI, *Haruspices, & Harioli non consulendi* f. 708. 1. *contra facientes qualiter puniendi* 18. 19. 20.

Maledicus Sacerdos est homicida, ex Apostolica traditione f. 630. 26. *nec eius accusatio debet admitti, ibidem. Qua pœna mulctandus* 27.

Mansueti à Domino diriguntur, docentur, & alia multa bona consequuntur f. 488. 4. 5. 6. *& incedunt cum lætitia cordis* 17. *& sunt cordis medici* 19.

Mansuetudo f. 489. 11. 12. 13. *præcedit humilitatem* 13. *ad reprehendendum necessaria* 8. 20. *præci-*

pue ornat potentes 22. *aliquando transit in torporem desidiæ* 23. *ea nil potentius* 21. *In ea opera perfecta beneuolentiam hominum conciliant* 2. 3. 7. 8. *cum ea seueritas temperanda* 15. 16. *Eius effectus* 18.

Mansus quid f. 73. 13.

Manuum eleuatio in oratione quid notet f. 252. 13. 14. *vide, Genua flectebant.*

Manuum lotio in Missa f. 133. 76.

Mappula quid f. 741. 20.

B. Maria cereis accensis ex hac vita migrauit, & ad tumulum deportata est f. 80 9.

Martyrium locus quid f. 161. 7.

Maxilla, pectusculum & humerus, quæ Sacerdotibus reponebantur, significant verba, scientiam, & opera Sacerdotum f. 431. 29.

Medicamenta leniora in principio abhibenda f. 346. 26.

Medicinæ. vide sup. Iure ciuili.

Mediocria omnia vtilia, & in suo modo perfecta f. 373. 18.

Membrorum compositio. vide, Sacerdotis habitus.

Mensa benedicenda ante, & post prandium, & gratiæ Deo agendæ f. 306. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *in ea munditia adhibenda* f. 291. 20. *& fragilitas* 27. 28 36. *Nihil immodestum admittendũ* fol. 3066. 7. *Sed lectio Diuinarum Scripturarũ immiscenda* 7. 8. 9. 10. 11. *Et post eam, vltra gratiarum actionem, aliqua exhortatio viuæ vocis subsequi debet* 9. 10.

à Meretrice longe fugiendum f. 686. 1. 2.

Missam

Missam celebrare debent Sacerdotes saltem festiuis diebus f. 118.38. *non celebrantes quot bonis priuant se, viuos, atque defunctos* 32.36. *S. Petrus Latinè celebrauit* 50. *sermone vulgari nemo celebret, ibidem. nec in panno serico, aut tincto* f. 742. 22. *nec sine sacris vestibus, iisque mundis* 20. *maxime sine orario, alioqui est excommunicatus* 738. 21. *nec plusquam semel in die, nisi, &c.* 17. *nec cum calcaribus, aut cultellis extra pendentibus* 13. *nec minus, quam coram duobus* f. 125. 56. f. 738. 14. 15. *ad salutationes Sacerdotis à laicis etiam respondendum* f. 126. 57. *Ad eius celebrationem non ingrediendum cum baculo, aut capite velato* f. 739. 18. *sed maxima reuerentia adhibenda* f. 120. 46. *Ad eam vinum, aqua, & panis mundißime tractanda* 53. *In ea quædam clara, quædam submissa voce dicenda* 54. *& signa decenter facienda* 55. *& muscæ ab altari abigendæ* 58. *In ea Sacramentum non conficitur, si desit aliquid de substantialibus, secus si de accidentalibus* 18. *Quæ cœpta fuerit, debet continuari* 59. f. 582. 10. 18. *Domi non celebranda. vide, templa.*

Missæ sacrificium, verum sacrificium f. 141. 92. *pro quibus offertur* 48. 49. *Eius tempore quot mysteria accidant* 42. 43. 44. 45. 46. 47. *Eius certi ritus tempore Apostolorum* 51. *Omnes cærimoniæ tam dictæ, quam factæ habent recondita mysteria* 60. *cum seqq. Eius varia Sanctorum epitheta* 93. *Officij auctores varij* 91.

Modestia qualis f. 489. 9.

Modica qui spernit, paulatim decidit f. 2. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

Monachi leuius peccatum, quam Sacerdotis 389. 37. *& eius officium facilius* f. 551. 23. *Eorum & Eremitæ differentia* f. 275. 34. 35. *Monachus recipiens Ordines in apostasia non dispensatur, nisi per Romanum Pontificem* f. 530. 17.

Monachorum Ægyptiorum silentium mirabile f. 528. 32.

Monialium monasteria frequentans Clericus qualiter coërcendus f. 706. 46.

Mores boni sunt veri Sacerdotis ornatus f. 320. 3. *eorum leuitas non reperitur in Sacerdote deuoto* f. 333. 16. *eorum disciplina totum hominem componit, decoratur maturitate, humilitate, & benignitate* f. 357. 10. 11.

Mors Sanctorum pretiosa in conspectu Domini f. 761. 1. *bonorum Sacerdotum lugenda* 14. *Hæc accidit propter populi malitiam ad eius punitionem* 3. 4. 5. 8. *Varia bonorum Sacerdotum* 13. *Quibus est quies, pax, somnus, portus, & propterea appetenda* 11. *bona sequitur bonam Sacerdotum vitam, & populi benedictio* 2. 4. 7. 10. *Quotidie moritur iustus Sacerdos* 6. 9. *nec subito moritur, qui se semper moriturum cogitauerit* 11.

Morte terribili puniuntur à Deo Sacerdotes mali f. 767. 1. 2. 3. 4. *& per eam territi multi reuocantur à culpa, qui viuentium prauo exemplo tracti fuerant ad culpam* 11. *inter reprobos proijciunt* 6. *perdunt beatitudinem, & inueniunt mortem* 7. *& in morte obliuiscun-*

uiſcuntur ſui, qui in vita obliti ſunt Dei 10. *nec eorum mors finem habet* 8. 9. *& qui ſibi mortem conſciuerint, ſepeliendi ſunt, ſed ſine Pſalmis; neq; pro eis in Miſſa communio facienda* 12.

Motus corporis. vide, Sacerdotis habitus.

Munditia exterior qualis f. 325. 19. *in menſa. vide, Menſa. Nec ea, nec ſordes affectari debent* 9. 10. 14. 15. 16. 17. f. 756. 13. *cum ea tam in veſtibus quam in conſcientia tractanda Domini Sacramenta* f. 747. 3.

Munera excæcant prudentes, & ſubuertunt iuſtos f. 649. 1. *à publice pœnitentibus non accipienda* 10.

N

NEGOTIATOR *Clericus, tamquam peſtis fugiendus* f. 635. 6.

Negotia ſæcularia quæ ſint f. 610. 5.

Neophytus quis f. 669. 8. *in Presbyterum non ordinandus* f. 9. 10.

Nobilitas generis, non ſolum boni mores homines commendant f. 672. 15.

Nox eſt tempus aptum ad orationem f. 314. 18. *quia tenebræ habent quandam religionem* 19. *ideo noctu ſemper vigilandum & in oratione pernoctandum* 1. 2. 3. 5. 6. 7. 8. 9. 12.

O

OBEDIENDVM *ſuperioribus* f. 721. 1. 2.

Ocea-

Occupare seipsos tenentur Sacerdotes, & qualiter f. 573.8. & in quibusdam rebus corporalibus, & in quibusdam non 10.11.12.13.14.15.17. f. 611.6. & operari manibus pro necessitate, exemplo S. Pauli f. 573.4.5.6.

Occidens clericum. vide, Paganum.

Oculi à vanitatibus, & spectaculis auertendi, & aures à musicis f. 709.7.8.9.10.13.14. eorum compositio, & custodia necessaria f. 355.1.14.29.30. maxime ad tuendam castitatem 31.32.33. Impudicus oculus impudici cordis nuntius. 35.

Oeconomus quid f. 100.66.

Offertorium, in Missa f. 132.74.

Officialis liber, quid f. 16.23.

Officium diuinum omnes vniformiter recitare tenentur f. 743.25. omittens, qualiter puniendus 26. Qualiter dicendum, & quibus de causis institutum. vide, Horæ canonicæ.

Oleum sacrum semper debet esse sub sera f. 203.44. f. 7030.12. vbi de pœna transgressorum. Eo inunguntur Sacerdotes in sua consecratione, & quare f. 45. 27.

Orare semper, & sine intermissione, qualiter intelligendum f. 217.34. Orandum ante communionem f. 116.34. & intelligendum f. 476.38. Qui pro alio orat, debet esse gratus Deo f. 219.38.39. Orandi mos antiquus Christianorum 15. A Domino preces sumpserunt originem f. 141.14.

Orarium quid f. 148.7.

Orate fratres, in Missa f. 133.77.

Oratio Dominica f. 136. 83. f. 242. 41. 42.
oratio, iusti multum valet apud Deum f. 230. 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. Qualis esse debeat 30. 31. 32. 33. 34. 38. incipienda à gratiarum actione 26. Cum ieiunio bona. & Deo grata f. 297. 1. 2. 3. 6. Ea, & lectio, Sacerdotum assidua exercitia f. 575. 11. Ad eam qualiter accedendum, in eaque manendum f. 233. 21. 22. 23. 24. 25. Ante eam, & in ea lacrymandum 27. In ea speranda animi tranquillitas 28 & maxima diligentia adhibenda, quia dæmones nimium orantibus insidiantur 28. 29. 30. In ea genuflectendum, & manus leuandæ. Vide, Genua flectenda, & pectora tundenda f. 250. 9. 15. 16. Eius commendatio, & epitheta, & effectus f. 182. 39. 40. Ad eam tempus nocturnum aptum 313. 17. 18.
Orationes, & Collectæ f. 129. 66.
Oratoria. vide, Templa.
Ordines conferens multa facit f. 14. 21. Duo sacri Ordines non possunt vno die conferri, vel duobus, continuato ieiunio f. 718. 7. scienter suscipiens excommunicatus pro manuum iniectione, si est Clericus sæcularis deponendus est, si regularis ab Ordinis exequutione suspensus 8. à Simoniaco suscipi nõ possunt licet in sic susceptis poterit ministrare 4. Ordinatus tenetur coram Episcopo castitatem profiteri f. 25. 46. f. 392. 15. Ei maximus honor, excellentia, & potestas confertur f. 23. 42. f. 24. 5. 8. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. & potestas clauiũ ab ipso Christo concessa est, quã neq; Virgini matri, neque Angelis dedit 8. 19. 20. 21. & tradendæ litteræ

suæ ordinationis ab Episcopo.f.15. 22. & curatis liber Officialis 23. & ordinatus à non suo Episcopo suspensus est f.717. 5. & ante legitimam ætatem suspenditur, etiam vsq; ad legitimam ætatem, & ordinans ab Ordinum collatione 6. & simoniace suspensus quoq; est ab Ordinibus 3. In apostasia. vide, Monachi.

Ordinis Sacramentum. vide, Sacramenta.

Ordo Sacerdotij. vide, Sacerdotium.

Ornatus. & sordes pari modo fugienda f.756.13. vide, Munditior.

Osculum altaris f.140.90.

Osculum pacis, in Missa f.137.86.

Otiosum verbum quid f.526.26.

Otium vitandum f.577.17.

P

PACIFICA *epistola quid f.708.3.*

Paganum occidens non poterit promoueri f.628. 19. Episcopum, aut Clericum qualiter puniendus 16.

Pallæ sordidæ, aut vela sanctuarij qualiter lauanda f. 747.4. vide, Vestimenta sacra.

Pastophorium quid f.160.6.

Patena. vide, Calix.

Patiens qui verus f.494.7.8.9.10. est vere Martyr sine ferro 11. 12. multa prudentia gubernatur 2. est melior viro forti 3. semper lætus orat 24. & omnibus virtutibus exornatur 25. Plus meretur qui aduersa

uersa tolerat patienter, quam qui bonis operibus insudat 13. Quod facere debet exemplo Dauidis, & Agricolæ, & spe futuræ retributionis. 1. 5. 20. & dulcedinis concordiæ mox futuræ 17.

Patientia quid f. 493. 6. Quis eius finis 15. omnibus exhibenda à Sacerdotibus exemplo Christi 4. 16. 17. & qualiter 19. non nisi per eam concordia seruatur. 22.

Pauper vtilis diuiti, & diues pauperi f. 408. 27. 28. Ad pauperum subuentionem, & captiuorum redemptionem res sacræ alienandæ 25. 26. Eorum inopiam considerare propriis oculis, & inquirere debet Sacerdos 36.

Pax multa, tranquillitas, & dulcedo timentibus, & diligentibus Deum f. 509. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 14. 15. 16. Pax cordis quæ, & quæ solida animi tranquillitas 23. 24. 25. Pax vera acquiritur pro qualitate abnegationis 28. 29. & nascitur ex vera humilitate 30. Eam iniquus habere non potest 26. Ea, & mansuetudo characteres animæ piæ 32. Pax vitæ præsentis, & diligi debet, & contemni 31.

Peccatum Sacerdotis grauius, quam Scribarum, Pharisæorum, & aliorum f. 580. 3. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. f. 599. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. Etiam monachorum 38. & præponderat peccato totius populi 28.

Peccata leuia Sacerdoti vitanda, & non contemnenda f. 581. 7. 8. 10. 11. 16. 19. 20. 21, 22. 23. 24. 25. quia, vel parua faciunt obliuionem præteritæ suæ religionis

nis 9. & ea sæpe permittit Deus committere eos, qui grauia non committunt, & quare 27. & in illis aliquando grauius peccatur, quam in minoribus culpis 10.11.12. Principum læuia peccata statim manifesta fiunt f. 499.23.

Pectoris tunsio quid notet f.253.9.15.16.

Pectusculum in sacrificio. vide, Maxilla.

Pænitentia publica non imponenda Sacerdotibus, sicut laicis f. 95.54. f. 687. Maiorum peccatorum septẽ annorum spatio concludenda nisi, &c.19. vbi, quod inuenitur imposita pænitentia centum annorum. Pænitentia pro peccatis imponenda. vide, Confessor.

Pænitere in canonibus pœnitentialibus qualiter intelligendum f. 729.10.

Percussus in dextera maxilla præbeat alteram, & non contendat f. 624.5. f. 635.2. Percutiens alterum, volens occidere, moriatur f. 624.1.

Peregrina communio quid f. 638.13.

Perfecti viri descriptio, f.276.36. non est perfectus, qui ad aliorum imperfectionem impatiens est f. 352. 43.

Pericula vndique Sacerdotibus, nullibi securitas f.553. 29. Eorum propinquitas fugienda 30.

Periurans Sacerdos deponendus, & ab officio, & beneficio suspendendus f. 682.14.15.

S. Petrus Missam Latine celebrauit f. 122. 50. Docuit quotidianum conscientiæ examen. vide, Conscientia.

Phanon quid f. 741.20.

Pollutio quæ communionem, aut celebrationem impediat. f.735.8.

Post-

Postcommunio, in Missa f. 138. 87.

Prædicatio, & correctio Sacerdotis amplectanda f. 426. 2. 86. 87. *Ea non minus constat exemplo, quam verbis* f. 561. 24. 25. *Non debet esse in sublimitate sermonis, sed in ostensione spiritus, & virtutis* f. 426. 1. 2. *Eius munus solis Sacerdotibus permissum* 22. *& tutius declinatur, quam suscipitur, non tamen pertinaciter id faciendum* 24.

Prædicator qualis esse debeat f. 455. 92. 93. 94. 95. 96 97. 98. 99. 100. 101. 102. f. 561. 24. 25. *& qualiter inanem gloriam fugere, laudes, & vituperia contemnere* f. 100. 101. *& quæ quos docere, & quæ non docere tenentur* 108. 109. 110. 111. 112. 113. *ante prædicationem orare tenetur.* 91. *debet docere, quod Spiritus sanctus, non proprius dictauerit* 66. *& secundum Scripturas, non secundum sensum humanum* 2. 7. 19. 20. 103. 104. 105. 106. 107. *& sanæ doctrinæ Christi, quæ secundum pietatem est acquiescere* 17. 19. 20. *& attendere sibi, & doctrinæ* 15. *& esse procul ab adulatione* 64. 65. 66. *& instruere populum, corripere, & scelera eius annuntiare indesinenter, patienter, & cum imperio* 4. 9. 10. 14. 16. 18. 21. 27. 30. *& eius vitia non dissimulare* 55. 56. 57. 58. 59. 60. 67. 68. 69. 70. 71. *quia ex vno peccante omnes inficiuntur* 58. *& si nimis benigne dissimulantur peccata, ira Dei super populum venit* 58. *& non corripientes, nec docentes legem grauiter puniuntur* 3. 6. 7. 8. 13. 23. 61. 62. 63. 64. *quia qui vitia aliorum non reprehendit fouet, & in se habere*

conuincitur 51.52.53.54. debet tamen mansuete corripere. non per vim 76.77.78.79.80.81.82. sed tolerare, & corrigere pro tempore 83.84.85. Vide, Sacerdotes debent esse sancti, & in hoc imitari bouum mansuetudinem, & leonum ferocitatem 84. si autem aliquando quicquam iusto durius corripuerit, non debet à subditis veniam petere 88.89. Prius autem seipsum docere, & considerare debet, & præparare peccata propria, deinde aliena 35.36. vsq; ad 49. f. 187.8.9.10. f. 476.39. & alios ex vita sua instruere f. 431.29.32. f. 439.24.25. & caritatem, quam docet, habere f. 433.33. & talem esse, vt orationem eius timeat, qui admonitionem contempsit 50. Qui laborauerit in verbo, & doctrina, dupliciter honorandus 16.25. Qui in mercede docuerit, Ecclesiæ ruinam minatur 11. Eius doctrina, & consolatio semper est oportuna 72. & vtilis, etiam si malus sit 73.74. secundum autem opera sua meritum, vel crimen acquiret de doctrina, & Sacerdotio suo 75. Est enim velut Sol, & velut nubes 26.27. Eo prædicante qui exierit de Ecclesia excommunicetur 90.

Præfatio, in Missa f. 134.79.

Prælati magno cum timore præesse debent subditis suis f. 568.14. & pro eorum salute propria commoda postponere 17.

Post Prandium parumper quiescendum, maxime in æstate f. 312.13.

Presbyter est nomen dignitatis f. 39.10.

Pres-

Presbyterium quid f. 29. 10.
Primitia. vide, Decimæ.
Principum parua peccata. vide, Peccata leuia.
Processionum origo f. 211. 22.
Procurator priuatorum non sit Clericus f. 664. 5.
Prosa, vel Sequentia, in Missa f. 131. 71.
Prudens vir est timoratus, & sapiens in omnibus f. 369. 1. *& melior viro forti* 5. *eius verba magnum pondus habent* 6.
Prudentia, & modus in omnibus habendus, maxime in seueritate, & mansuetudine f. 374. 19. f. 490. 15. 16. *in grauitate, & familiaritate* f. 374. 20. *In hilaritate, & tristitia* 21. *In risu* 22. *In exercitio virtutis* 23. *In liberalitate* 24. *In eleemosyna præstanda* f. 410. 34. 35. *In vestibus* f. 375. 25. *In cibis* 26. *In ieiuniis* 27. *In vigiliis* 28. *In pœnitentiis* 29. *In feruore spiritus* 30. *In humilitate* 31. *In correctione proximorum, ne sibi Sacerdos obsit, dum aliis prodesse conatur* 32. 33. 34. *In silentio* 35. *In conuersatione* 36. *In pace tuenda* 37. *In ipsamet prudentia* 38.
Prudentia quid f. 369. 9. 10. *Quæ perfecta, & quomodo acquiritur, & augetur* 11. 17. *Sacerdoti necessaria* 17. 37. *Eius effectus* 12. 14. *sine ea, & consilio populus peribit* 21. *& nulla actio potest esse bona* 13.
Psalmorum alterna decantatio f. 220. 40.
Pseudoprophetæ, & fabricatores errorum non audiendi, nec occultandi; sed manifestandi, vt abscindantur f. 668. 1. 4. 6.

Purgatio vomerum feruentium quid f.71. 11.
Puritas cordis à Deo petenda f.277.1. *In quo consistat* 5.7.8. *Qui illam habet, malum non suspicatur* 2. *Quo purior, eo se plus anima peccatricem agnoscit, & pœnitentiam agit* f. 590.38.

R.

REGVLARIS, *etiam in Ecclesiis sui Ordinis, Episcopo contradicente, non prædicat* f.725.12.
Reipublicæ administrandæ senes, & in lege periti assumendi f.668.1.5. *Ad quam, & aliquam dignitatem recte gubernandam tria requiruntur* 16.
Reliquiæ Sanctorum honorandæ f.183.15.16.5. *Qui sine illis templum ædificauerit, deponendus* 16.
Responsorium, vel Graduale, in Missa f. 130.68.
Risus in Ecclesia diaboli opus f. 361. 24. *Eius petulantia vitanda* f. 336.27. *Indicat hominem* f.355.4.5. 7.8.9.15.43.

S.

SACERDOS *est nomen officij* f. 39.11.40. *Est temperantiæ typus* f.285.6. *Pater opere sicut nomine* f. 272.36.37.14. *& matri similis* 14.37. *murus Ecclesiæ* f.550.19. *sicut virgæ nuceæ* 22. *sicut vaccæ* f. 478.45. *Eius varia epitheta* f.262..9.10. 21. *Olim Episcopi vocabantur* f.54.41. *Alioquin Angeli, Dij, Apostoli Ecclesiarum, & Reges, in quorum simili-*

similitudinem habent coronam in capite 44.45.50. *& tamen præferuntur Regibus* 51. 52. 53.54. *Septuaginta discipulorum figuram gerunt* 41. 42. 43. *non multum differunt ab Episcopis* 46.47.48.49. *sed multum à reliquis hominibus* 55.56.

Sacerdos, qui offerat sacrificium, numquam deficiet f. 104. 7. 8. 9. *sacrificare volens qualiter præparari debeat* 1.2.3.4.10.13.19. *vsque ad n.* 31.34.51. 52. f. 733. 2.3. *AEque conficit malus, vt bonus* f.104.40. 41. *etiam in mortali existens vere conficit, & confert Sacramenta* f.187. 11. 12. 13. 14. 15. 16. *Si eius negligentia aliquid de sanguine stillauerit, qualiter puniendus* f. 729. 10. *Si celebrauerit in pane fermentato, aut calice ligneo, sine aqua, & igne, qualiter puniendus* f. 740. 19. *Si non communicauerit in Missa qui celebrarit, qualiter puniendus* 23. *& qualiter, qui sanguinem non sumpserit* 24. *Si desit aliquid de substantialibus in Missa, non conficit; secus, si de accidentalibus* f.108. 18.

Sacerdotalis vitæ epitome f. 276. 37. *Quæ bona eius vita* f. 262. 9.

Sacerdotalis sacri habitus significatio f. 431. 28.

Sacerdotes debent esse sancti, irreprehensibiles, & sine macula f. 1.2.3.4.5.6.7.8. *& quare.* 11. *in quantum sancti & puri* 12. *vsque ad n.* 31. *& pacifici, fideles, & misericordes* f. 47. 31. 32. 33. *Mites, benigni, & sancti* 36. 37. 38. 39. 40. *& sobrij* f. 484. 1.2.4.5. 10. *maxime sacrificaturi, vel oraturi* 7. *debent esse contenti victu & vestitu* 3. 26. *secundum morem prouin-*

prouinciæ 24. 28. f. 322. 9. 11. *Sacerdos nudus totius mundi dominus est* f. 531. 8. *& tales sint, vt, etiam si sint adolescentes, non contemnantur* f. 330. 4. 5. *nemini nimium familiares* 11. 12. 22. 23. *cunctis benigni, nemini blandi, paucis familiares, omnibus æqui* 23. *separati ab omnibus vitam agant ex Platone* 28. *solliciti, & vigiles in suis ministeriis* f. 580. 1. 4. 7. 8. 9. *non solum de spiritualibus, sed etiam de temporalibus* 18. *eorum sollicitudo qualis esse debeat* 9. *omni ex parte debent esse oculi* 5. 10. 11. 12. *& se ipsos caute custodire* 2. 19. 20. *& ab omni specie mala abstinere* f. 562. 26. *& prauas opiniones de se conceptas statim euellere, & non conceptas perquirere* 27. 28. 29. *nulli, vel paruam offensionem dare, ne vituperetur eorum ministerium* f. 580. 5. *& licita cauere, ne in illicita dilabantur* 26. *Plus enim petendum ab eo, cui multum commendatum est* 4. *Simplicitas etiam quædam religiosa, & familiaritas sine contemptu necessaria est Sacerdoti* f. 332. 9. 14. 15. *& infirmis se accommodare debent, vt eos lucri faciant* f. 339. 6. 9. 32. 33. 34. f. 550. 20. 21. *& delinquentem corripere in spiritu lenitatis* f. 339. 6. 7. 39. *vide supra Prædicator. & compati infirmitatibus, & scandalis aliorum* f. 566. 6. *& iniurias proprias condonare, exemplo Christi* f. 339. 8. *plus amari desiderans, quam timeri* 14. 15. 16. 17. 30. *Magno tamen cum imperio debet reprimere vitia, & peccatores, quomodo necesse sit, ex præcepto S. Ambrosij, & S. Thomæ* f. 256. 2. 3. 5. 13. 14. 15. 20.

15.20.21. *non tamen cum ſuperbia* f. 677. 11. *ſed in hoc Boum manſuetudinem, & Leonũ feruoren imitari* f. 452. 84. *& in pectore ſuo virgam, & manna recondere ſicuti in arca tabernaculi* fol. 340. 14.

Sacerdotes debent habere ſcientiam ex præcepto, docere legem, & in ea aßidue meditari f. 465. 1.2. 7. 8.9.10. 12. *& ſcire ea, quæ populis neceſſaria ſunt ad ſalutem* 47. *Scripturas ſacras, legem Dei, & alia multa* 48.49.50.f.39.13.14.15.22. 93. *& eſſe illuſtrati, & illuſtrandi vim habere* f. 476.40. *nam penes eos eſt ſcientia Scripturarum* 19. *ſine qua non ſufficit illis innocentia vitæ* 41. 42. 43. 44. *non tamen debent plus ſapere, quam oportet* 67.

Sacerdotes qualiter ſe gerere debeant in menſa f. 364. 36.37.38. *qualiter in conuiuio* 3. 6. 37. 38. *qualiter in lecto, & in ſomno* 39. *qualiter loquendo* 16. 19. 20. 29. *qualiter diſputando* 40. *qualiter confeſſiones audiendo* 41. *qualiter ambulando* 9. 15. 16. 17.18. *qualiter ſedendo* 42.43. *qualiter ridendo* 25. 26.27.28. 29. *qualiter oſcitando* 27. *qualiter cum alio viro conuerſando* 44. *qualiter cum fœmina* 33. 34.35. *& coram aliquo membra ſua denudare non debet* 45.

Sacerdotes nemo audeat tangere, vel perſequi f. 79. 2. 5.46.66. *& tranſgreſſores multis pœnis afficiuntur* 45.46. 47.48.49.61. 62. 63. 64. *eos qui accuſant in multis, ſi aliquod crimen non probauerint, ad reliqua nõ admittantur* f. 69. 8. *eos percutiens anathematizandus, & puniẽdus* 9.10. 11. 12. *quin potius eo-*

rum defectus sunt tole andi f. 81. 16. & nihil sinistrum de illis iudicandum 50.51.52. neque illis detrahendum 53. neque temere credendum delationibus laicorum contra illos 54.55. 56. 57. 62. neque coram iudice laico conueniendi 57. 65. variis tamen modis ab omnibus impetuntur, & eorum virtus periclitatur f. 548. 16.17.18.20.21. & ab ipsis amicis persecutiones patiuntur 27. graue pondus & pericula eorum 14.15.

Sacerdotes mali maximas pœnas luent suæ negligentiæ f. 568.15.16. f. 603.46.f.419.19.olim aurei, nunc lignei f.118.39.malos fructus faciunt f. 605.54.& ideo damnantur 4.9. & sunt inemendabiles 52. & omnibus contemptibiles 26.27.& orum lapsus difficile restituitur 53. eorum præuaricatio,& corruptio tam in moribus,quã in doctrina 6.7.8.9.11.12. 14.15.16.17.19.23.41.hi sunt,qui semper sciderunt Ecclesiam, & seduxerunt populum 43. qui detrimentum maximum afferunt 38.similes aquæ baptismatis 39. qui à suo ministerio repellunt Spiritum sanctum 40. nemo plus in Ecclesia nocet 35. neque plus Deum offendit 36. 37.eorum sacrificia odit Deus,& illis maledicit 25.26.27.magna confusio, esse laicos illis meliores, vel æquales 51. ab illis est egressa pollutio super omnem terram 10.13.& super sanctuarium,& sacrificium 16.19.24.auari, & ventris amici idololatræ 44. timendum populis vbi præsunt 13.18.21.22.30. 50. quia, si Deo grati non sunt,quis orabit pro eis? 30.48.49.50.&, vbi po-

pulus est indisciplinatus Sacerdotium non est sanum 28. *quotquot illis indigne ministrantibus communicant, iram Dei super se prouocant* 45. *timere debent deterriti exemplo Iudæ* 47. *nec tam lætum illis ascendisse, quam triste cadere* 46. *Plures damnantur ex Sacerdotibus, quam salui fiunt* f. 553. 28.

Sacerdotes separat Plato ab omni turba f. 577. 16.

Sacerdotibus veteris legis interdictum fuit bibere vinum, & acetum, & comedere uuas etiam siccas f. 580. 1. f. 615. 11. *Eisque tingebantur sanguine certæ corporis partes, & dabantur ex victimis certæ corporis particulæ, & in uestibus quidam colores, & ornatus adhibebatur in officij sui significationem* f. 30. 1. 7. 25. 26. 28. *& erant iudices populi* 2. 4. 7. *ad quorum exemplum Sacerdotes nonæ legis iudicare debent de laicis, & de causis Christianorum* 69. 70.

Sacerdotis mali descriptio f. 605. 55. 56.

Sacerdotis habitus, incessus, gestus, motus, sermo, conuictus, & membrorum compositio qualia f. 359. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

Sacerdotibus interdictum est, sæcularibus negotiis uacare f. 607. 2. 3. *maxime inhonestis* f. 2. 4. 5. 9. *& cum sæcularibus habitare sine licentia sui Episcopi* f. 612. 8. *quia eorum mores corrumpuntur ex familiaritate cum laicis* f. 593. 3. *& alios occidere* f. 625. 9. *per se, vel per alios in duello pugnare: nam propter id sunt suspensi* 14. *& esse tabelliones* f.

644.11. & iudicium sanguinis tractare, aut vbi exercetur interesse. 2.13.14. & conducere possessiones, esse tutores, aut procuratores nisi miserabilium personarum 9.10. & cum filia spirituali fornicari f.696.22. & filios habere 15.16.17. & nugas proferre, quia sacrilegum & blasphemum f. 526. 25 illis quædam prohibita quæ Episcopis concessa f.3. quædam illis, & Episcopis 4. 5.

Sacerdotium nouæ legis à Christo institutum cum potestate dimittendi, & retinendi peccata, consecrandi, & offerendi f.3.1.2.3.4.f.185.2.3.4. cœpit à S. Petro post Christum f.5.6. Vetus in illud translatum est, sed multum differunt 3. 4. debet rite conferri 8. 9.10.11. non multis passim 47. non indignis 15. 19. non bigamis, vel pœnitentibus, vel repudiatarum maritis 43. nec habentibus in mente illa vitia, quibus Sacerdos veteris legis carere debebat in corpore 20. sed multa virtute, & morum maturitate præditis 24. vsque ad n. 38. & habentibus scientiam 41. & castitatem 44.45. & populi comprobationem 31.32. 34.35. & ætatem legitimam 36.37. 38. saltem viginti quinque annorum 40. Eo initiandus, non festino, sed per gradus & rite debet ordinari, riteque initiatus ministrare 6.7.8.12.35.42.f. 718.7. non suscipere propter lucrum f. 12. 16. nec per inanem gloriam 17. nec per præmia 18. Eius vim sentiunt etiam creaturæ inanimatæ f.89.37.

Sacerdotum officium est, orare, prædicare, consecrare, dispensare Sacramenta f.43.23.24. nulli nocere, omnibus

nibus prodeſſe 30. Epiſcopo ſuggerere, vt ſubueniat indigentibus 34. ſemper orare, plorare, in lege Domini meditari, & pro populo intercedere f. 207. 10.34.37. f. 230. 5.12.16.17.18.19.20.35.36.37.38. f. 263. 10. 25.26.27. 28.29. 30.31. f. 572. 1.3.9.11. medios eſſe inter Deum, & homines f. 36.37.38. 39. 40. Vigilare, Euãgelizare, & miniſterium ſuum implere f. 575. facere, & docere f. 275. 32. Eorum arma, Lectio, & Oratio f. 46. 29. 50. Eorum officio nihil difficilius, & laborioſius, ſi rite peragatur fol. 547. 13. In altari quadripartitum eſt eorum officium f. 41. 17. Quotannis officij ſui rationem Epiſcopo reddere tenentur. 55.

Sacramenta confici non poſſunt niſi à rite ordinatis f. 107. 14. 15. 16. etiam ſi mali ſint, & in mortali exiſtant f. 187. 11. 12. 13. 14. 15. 16. nec ſi deſit aliquid de ſubſtantialibus; ſecus, ſi de accidentalibus f. 708. 18. gratis conferenda f. 185. 1. 2. 39. 40. & alia dona Dei f. 716. 1. 2. nihilque pro eis exigendum f. 728. 9. ad ea adminiſtranda nemo recipiatur ſine Epiſcopi licentia f. 728. 4. nec niſi mundis veſtibus, & munda conſcientia f. 747. 3. cærimoniæ ab Eccleſia receptæ in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione in alias non commutandæ f. 186. 5. Sacramentum Ordinis confert gratiam f. 186. 7.

Sacrarium quid ſit 176. 41.

Sacriſtiæ habeant locum aptum ad infundendam aquã lotionis rerum ſacrarum, & vas pendens cum aqua pro lauandis manibus Sacerdotum f. 164. 15.

Sæcularia negotia. vide, Negotia.
Sanctus, sanctus, sanctus, in Missa f. 134. 80.
Sapientia quid f. 372. 16. mundi domina 15. ea vere præditus est, qui Deum nouit 16. sequitur industriam 3. eius radix timor Dei 4.
Sapientum verba quasi stimuli, & claui, in altum defixi f. 426. 5. & quasi ignis, & malleus conterens petram 8. eorum correptio melior, quam adulatio stulti f. 624. 3. 4.
Scientia diuina, vel humana qualiter comparatur f. 467. 14. ad acquirendum diuinam non solum legendi commentarij, sed vita emendanda 15. 31. 37. & maxime amplexanda virtus humilitatis 32. & charitatis 33. & castitatis 34. 35. nec illam inquirens Sacerdos mundanis rebus occupari debet, vel laudibus capi, vel ad plura distrahi 18. 36. nec lectioni perfunctorie vacare, sed certis horis, & ingeniis asuefaciendus animus 16. 17. eam difficile assequuntur potentes, nobiles, diuites, eloquentes 58. nec inuenitur apud sæculi magistros scientia, quam mundi contemptores consequuntur 61. quia illam non habuit Israël; deductus est captiuus 4.
Scripturarum sanctarum lectio est salutis viaticum f. 470. 20. & quasi quædam lucerna in nocte huius sæculi 21. & diuina quædam incantatio 22. & puteus Iacob. 38. earum laus & varia epitheta 25. auctoritas, necessitas, & vsus 26. 27. & finis 28. 29.

29.30.31. earum lectione Sacerdos debet sermonem suum condire 47. qui eas semel cœperit contemnere, numquam excitabitur in illis, vt timeat. 59.

Scurrilitas vitanda f. 336. 27.

Secreta oratio, in Missa f. 134. 78.

Secretarium quid f. 39. 9.

Sequentia, vel Prosa, in Missa f. 131. 71.

Seruo panis tribuendus, disciplina, & opus. f. 542. 8.

Seueritas sancti Ambrosij aduersus Theodosium f. 334. 20. & Sancti Thomæ Cantuariensis aduersus Henricum 21. debita & in pace, & in bello necessaria 8. circa fœminas tenenda 18. nimia contemnens alios est indicium subiacere ijsdem vitiis, qui ea vtitur f. 352. 41. ex ea, & benignitate faciendum temperamentum. vide supra, Ex benignitate. Qualis autem debeat esse seueritas Sacerdotis f. 359. 14. & qualiter cum mansuetudine temperanda f. 490. 15. 16.

Silentium est primus disciplinæ actualis ingressus f. 521. 10. in illo virtutes omnes conquiescunt 16. in illo esse otiosum, peccatum est 17. in illo, & spe, fortitudo hominis 8. per illud melius vincitur iniquus, quam per verba 23. eius epitheta 30. commendatio 31. Mirabile monachorum AEgyptiorum 32. vide, Tacere.

Simoniacus Sacerdos, & Sacerdotio, & beneficio priuandus f. 656. 26. ab illo Ordines recipere. vide, Ordi-

Ordines. Simoniacus est, qui recipit pretium pro ordinatione, pro danda possessione, pro benedictione nubentium, pro Sacramentorum collatione f. 28. 29. 30. & Clericus contra faciens deponendus 31. Quid autem pro prædicatione 29.

Sobrietas est mater omnium virtutum f. 297. 7.

Solidum quid f. 72. 12.

Sollicitudo Sanctorum semper versata est potissimum circa interiorem hominem componendum, spreto exterioris ornatu superfluo f. 573. 6. 13.

Somnus est hora præstituta sumendus f. 301. 15. & tantum pro necessitate f. 313. 14. quia est res suspecta, & ideo quis totus dormire non debet 11. 16. qualis Sancto Hieronymo, qualis Cassiano, qualis Hippocrati 15. ad somnum qualiter eundum, qualiterque in lecto manendum 10. 11. ab illo euigilandum ad diurnum auium concentum 20. ab illo surgenti quid faciendum 21.

Sordes, vide, Munditia.

Spectaculis & aliis eiusmodi vanitatibus, & musicis Sacerdos non interest. f. 709. 1. 4. 7. 8. 9. 10. 13. & qui contra fecerit, qualiter puniendus 11. nec Taurorum agitationibus 12.

Studiis quo fine incumbendum f. 466. 13.

Subdiaconale quid f. 146. 3.

Subdiaconus matrimonium contrahere non potest. fol. 696. 21.

Subintroductæ mulieres quæ f. 692. 12.

Supellex, & mensa Sacerdotum frugalis esse debet. f. 293. 27. 28. 36.

Super-

Superbia esse non potest sine pusillanimitate f. 677.12. *eius signa* 7.8. *& effectus* 9.

Superbus Sacerdos sibi est dæmon, & hostis f. 675. 6. *appetit humilis apparere, ne contemnatur.* 507.31. 32. *illi Deus resistit, humilibus autem dat gratiam* f. 675.5. *in die honoris non superbiendum* 3.4.

Superpelliceum quale f. 210. 19.

Suspiria nostra sunt Angelorum lætitia fol. 246. 12.

Symbolum quid f. 617. 14.

Synaxis quid f. 208. 16.

T.

TACERE, *quam loqui, difficilius* f. 523.16. *qui nescit, simile est vrbi sine muris* 4. 29. *& est ignorans sui, & aliorum* 28. *qui vero nouit tacere, nouit & dicere* 15. *Tacitus vir Philosophiæ filius* 14.

Taurorum agitatio. vide, Spectaculis.

Templa Deo dicata summopere colenda f. 185. 1. *in illis, non domi, Missa celebranda, ex traditione Apostolorum* 2. 31.32.33. f. 737. 11.12.13. *quia orationes in eo factæ, sunt Deo gratiores* f. 158.3.4.5.17. *fol.* 235.24. *ad illa non veniens ad Sacrificium quotidianũ, non habendus vt Clericus* f. 165. 16. f. 723.9. *ad illa confugientes immunes* f. 162. 8.9.10 *illa violantes*

lantes qua pœna mulctandi 9. 10. 11. polluta qualiter, & à quo reconcilianda 29, in illis non licet risui, aut vaniloquio vacare, aliaue illicita exercere 6. 18. 19. vbi de Iuliano Apostata 20. 22. 23. 24. nec supellectilia recondere 25. nec ab eis quidquam auferre 45. sed omnia honeste, circumspecte, & per ordinem fieri debent f. 726. 1. 2.

Templa qualiter ædificanda, in eisque conuersandum f. 159. 6. 7. quem ambitum illa, & capellæ habere debeant 7. illis adiuncta ædificia laicorum diruenda 12. in illis tumuli eminentes euertendi 28. loca feminarum in illis distincta esse debent à virorum 14. & Sacerdotum à laicorum 13. 42. 43. de illorum nitore maxime curandum, exemplo Nepotiani 35.

Temporalibus pœnis, quas vulgus formidat, & patitur, Sacerdos moueri non debet f. 530. 1. vide, Contemnere.

Tenebræ quandam religionem habent f. 314. 19.

Tentationum variæ causæ f. 555. 32. per varias probantur amici Dei, & tamen ab eo liberantur 1. 2. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 24. multas oportet Sacerdotem pati, & multa experiri f. 369. 7. 8. 40. 41. Qui enim non tentatur, nihil scit f. 546. 3.

Tertia hora cur sacra dicatur f. 209. 18.

Theologiæ Sacræ studium commendatur. fol. 471. 24.

S. Thomæ seueritas. vide, Seueritas.

Thymelici qui f. 710. 9.

Thy-

Thymiama quid f. 104. 2.
Tractus, in Missa f. 131. 70.
Tranquillitas solida, & firma quæ. vide, Pax. Tranquillitas & dulcedo solitarij ineffabilis f. 511. 14. 15. 16. *Tranquillæ mentis est prædicare, & loqui de Deo* f. 433. 34. *Tranquillum cor frequenter Deus visitat* f. 552. 25. 26.
Tristitia quæ vtilis, quæ perniciosa, & repellenda f. 514 20. *eam non habet, qui pie, qui bene viuit* 21.
Tumidus tumidum sedare non potest f. 499. 23. *eiusmodi homines multa regna labefactarunt* f. 348. 31.
Tunica Sacerdotalis quæ f. 752. 5.
Tutor. vide, Curator.

V.

Vasa sacra furari tentans, diuinitus punitur f. 154. 20. *præ vetustate consumpta. vide infra, vestimenta.*
Venationes, & aucupia Clericis interdicta, ac de pœna transgressorum f. 757. 1. 2. *ea exercens nullus Sanctus in sacris Scripturis inuenitur* 3.
Verecundia, quam metu, plus vincuntur ingenia liberaliter educata f. 544. 15. *vbi eorum commendatio.*
Verbum dulce frangit iram, multiplicat amicos, mitigat inimicos; sermo durus suscitat furorem f. 339. 1. 3. *plus placet, quam donum* 4. 23.
Vestes inuentæ ad operiendum corpus, & eius incommoda

modaꝫ propulsanda f. 320.4. §. *eas habeat Sacerdos non sordibus, nec immunditiis notabiles exemplo Sancti Augustini* 9.10. *quæ tamen sordes & immunditiæ affectari non debent* 14.15.16.17. *Nec vestibus peregrinis, aut mollibus vestiri Sacerdos* 2. f. 751.2. *sed proprio ordini congruentibus, non nimis vilibus, nec nimis pretiosis, iuxta morem provinciæ* f. 322.7.8.9.10.11.12.13. f. 292.24.25. *nimis politæ in Sacerdotibus reprobantur* f. 751.4. *nec sæculares, aut profanæ eis permittũtur, nec alicubi esse sine operimento, ac de pœna transgressorum* 5.6.7.8.9.10.11. *neque coram aliquo membra denudare* f. 286.45. *nec certis coloribus, nec certis superfluitatibus vti* f. 753.7.9.

Vestimenta Sacra in genere quid significent, & in specie f. 144. 2. *quæ necessariæ Missam celebraturo* 5. *qualia esse deberent, nec alibi quam in diuinis Officiis induenda, nec à laicis tangenda* 8.10. *quæ fuerint præ vetustate consumpta cremanda, & cineres in occulta loca proijcienda; similiter de pallis, & vasis* 19. *vestimentis aliis induebantur Sacerdotes veteris legis* 1.2. *& aliis Græcorum Ecclesia* 6. *ea profanari non debent, nec vasa sacra, quia eiusmodi profanatores seuere à Deo puniuntur* 20. f. 748.1.6.7. *nemo det pignori* 5. *ea omnia munda sint, & nitida* 2.3. *Vestimentis altaris mortui laici non obuoluendi* 8. *nec Sacerdotis cadauer obtegendum de opertorio Dominici corporis, seu palla Altaris* f. 765. 17. *& Sacerdotalibus indumentis sepeliatur* 18.

Vinum

Vinum est res luxuriosa: & qui in eo delectatur non erit sapiens f. 615. 3. 5. 7. 8. *& qui eo abutuntur, & dant symbola, consumentur* 4. *eius abusum, non vsum damnauit Apostolus* 23. *satius est enim modico vino vti, quam nimia aqua auide ingurgitari* 24. *Vini modici commendatio. ibidem.*

Virtus vera, quæ latet in prosperis, lucet in aduersis f. 561. 23. *ex eius operatione venitur ad gustum Diuinorum* f. 378. 39.

Vitiorum victoria gignit fortiorem pugnam f. 554. 31.

Vituperia. vide, Laudes.

Votum solemne castitatis. vide, Castitatis votum.

Vsuræ non exigendæ f. 663. 1. *eas exigens Clericus qualiter puniendus* 6. 7.

Vulgus contemnendum, quando nostram excusationem non admittit f. 536. 24.

Z.

ZELVS *animarum, optimum omnium sacrificium* f. 571. 24. *qualis esse debet in Sacerdotibus* 3. 21. 25. *quis perfectus* 22. 23.

FINIS.

HÆC DICIT DOMINVS.

STATE super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea; & inuenietis refrigerium animabus vestris, *Ieremiæ cap. 6.*

Tunc Sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla Patrum præcedentium indesinenter intuetur, cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat. *S. Gregor. Pastoralis part. 2. cap. 2.*

INGOLSTADII,

Ex Officina Typographica Ederiana apud ANDREAM ANGERMARIVM.

Liber Sanctuarii B. Virg. Paderborn. 1608

M. DCIV.

MANVAE
Sacerdotū.

JVT.

Th
2866

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN